

ÉCOLE PRATIQUE DES HAUTES ÉTUDES

---

Bruno BON

*diplômé d'études approfondies*

*archiviste paléographe*

LES *SERMONS*

D'ADÉMAR DE CHABANNES

ÉDITION DU MANUSCRIT DE BERLIN

TOME II

DIRECTION

Mme Pascale BOURGAIN (École nationale des chartes)

M. François DOLBEAU (École pratique des hautes études)

JURY

Mme Nicole BÉRIOU (Université de Lyon II – Lumière)

Mme Anita GUERREAU-JALABERT (Centre national de la recherche scientifique)

M. Jean-Loup LEMAÎTRE (École pratique des hautes études)

Thèse de doctorat

Langue et littérature latines médiévales



# SERMONES AD SYNODUM

## DE CHRISMATE SACRO.

### ¶¶

1. Gratias agamus, dilectissimi, domino nostro Iesu Christo, qui *lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et patri suo ; ipsi gloria in secula, amen !*<sup>1</sup>

2. Quis digne poterit æstimare tantam dignitatem quam Dominus vobis sacerdotibus suis contulit, qui non carnaliter sed secundum spiritum tantam dignitatem habetis, ut non solum sacerdotes sed etiam reges Dei sitis ? Et adhuc si hoc parum vobis est, insuper per vestrum ministerium omnes laicos reges et sacerdotes Deo facitis. Videte quantum honorem Dominus omni Ecclesiæ suæ concessit, ut non solum vos quibus proprie sacerdotium altaris et ministratio corporis et sanguinis Domini atque baptismatis concessa sunt, sed etiam omnes Christiani sint spiritualiter Deo reges et sacerdotes ! Scitote quia sancta omnis Ecclesia regnum et sacerdotium Dei est !

3. Hanc dignitatem Deus Ecclesiæ suæ chrismatis visibili unguento, et Spiritus Sancti invisibili gratia per ministerium sacerdotum tribuit. Et sancti chrismatis unctionem, quam vos et episcopi exhibent, **primum in Veteri Testamento Dominus per Moisen iussit institui** ;<sup>2</sup> **in Novo autem Testamento ipse Dominus** per semetipsum **declaravit**,<sup>3</sup> **qui** invisibiliter et inenarrabiliter **unctus est ab ipso Deo Patre ‘oleo lætitiæ pre consortibus suis’**, sicut ait David : « *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ, hoc est plenitudine Spiritus Sancti, pre consortibus tuis.* »<sup>4 5</sup>

---

<sup>1</sup> Apoc. 1, 5-6 : g. et imperium in s. seculorum a.

<sup>2</sup> cf. Ex. 29-30.

<sup>3</sup> cf. Luc. 4, 18 : Spiritus Domini super me propter quod unxit me evangelizare pauperibus misit me.

<sup>4</sup> Ps. 44, 8 : d. deus t.

<sup>5</sup> THEODULF., *Bapt.* 15 (col. 234<sup>c</sup>) : cuius unguenti sacramentum a Moise p. iubente domino i. exodo legitur compositum, et in n. ; t. a domino veraciter declaratum, q.

4. Nam sanctis prophetis ad mensuram vel ad horam vel ad tempus dabatur Spiritus Sanctus, quando inspirabat eos Spiritus Sanctus et prophetabant. Ad horam vero relinquebat eos utpote qui peccatores et fragiles erant, et prophetare cessabant. Nec poterant prophetare, nisi gratia sua irrueret in eis Spiritus Sanctus.

5. In domino autem nostro Iesu Christo, a quo Spiritus Sanctus ante secula processit sicut et a Deo Patre, totus et semper Spiritus Sanctus habitavit, sicut calor totus et semper habitat in sole.<sup>6</sup> Nam in utero Virginis Mariæ, Dominus non de alia re, sed de Spiritu Sancto ineffabiliter conceptus est, dicente angelo ad Mariam : « *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* »<sup>7</sup>

6. Ipsi domino Iesu Christo nato de virgine sine patre, **Deus Pater non ad mensuram**, non ad horam, non ad tempus **dedit Spiritum Sanctum, quia in ipso** filio Dei **habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter**. In ipso itaque utero virginis, filius Dei unctus est ‘oleo lætitiæ’, hoc est Spiritu Sancto, a Deo Patre, sicut scriptum est : *Unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute.*<sup>8</sup> Et sancta **Ecclesia eidem** redemptori suo **dicit** : « *Oleum effusum nomen tuum*, hoc est : Spiritus Sanctus effudit in nos nomen tuum. Tu ‘unctus’, id est ‘christus’, appellaris, et a nomine tuo nos ‘christiani’, id est ‘uncti’<sup>a</sup>, appellamur. *Ideo adolescentulæ*, id est sancti decore fidei speciosi et calore virtutum accensi, *dilexerunt te.* »<sup>9 10</sup>

7. In Veteri Testamento, a chrismate<sup>b</sup> appellabantur ‘christi’, hoc est ‘uncti’, sicut scriptum est : « *Nolite tangere christos meos*, id est sacerdotes meos ! »<sup>11</sup> Et David de

<sup>6</sup> cf. *infra Sermo de euch.* VI 5 ; *Sermo de fide* XXVIII et XXXII 2.

<sup>7</sup> Luc. 1, 35.

<sup>8</sup> Act. 10, 38.

<sup>9</sup> Cant. 1, 2.

<sup>10</sup> THEODULF., *Bapt.* 15 (col. 234<sup>c</sup>) : cui n. ; m. dat d. ; s., quoniam i. ; c., ipsi enim e. ; e. est n.

<sup>11</sup> I Par. 16, 22 ; Ps. 104, 15.

seipso : *Faciens misericordiam christo suo David*, id est regi suo.<sup>12</sup> Et David de Saul, qui oleo sancto vel chrismate unctus fuerat in regem, dicebat : *Quis extendet manum suam in christum Domini et innocens erit ?*<sup>13</sup> Ac si diceret : « Licet sit mihi Saul inimicus mortalis, tamen ob eam solummodo rem qua consecratus est unctione chrismatis sive olei in regem, nefas est mihi illum interficere. »

8. Sicut autem a chrismatis unctione appellabantur ‘christi’, ita dominus noster Iesus Christus **ab** illo invisibili **chrismate**, hoc est Spiritu Sancto, a quo unctus sive consecratus est [fol. 69] in utero virginis, nunc<sup>c</sup> appellatur proprie et singulariter Christus. **Ab** ipso vero ‘**Christo**’, ‘**Christiani**’ omnes appellamur, quia ipse dominus Christus in baptismo per ministerium sacerdotum invisibiliter invisibili chrismate et oleo, hoc est Spiritu Sancto<sup>d</sup>, nos unguat, hoc est sanctificat.<sup>14</sup>

9. Ideo chrisma et oleum<sup>e</sup> in fontem funditur baptismatis, ideo pectus et interscapula<sup>f</sup> caticuminum oleo tanguntur, cerebrum chrismate a presbitero et frons ab episcopo linitur. Hi proprie tales, qui chrismate et oleo in baptismo consecrantur, a ‘Christo’ ‘Christiani’ dicuntur. Sed et ipsi qui necessitate faciente sine chrismate et oleo ad succurrendum baptizati sunt per aquam et spiritum, sicut ab apostolis multa milia hominum baptizata sunt, eo quod in Christum credunt, Christiani et dicuntur et sunt, quia in baptismo a Christo per chrisma spiritale, hoc est per<sup>g</sup> Spiritum Sanctum, invisibiliter uncti sive consecrati sunt.

10. Porro sicut **ante adventum Domini reges solummodo et sacerdotes unguebantur, qui etiam christi vocabantur, ita post adventum eius iam non solum reges et sacerdotes, sed omnis Ecclesia hac unctione consecratur** per sacerdotes. Quod ideo fit, **quia constat omnem Ecclesiam esse regnum Dei et sacerdotium, et** singulos quosque credentes

<sup>12</sup> Ps. 17, 51.

<sup>13</sup> I Reg. 26, 9 : q. enim e.

<sup>14</sup> THEODULF., *Bapt.* 15 (col. 234<sup>c</sup>) : quia videlicet, et a c. christi, et a c. christianorum nomen exortum est.

**filios** Ecclesiæ esse spiritaliter **reges et sacerdotes**. Itaque videtis neque baptismum, neque confirmationem,<sup>h</sup> neque sacerdotes neque episcopos, neque reges, neque ecclesias, neque altaria neque calices consecrari sine crismate et oleo, ut Christianitas tota Ecclesia Dei merito a Christo dicatur, tota per chrismatis<sup>i</sup> significationem Spiritu Sancto sanctificata.<sup>15</sup>

11. Videtis autem quia **baptizatorum capita** sicut **chrismate** linitis vos primi in cerebro<sup>j</sup>, deinde episcopus ad confirmationem in fronte, ita in regno et sacerdotio **Ecclesiæ** spiritaliter sunt delibuta. **Et** sicut per chrisma **Cristiani nominis prerogativam accipiunt**, ita efficiuntur membra eius qui eos redemit et eorum caput est.<sup>16</sup>

---

<sup>15</sup> THEODULF., *Bapt.* 15 (col. 234<sup>C-D</sup>) : a. etenim eius r. ; a. vero e. ; c. eam e. ; f. eius r.

<sup>16</sup> THEODULF., *Bapt.* 15 (col. 234<sup>D</sup>) : b. itaque c. ; c. liniuntur, ut i. ; e. delibuti, e. ; p. accipiant, et e. ; e., effici valeant.

### [[III] <sup>k</sup>

Sicut autem oleum quod consecratur non aliud esse oportet quam purum de olivis, sic chrisma nullatenus oportet confici quam de balsamo. Hoc exemplo nullum aliud oleum de aliis fructibus arborum vel erbarum, nisi de olivarum arboribus in consecratione olei transire potest, quia Dominus Moisi iussit de oleo purissimo olivarum tabernaculum et utensilia eius sive sacerdotes consecrari, et quia de ramis olivarum ornavit Hebrea plebs Domino viam, et quia in monte Olivarum Dominus ad Patrem oravit, et quia de monte Oliveti, id est habente multitudinem arborum olivarum, Dominus ad Patrem ascendit.<sup>17</sup> Arbor olivæ etiam significat pacem, quia in diluvio columba, non alterius arboris quam *olivæ' ramum* ad Noe *in ore suo portans*, pacem terris redditam nunciavit.<sup>18</sup> Unde consuetudo antiquorum, ab illius antiquitatis hominibus qui in tempore Noe fuerunt, talis processit ut quicumque inimicorum ad hostes veniret portans in dextera ramum sive folia non alterius arboris quam olivæ, vel coronatus foliis olivæ, tamquam pacificus et pacem portans cum pace reciperetur.

---

<sup>17</sup> *cf.* Ex. 29-30.

<sup>18</sup> *cf.* Gen. 8, 11 : at illa (*sc.* columba) venit ad eum ad vesperam portans ramum olive virentibus foliis in ore suo, intellexit ergo Noe quod cessassent aque super terram.



### [[III] m

1. Balsamus omnia aromata odore suo revincit, sicut scriptum est : *Odor vestimentorum eius*, id est chrisma, *super omnia aromata*.<sup>19</sup> Flagrantiam vestimentorum Iacob, quam sensit Isaac, chrisma erat, quia vestimenta sacerdotalia apud antiquos hac preciosissima specie perfundebantur. Ideo ad unctionem sacram balsami, quam in odore sensit Isaac, ait : « *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* »<sup>20</sup> Sicut autem vinum, antequam in sacrificio altaris consecratum sit, vinum dicitur, ubi autem consecratum est sanguis Christi dicitur, ita balsamus ante consecrationem balsamus dicitur, post consecrationem vero chrisma appellatur, quia in Christi ministerio aptatur.

2. Et licet vix inveniatur balsamus ad emendum, et in emptione valde sit carum, tamen omnes catholici episcopi summopere student ut tres guttas (non minus) de balsamo in oleo instillent<sup>n</sup>, de quo in cæna Domini conficitur chrisma. In nulla vero alia materia quam in purissimo oleo olivarum, balsamus ad conficiendum chrisma admisceri debet.

3. Sicut est autem una catholica Ecclesia, sic unus locus est balsamum producens. Et sicut ab oriente in occidentem Christianitas venit – Petrus enim et Marcialis, qui primi in occidente predicaverunt, alter in Italia, alter in Gallia, ita ut totam Aquitaniam regionem Christo acquireret, baptizato prius rege Galliarum Stephano<sup>21, 22</sup> de Sion exierunt et de Hierosolim prodierunt –,<sup>23</sup> sic in oriente tantum gignitur balsamus, et usque ad fines orbis terræ per voluntatem Dei deferentibus principibus terrarum et negotiatoribus profluit, ita ut nulla sit ecclesia per totum orbem quæ balsami

<sup>19</sup> Cant. 4, 10 : o. unguentorum tuorum s. ; VL : v. tuorum s.

<sup>20</sup> Gen. 27, 27.

<sup>21</sup> Étienne, gouverneur d'Aquitaine (III s.).

<sup>22</sup> cf. *Vita Martial. II* XIII.

<sup>23</sup> cf. Is. 2, 3 : de Sion exhibit lex et verbum Domini de Hierusalem.  
cf. etiam Mich. 4, 2.

quantulumcumque in cæna Domini oleo purissimo non intermisceat, ut recte possit chrismatis misterium continere.

4. Hoc ideo memoramus, quia sancta catholica Ecclesia valde execratur hæreticos qui per quasdam regiones et provincias orbis non curant<sup>o</sup> conficere chrisma de balsamo, sed quod dictu perniciosum est, aut de saliva oris sui, aut ex melle, aut ex butiro, aut ex alia aliqua pingui specie chrisma conficiunt. Sed illud NON est chrisma, sicut baptismus sine invocatione sanctæ Trinitatis non est baptismus, sicut non nisi panis in sacrificio altaris potest esse Christi corpus.

5. Ante adventum vero Domini balsamus in Iudea tantum gignebat, non in aliis uspiam locis, nam multi reges ex ea ramusculos apud se plantaverunt, sed non fructificarunt, quia, sicut diximus, de Iudea Christianitas dirivavit prius. At postquam Iudea dominum suum occidit, eiusque discipulos a se eiecit, et ipsi transmigrarunt ad gentes, balsamo Iudea quæ olim erat terra repromissionis caruit, et apud gentem Sarracenorum balsamus fructificare coepit in nemore tantum regio, stirpe similis vitis, foliis ut ruta, fructu quasi botrus. Et quia non tanta abundantia balsami sicut olei est per mundum, ideo de purissimo oleo olivæ crisma in cæna Domini conficitur, ubi aliquantulum balsami permiscetur. Ideo benedictio ait quia **fructus oleæ sacro chrismati deservit,<sup>24</sup> ut sit his qui renati fuerint ex aqua et Spiritu Sancto chrisma salutis.<sup>25</sup>**

6. Et sicut Ecclesia in resurrectione Christi quasi omnibus annis per ministerium renovatur, sicut [fol. 69v] tempus paschale tempus novitatis est, ita chrisma, per quod omnis Ecclesia innovatur, eo die omnibus annis innovatur, nulloque alio die vel tempore debet consecrari quam in eo die quo Christus, chrismatis auctor a chrismate vocatus, novum Pascha cum discipulis suis in corpore et sanguine suo consecravit, et

<sup>24</sup> *Lib. sacram. Aug.* 489 ; *Lib. sacram. Eng.* 634 ; *Lib. sacram. Gell.* 623a.

<sup>25</sup> *Lib. sacram. Aug.* 489 ; *Lib. sacram. Eng.* 634 ; *Lib. sacram. Gell.* 623c.

mox in monte Oliveti pro eis et pro omni Ecclesia oravit. Nam eo die, totam futuram Christianitatem in corpore et sanguine suo<sup>p</sup> consecravit, quod misterium nullus tractare potest nisi crismate unctus, nullus ad id accedere potest nisi a Christo Christianus vocetur.

7. Ideoque, fratres, observate ut omnibus annis in cæna Domini apud sedem istam novum crisma<sup>q</sup> accipere curetis ! Vetus autem ad sedem istam deferatis, ut aut in lampadibus ardeat ante altaria per ebdomadam paschalem, aut si necessitas indigentiae fuerit cum novo misceatur, ut novo chrismate novus baptismus in tempore novo paschæ et per totum annum consecretur. Similiter et de oleo baptizatorum, et de alio oleo infirmorum agite ! Nobis erit providere, per archidiaconos et archipresbiteros vobis ministrare. Et qui ad hanc sedem occurrere non poterint, a presbiteris vicorum suorum id expetant<sup>r</sup>, quatinus in sabbato sancto nullus vestrum sit sine crismate novo et oleo novo tam ad baptizatos quam ad infirmos. Nam si forte hæc sedes sine episcopo fuerit, ut ibi non possit confici chrisma, archidiaconus sedis huius ab alio episcopo vicinæ civitatis curabit hæc accipere, et nihilominus ante sabbatum Paschæ vobis ministrare.

8. Per omnia vero cavete ne pro oleo chrisma, vel pro chrismate oleum adhibeatis<sup>s</sup>, vel pro oleo baptismali oleum infirmorum, vel pro altero alterum ministretis ! Quocirca in ampullis vestris omnia per indiculum scripturæ signare curate, ne errore neglegenter agatis, quia *maledictus qui facit opus Domini neglegenter* !<sup>26</sup>

---

<sup>26</sup> Hier. 48, 10 : d. fraudulenter ; sic VL.

## [[IV

1. De regno Christi adhuc vobis commemorandum <est><sup>t</sup>. Redemptor enim noster sicut rex est, ita et sacerdos verus est. Ipse enim diabolum et mortem et<sup>u</sup> mundum vicit et triumphavit, cui propheta dicit : « *Regnum tuum, Domine, regnum omnium seculorum, et dominatio tua in omni generatione et generatione.* »<sup>27</sup> Et iterum : « *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* »<sup>28</sup> Et quemadmodum ille mortem vicit, quemadmodo se Deo Patri in sacrificium optulit pro nobis, ita sancta Ecclesia, quæ utique corpus Christi est, decentissime et regnum et sacerdotium est. Et omnes<sup>v</sup> in ea regenerati, qui eius membra sunt<sup>w</sup>, reges et sacerdotes Christi<sup>x</sup> sunt.<sup>29</sup>
2. Reges, quia contra diabolum viriliter dimicant, et administrationem vitæ suæ<sup>y</sup> recta dispensatione<sup>z</sup> regunt et gubernant. Sacerdotes sunt, quia in templo Dei – quod ipsi sunt, sicut scriptum est : « *Templum Dei sanctum est quod estis vos* » –,<sup>30</sup> altare, id est fidem, ædificant, et hostias pacificas, hoc est bona opera, Deo offerunt. Hi tales sunt de quibus ait apostolus : « *Benedictus Deus et pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo.* »<sup>31</sup> De quo altari, id est de semetipsis, fumus, id est orationes eorum, cotidie ascendunt, iuxta illud : « *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* »<sup>32 33</sup>
3. Per illud autem testimonium quod ait Petrus : « *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* », <sup>34</sup> capita eorum quos regeneratis ex

<sup>27</sup> Ps. 144, 13 : e. progenie ; sic VL.

<sup>28</sup> Ps. 109, 4 ; Hebr. 5, 6 et 7, 17.

<sup>29</sup> THEODULF., *Bapt.* 16 (col. 234<sup>p</sup>-235<sup>A</sup>) : quia igitur idem r. ; c. per prophetam dicitur, r. ; g., qui d. ; m. mirifice t. ; s., cui per eundem prophetam dicitur, t. ; M., qui s. ; o., decentissimum est ut s. eius e. ; c. eius e. ; r. sit e. ; e. nos i. ; m. sumus, r. simus e.

<sup>30</sup> I Cor. 3, 17 : t. enim d.

<sup>31</sup> Eph. 1, 3.

<sup>32</sup> Ps. 140, 2.

<sup>33</sup> THEODULF., *Bapt.* 16 (col. 235<sup>A</sup>) : r., ut et c. ; v. dimicemus, e. ; v. nostre admirabili d. gubernemus, et s., ut i. ; d. sancto q. sumus nos, a. fidei edificantes, bonorum operum ei h. ; p. offeramus, et cum apostolo dicamus ; f. orationum nostrarum ei c. ascendat, i. ; i. quod ait propheta, d.

<sup>34</sup> I Petr. 2, 9 : v. autem g. ; sic VL (ISID., *Eccl. off.* II 4, 4).

aqua et Spiritu Sancto mistico velamine tegitis. Hoc quippe velamen, et diadema regium, et sacerdotale indumentum significat.<sup>35</sup>

4. Et proprie per albas, sacerdotale indumentum, per linteum autem in circuitu capitis ad confirmationem episcoporum, diadema regale exprimitur. Nam circulus lineus super chrisma in fronte positus, coronam regiam monstrat. Quod capitis circulatum linteum ab episcopo imponi et a patrino aptari et per septem<sup>aa</sup> dies a capite non auferri oportet<sup>bb</sup>, sicut nec albas baptismales per septem dies Paschæ deponere baptizati debent, quas a sacerdotibus in baptismo sibi impositas habent. Ideo per septem<sup>cc</sup> dies hæc duo capitis indumenta baptizati gerere et octavo die deponere debent, quia omni istius vitæ tempore esse circumdati spiritualiter his ornamentis debent, et in futura vita de significatione pervenient ad speciem.

5. Et sicut caput significat plerumque mentem, iuxta illud : « *Respicite et levate capita vestra !* »,<sup>36</sup> hoc est : « Exhilarate mentes vestras ! », sic mens renatorum habet primum quidem tegumenta sacerdotalia in albis, et coronam regiae dignitatis in circulis lineis. Et unctione sancti chrismatis sacrati, sicut liniebantur antiquitus sacerdotes et reges, ita<sup>dd</sup> sacerdotali velamine muniti sunt contra vitia, et in<sup>ee</sup> circulo regio virtutum gemmis exornati.<sup>37</sup>

6. Hoc idem significat velamen monachorum, quod illi cocullas, greci autem apostolicon vocant, quia apostoli hoc indumentum primi invenerunt, quod significat velamen baptizatorum. Sicut etiam monachi in cocullis, ita et sacerdotes in primo indumento, quod amictum vocatur, baptismale indumentum premonstrant, in quibus

<sup>35</sup> THEODULF., *Bapt.* 16 (col. 235<sup>B</sup>) : c. itaque e. qui regenerantur e. ; v. teguntur, ut eis per Petrum dicatur ; a., ut h. velamine e. ; e. sacerdotalis capitis velamentum significetur.

<sup>36</sup> Luc. 21, 28.

<sup>37</sup> THEODULF., *Bapt.* 16 (col. 235<sup>B</sup>) : e. quia per c. mens p. in sacro eloquio accipi solet, i. ; d. ornamenta, et sacerdotalis verticis habeat tegumentum, ut et c. ; v. muniatur, e. ; g. spiritualiter exornetur, e. ; u. sacrosancti c. liniatur.

indumentis utrumque et sacerdotalis scilicet et regia demonstratur dignitas, quasi quodam modo impressa.

7. Regeneratis autem **etiam septiformis gratiæ Spiritus per chrismatis unctionem** orantibus episcopis Dominus concedit quia **non solum Sancti Spiritus, qui unius substantiæ est cum Patre et Filio, sed etiam tocius sanctæ Trinitatis habitaculum** Christus corda credentium facit, sicut ipse ait : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*<sup>38 39</sup>

---

<sup>38</sup> Ioh. 14, 23.

<sup>39</sup> THEODULF., *Bapt.* 16 (col. 235<sup>B-C</sup>) : quibus e. ; u. conceditur, ut n. ; h. effici mereantur.

## [IV]

1. Sicut sane vobis **presbiteris baptizatos chrismate** in cerebro **unguere licet**, **ita Spiritum Sanctum per manus impositionem tradere** per chrisma in fronte **non licet**, nisi tantum episcopis. **Iste enim mos antiquus ab apostolis Ecclesiæ est traditus**, ut episcopi tradant baptizatis Spiritum Sanctum.<sup>40</sup>
2. Et licet apud Græcos presbiteri sicut et episcopi hoc idem agant, tamen apud Romanos institutum est solis episcopis id licere fieri. Græci ideo observant de presbiteris sicut de episcopis, quia in tempore apostolorum omnes presbiteri vocabantur et erant episcopi. Apud Romanos autem solis episcopis reservatum est, quia in tanta multitudine presbiterorum hæresis oriebatur, et iste aliter, ille aliter tantum sacramentum chrismatis depravabat.
3. Rari vero episcopi, quasi ad similitudinem apostolorum summa diligentia electi, inviolabilem fidem tenuerunt, tantumque sacramentum digne [fol. 70] dispensabant, inquirentes fidem baptizatorum, et utrum catholico baptismo baptizati essent. Quod si non esse repperissent<sup>ff</sup>, baptizabant eos baptismo Christi, antequam eis frontem chrismate unguerent. Et ita rectæ fidei unitas recte et<sup>gg</sup> sine scismate et dissensione in tota Ecclesia potuit custodiri. Et sicut episcopi apostolorum duodecim<sup>hh</sup>, ita presbiteri vel quod verius est corepiscopi septuaginta duorum vicem tenent apostolorum, quibus attestante Luca evangelista Dominus ait : « *Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos !* »<sup>41</sup> Quibus etiam beatissimis apostolis ait : « *Nolite gaudere quia dæmonia vobis subiecta sunt, gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis !* »<sup>42</sup>
4. De quibus septuaginta<sup>ii</sup> duobus ait Paulus apostolus quia, postquam apparuit Dominus Petro *et post hæc undecim, deinde plus quam quingentis fratribus simul,*

<sup>40</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 235<sup>c</sup>) : quod ergo p. ; l. vero s.

<sup>41</sup> Luc. 10, 3.

<sup>42</sup> Luc. 10, 20 : q. spiritus v. subiiciuntur g. ; sic VL.

*deinde Iacobo, deinde visus est apostolis omnibus,*<sup>43</sup> id est septuaginta duobus simulque undecim, sicut Ambrosius Mediolanensis exponit.<sup>44</sup> Quomodo ergo Marcialis doctor Galliae non est apostolus, cum ille sine dubio sit de illis septuaginta<sup>ii</sup> duobus quos Paulus apostolus in quo Christus loquebatur affirmat esse apostolos,<sup>45</sup> et adhuc (quod maius est) cum undecim a Christo accepit potestatem ligandi et solvendi?<sup>46</sup> Itaque misere desipiunt, qui eum qui a Christo cum reliquis apostolis Spiritum Sanctum et potestatem ligandi et solvendi accepit, apostolum Dei conantur sua obstinatione contentiosa sive infideli dubitatione abnegare.

---

<sup>43</sup> I Cor. 15, 5-7 : *deinde visus est p. ; simul, (...) d. ; sic VL.*

<sup>44</sup> *cf. AMBR., In Luc. VII 44 (PL, 15, col. 1710<sup>B</sup>) : ad septuaginta discipulos dicit, hos quos designavit, et misit binos ante faciem suam.*

*cf. AMBROSIAS., In Rom. 9, 13 (CSEL, 81, p. 315) : quamvis dicat Salvator illis septuaginta duobus discipulis, quos elegerat secunda classe...*

<sup>45</sup> *cf. II Cor. 13, 3 : eius qui in me loquitur Christi.*

<sup>46</sup> *cf. Vita Martial. II II.*



## [VI]

1. Quod ergo proprie hi fuerunt apostoli qui illo tempore tradebant Spiritum Sanctum per impositionem manuum cum oratione, scriptum est in Actibus apostolorum, de Paulo quosdam discipulos duodecim<sup>kk</sup> interrogante si acceperant Spiritum Sanctum. Qui cum dicerent neque audisse se Spiritum Sanctum, neque scisse se aliud baptismum quam Iohannis, protinus baptizavit eos baptismo Christi.<sup>47</sup> Et cum imposuisset illis manus tamquam apostolus, venit Spiritus Sanctus super eos.<sup>48 49</sup>
2. Philippus quoque, unus de septem<sup>ll</sup> diaconibus cum Stephano ordinatus, dum Samaritanis predicasset post mortem Stephani, baptizavit eos, quia diaconis etiam propter necessitatem, si sacerdos defuerit, licitum est baptizare.<sup>50</sup> Sed quia ipse Philippus potestatem ligandi et solvendi non acceperat, neque a Christo neque ab apostolis, id est non erat in sacerdotio consecratus, ideo non habebat potestatem tradendi Spiritum Sanctum per impositionem manuum. Ideo Petrus et Iohannes apostoli ad Samariam missi sunt ab aliis apostolis, qui baptizatis imposuerunt manus

---

<sup>47</sup> Act. 19, 1-5 : factum est autem (...) ut Paulus (...) inveniret quosdam discipulos, dixitque ad eos si spiritum sanctum accepistis credentes, at illi ad eum sed neque si spiritus sanctus est audivimus, ille vero ait : In quo ergo baptizati estis ? Qui dixerunt in Iohannis baptisate, (...) his auditis baptizati sunt in nomine domini Iesu.

<sup>48</sup> Act. 19, 6.

<sup>49</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 235<sup>C-D</sup>) : sic enim scribitur i. ; a., factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, et inveniret q. ; d., dixitque ad eos, s. ; s. accepistis credentes, at illi dixerunt ad eum, sed n. si spiritus sanctus est audivimus, ille vero ait : In quo ergo baptizati estis ? Qui dixerunt Iohannis baptisate, dixit autem Paulus : Iohannes baptizavit baptismum penitentiae populum, dicens, in eum qui venturus est post ipsum crederent, hoc est in Iesum, his auditis, baptizati sunt in nomine domini Iesu, e. ; m. Paulus, v. ; e., et loquebantur linguis et prophetabant.

<sup>50</sup> cf. Act. 8, 5-12 : Philippus autem descendens in civitatem Samarie predicabat illis Christum, (...) cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei et nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres.

tamquam sacerdotes sive episcopi, per quorum orationem credentes Samaritani acceperunt Spiritum Sanctum.<sup>51 52</sup>

3. Sed si ab aliis apostolis missi sunt ad alium locum Petrus et Iohannes apostoli, quid obest Marciali quod Petrus a Roma in Aquitaniam illum misit ? Quid, inquam, obest illi ut non sit apostolus, sicut contentiosi garrunt, eo quod Petrus misit illum ? Immo quod verius est, Dominus misit illum. Iubente enim Domino per Petrum missus, legationem apostolatus suscepit in extremum terræ. De quo etiam legitur in Historia actuum eius quia Valeriam<sup>53</sup> virginem sponsam Stephani, qui principatum regni apud Galliam post Neronem optinebat, una cum Susanna<sup>54</sup> matre eiusdem virginis baptizavit. Et orans pro eis Dominum imposuit illis manus, et repletæ sunt ambæ Spiritu Sancto.<sup>55</sup> Si enim mulieribus tradidit Spiritum Sanctum, profecto et viris tradidit. Qui autem Spiritum Sanctum tradebat credentibus tamquam apostolus, qua ratione non erat apostolus ?

4. Certe eo vivente, non impletum est quod ait Ambrosius Mediolanensis episcopus : « Decessis, inquit, apostolis ex hoc seculo, qui vice eorum in eorum sedibus substituti erant apostoli vocabantur ; minores autem sacerdotes, qui eis subditi erant, episcopi simul et presbiteri vocabantur. »<sup>56</sup> Sed cum illi qui erant in loco

<sup>51</sup> Act. 8, 14-17 : cum autem audissent apostoli qui erant Hierosolymis quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum et Iohannem, qui cum venissent oraverunt pro ipsis ut acciperent spiritum sanctum, (...) tunc inponebant manus super illos et accipiebant spiritum sanctum.

<sup>52</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 235<sup>D</sup>-236<sup>A</sup>) : Item in alio loco : Cum audissent apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum domini, miserunt ad eos Petrum et Iohannem, q. cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent spiritum sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu, tunc imponebant m. super illos et accipiebant s.

<sup>53</sup> Valérie, fille de Suzanne et fiancée d'Étienne (III s.).

<sup>54</sup> Susanne, mère de Valérie (III s.), et « *nobilissima matrona* » de Limoges (*Vita Martial. II X*).

<sup>55</sup> *Vita Martial. II X* : eam (sc. Susanna) ; Valeria ; orante.

<sup>56</sup> cf. ISID., *Orig.* VII 12, 21 : ideo autem et presbyteri 'sacerdotes' vocantur, quia sacrum dant, sicut episcopi, qui licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent ; quia nec chrismate frontem signant, nec paracletum spiritum dant, quod solis deberi episcopis lectio actuum apostolorum demonstrat.

apostolorum, qui Dominum viderant, qui signa et prodigia fecerant, viderent se apostolos vocari nec posse facere signa, nec se habere virtutem illorum precedentium apostolorum, qui mortuos resuscitaverant et multis miraculis choruscaverant, ideo infirmitatis suæ conscii grave sibi existimavere nomen apostolorum. Qua de re communi consilio pertractantes dividerunt inter se hæc nomina, ut ipsi quidem non ultra apostoli vocarentur, quia non habebant virtutem apostolorum, sed tantum pro apostolis vocarentur episcopi ; minores vero sacerdotes sibi scilicet subditi, qui antea episcopi simul et presbiteri dicebantur, non ultra episcopi sed tantum presbiteri vocarentur ; qui autem vices episcoporum in apice pontificatus causa relevandi oneris instituerentur, corepiscopi, id est secundi episcopi, dicerentur. Et hæc causa est, quod hodieque episcopi tantum episcopi, presbiteri vero tantum presbiteri vocantur. Unde constat hanc consuetudinem, humana potius quam divina institutione dispositam.

5. Hoc vobis ideo memorandum putamus, fratres, ut de Marciale apostolo nullum scisma, nulla dissensio inter vos ab aliquibus extraneorum possit germinare, quem ita scitis esse per omnia apostolum Christi, ut ab ipso potestatem ligandi et solvendi cum reliquis apostolis acceperit, omniumque scientiam linguarum cum reliquis apostolis ibi perceperit, ubi Spiritus Sanctus in die Pentecosten in igneis linguis apparens super eos sedit, sicut Historia actuum eius, de qua dubitare nefas est, satis explanat.

---

*cf.* BEDA, *In Luc.* III 10 : Sicut duodecim apostolos formam episcoporum exhibere simul et premonstrare nemo qui dubitet, sic et hos septuaginta duos figuram presbiterorum, id est secundi ordinis sacerdotum, gessisse sciendum est ; tametsi primis ecclesie temporibus, ut apostolica scriptura testis est, utriusque presbiteri utriusque vocabantur episcopi, quorum unum sapientie maturitatem, aliud industriam cure pastoralis significat.

*Nos recherches chez Ambroise de Milan et chez l'Ambrosiaster sont restées infructueuses ; cette citation est-elle vraiment empruntée ?*

## [VII]

1. Simulque ob eam causam memoravimus hæc vobis, ne miremini quod episcopi tantum frontem baptizatorum chrismate consignant, et ut sciatis quia sicut cætera baptismatis sacramenta per sacerdotes visibiliter fiunt, et per Deum invisibiliter consecrantur, ita nimirum et Spiritus Sancti gratia per impositionem manuum et ministerium episcoporum baptizatis traditur.
2. Hoc enim docet sedes apostolica Romana, quæ omnes difficiles questiones Ecclesiæ semper iudicio suo definire et terminare debet, ut in Niceno concilio constitutum est,<sup>57</sup> quia presbiteri licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent.<sup>58</sup> Et hoc solis [fol. 70v] pontificibus deberi<sup>mm</sup> ut vel consignent, vel paraclitum Spiritum tradant, Romana sedes illam auctoritatem assumit, una cum ecclesiastica consuetudine, ubi superior lectio Actuum apostolorum asserit Petrum et Iohannem ab apostolis esse missos, qui iam baptizatis traderent Spiritum Sanctum.<sup>59</sup> Presbiteris autem sive absentibus sive presentibus episcopis baptizare, et baptizatos chrismate in cerebro unguere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, nec tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis cum tradunt Spiritum paraclitum.<sup>60</sup>
3. Tamen Cartaginense concilium, ubi interfuerunt episcopi numero ducenti quattuordecim, constituit propter periculum mortis licere presbiteris chrismate baptizatos signare in fronte. Sic enim scriptum habetur in capitulo sexto : Chrismatis consecratio et reconciliatio poenitentium, absque periculo mortis, vel consecratio virginum a presbiteris non fiat.<sup>61</sup>

<sup>57</sup> Concile de Nicée (325).

<sup>58</sup> cf. ISID., *Orig.* VII 12, 21.

<sup>59</sup> cf. Act. 8, 14-15.

<sup>60</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 236<sup>A-B</sup>) : denique sciendum est q. ; e. fidelibus t. vero p. ; h. autem h. ; v. signent v. ; t. non solum consuetudo e. demonstrat verum etiam s. illa l. ; e. directos q. ; p. nam s. ; c. non t.

<sup>61</sup> *Conc. Carth.* II, 3 (p. 13) : chrismatis confectio et puellarum consecratio a presbyteris non fiat, vel reconciliare quemquam publica missa presbytero non licere, hoc omnibus placet ; sic *PL*, 99 (col.

## ¶VIII

1. Debetis autem interesse in cæna Domini apud istam sedem omnes vos<sup>mm</sup> de nostra diocesi presbiteri, ut simul<sup>oo</sup> cum episcopo chrisma benedicatis. Sic enim scriptum est in ordine Romano quia chrisma benedicit tam dominus papa quam omnes presbiteri, hoc est in circuitu altaris omnes presbiteri adstantes, cum domno papa manibus dextris elevatis, quamdiu a papa benedictio funditur, et quando papa signum crucis facit, eodem modo et presbiteri omnes super chrisma signum crucis faciunt.<sup>62</sup> Solus vero papa balsamum manu propria in oleum conficit; solus papa in consecratione ter halat in chrisma. Presbiteri autem omnes cum eo verbis et manibus consecrant; oleum quoque cum ipso pontifice presbiteri conficiunt. Et quia eo die Christus primo sacrauit corpus et sanguinem suum in pane et vino in salutem mundi, ideo eo die chrisma conficitur, ideo iuxta ipsum corpus Domini, postquam consecratum est, et super ipsum altare chrisma consecratur.
2. Providete autem, dilectissimi, ut tunc, sicut et quando ad sinodum convenitis, unum de vobiscum commorantibus presbiteris unusquisque apud ecclesiam propriam dimittat, ne vacuæ sint<sup>pp</sup> ecclesiæ a divino officio, ne populus sine pastore maneat, neve quis ex vobis commissis aut sine penitentia aut sine viatico aut inbaptizatus moriatur in ipso intervallo quo ad caput ecclesiæ convenitis !
3. Cur autem paraclitus Spiritus septiformis dicatur, qui ab episcopis traditur ad baptizatos, in<sup>qq</sup> alia sinodo diligentius vobis disseremus, quia in longum iam locutio protracta est presens. Non enim illud paucis comprehendi potest verbis.

---

1020<sup>p</sup>).

<sup>62</sup> cf. *Ordo Rom.* 1, 31 (col. 952<sup>B-C</sup>): tunc pontifex (...) intrat in consecrationem chrismatis excelsa voce, sed antequam benedicatur, insufflat ter in ampullam. Qua expleta, benedicit ampullam olei ordine quo supra delatam, et similiter halat in ipsam, sed tacite. Ampulla autem que cum chrismate est, statim ut benedicta fuerit, cooperitur, ut a nemine nuda videatur, sed tenente eam acolytho, omnes eam per ordinem salutent, quam episcopus et diaconus prius nudam salutant. Hoc expleto, ablutis manibus pontifex venit ante altare, et communicat omnis populus ordine suo, et servat de Sancta usque in cratisnum.

4. Nunc dicendum quia omnes quos ex aqua et Spiritu Sancto regeneratis, mox corpore Domini pasci et sanguine eius potare debetis. Etiam si parvulus lactans sit, saltem ex sanguine Domini quantulumcumque minimum ori eius infundite, ne forte absque sacramentis vivificis exeat a seculo. Ita enim baptizatus in Christo manet et Christus in eo, si iam solido cibo utens corpore pascatur et sanguine potetur Christi,<sup>63</sup> vel adhuc lacte utens ætas sanguine potetur vivifico mox baptismum, prestante baptizatis tanta sacramenta per vestrum ministerium domino nostro Iesu Christo, cui est gloria in secula. Amen.

---

<sup>63</sup> *cf.* Ioh. 6, 57 : qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.

## DE EUCHARISTIA.

### [[IX

1. Ad sinodum convenientibus vobis in unum, o Christi sacerdotes, oportet vos frequentius de sacramentis quæ per vos populo dispensantur instrui. Nunc de eucharistia, et de fide quam credentibus traditis, deque septiformi gratia Spiritus Sancti quam per confirmationem episcoporum baptizati accipiunt, vobis aliqua disseremus.
2. Eucharistia dicitur corpus et sanguis Domini, quod de altari tam vos quam populus per vos accipit.
3. Eucharistia interpretatur bona gratia, sicut evangelium sonat bonum nuntium.
4. Omnes baptizati, quamvis credant in fide catholica, nisi eucharistia confirmentur, in morte sunt, nec habent in se vitam. Sic enim ipse Dominus ait : « *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* »<sup>64 65</sup>
5. Hæc vita, vita æterna intelligitur esse. **Propter hanc vitam adipiscendam** omnes credentes accipiunt baptismum, et Domini corpus et sanguinem sumunt in pastu et potu. **Quia nemo potest in Domini corpus transire, nisi his altaris sacramentis consecretur.** **Sic enim Dominus ait : « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et qui manducat meam carnem et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in illo. »**<sup>66 67</sup>

---

<sup>64</sup> Ioh. 6, 54.

<sup>65</sup> cf. THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 239<sup>B</sup>) : que et ante secula a Patre ineffabiliter genita est, et in fine seculorum carnem nostre salutis causa dignata est accipere, quam carnem fidelibus suis edendam tribuit cum dixit : Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

<sup>66</sup> Ioh. 6, 56-57 : c. enim m. ; sic VL.

<sup>67</sup> THEODULF., *Bapt.* 18 (col. 239<sup>C</sup>) : a. et baptizatur, et eius carne pascimur, et eius sanguine potamur, q. nequaquam possumus i. eius c. ; s. imbuamur, s. ; e. ipse a.

6. Panem et vinum, de quibus hoc sacrificium verum et salutare est, Melchisedech rex Salem in Veteri Testamento, in tipo corporis et sanguinis Domini quem previdebat, offerebat super altare. In Novo autem, idem mediator Dei et hominum, antequam traderetur, adimplevit et constituit hoc verum sacrificium panis et vini, cum accipiens panem et calicem benedixit et tradidit discipulis suis, et eis hoc in sui commemoratione fieri precepit. Hoc sacrificium oblatum in misterioè sancta Ecclesia celebrat, quia illæ veteres hostiæ finitæ et relictæ sunt. Non enim sanguis hircorum aut vitulorum potest genus humanum salvare, sed proprius sanguis Christi salus est mundi. Ideo in sacrificio missæ panem offertis, quia Dominus ipse est panis vivus qui de cælo descendit, sicut ipse ait : « *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* »<sup>68</sup> Vinum cum pane simul offertis, quia Dominus est vitis vera, sicut ipse dixit : « *Ego sum vitis vera, et pater meus agricola est.* »<sup>69</sup> Et ad passionem accedens, panem et vinum discipulis tradidit in sacramento carnis et sanguinis sui. Itaque per visibilem vestram oblationem, et invisibilem Sancti Spiritus consecrationem, panis et vinum transeunt in tantam dignitatem ut corpus et sanguis Domini efficiantur.<sup>70</sup>

7. Et sicut de latere Domini aqua cum sanguine fluxit,<sup>71</sup> ita cum vino admiscetur aqua in calice. Quia sicut vinum quasi Christus est, ita et aqua velut populus est.

<sup>68</sup> Ioh. 6, 51-52.

<sup>69</sup> Ioh. 15, 1.

<sup>70</sup> THEODULF., *Bapt.* 18 (col. 240<sup>A</sup>) : e. enim s. ; s., quod et M. ; d. obtulit, et i. ; c., et benedicens eis, e. tradens d. ; s., hec i. ; h. ergo misterium sacrificii, derelictis ac finitis veteribus hostiis, e. ; c., offerens p. propter panem vivum q. ; v. pro eo qui d. ; v., ut p. ; v. sacerdotum o. ; i. corporis e. sanguinis d. transeant d.

<sup>71</sup> *cf.* Ioh. 19, 34 : sed unus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.



Vinum ergo et aqua inseparabiliter in calice miscentur, sicut sancta Ecclesia capiti suo Christo inseparabiliter iuncta cohæret.<sup>72</sup>

8. Et sicut tria fuerunt caro, aqua et sanguis in una Christi persona, sic in uno sacrificio altaris propter trinitatem tria offeruntur panis, aqua et vinum. Sicut hæc tria caro, aqua et sanguis verum Dei filium Deum et hominem ostenderunt in cruce, sic ista tria panis, aqua et vinum verum sacrificium dei et hominis Iesu Christi in altare ostendunt.

9. Morem ergo accipiendæ eucharistiæ a Domino traditum Ecclesia sancta tenet ut, cum ex aqua et Spiritu Sancto quis renascitur, corpore Domini et sanguine confortetur in pastu et potu, ut in corpore Christi traiectus et ille in Christo maneat, et Christus in eo, et istius cibi fortitudine roboratus, [fol. 71] sicut Helias in fortitudine cibi angelici pervenit ad montem Dei Horeb,<sup>73</sup> ita Christianus cibo dominico roboratus ad ipsum Christum perveniat, qui est mons domus Domini preparatus in verticem montium,<sup>74</sup> cuius dono ad æternæ beatitudinis gloriam accedit, ubi sacietur in bonis desiderium eius,<sup>75</sup> ut ait David : « Ego autem cum iustitia apparebo in conspectu tuo, saciabor cum manifestabitur gloria tua. »<sup>76 77</sup>

10. Ecce, venerabiles sacerdotes Dei, quod prudenter debetis audire, humiliter disserimus de fide catholica ; deprecamurque sanctitatem vestram ut de fide christiana nihil profundius quam quod apostolica traditione demonstratum est investigetis, ne forte dum plus iusto scrutari volueritis quod etiam angelis ipsis inscrutabile est de Deo,

<sup>72</sup> THEODULF., *Bapt.* 18 (col. 240<sup>A-B</sup>) : cui sanguini a. ; a., sive quia d. ; f., sive q., ut maiores intelligi volunt, s. per v. ; e. per aquam p. significatur, v. enim e. ; m., quia et e.

<sup>73</sup> III Reg. 19, 8 : cibi illius ambulavit (...) usque a.

<sup>74</sup> Mich. 4, 1 : i. vertice m. ; sic VL.

<sup>75</sup> Ps. 102, 5 : replet i. ; d. tuum ; VL : saciat.

<sup>76</sup> Ps. 16, 15 : a. in i. a. conspectui t. ; c. apparuerit g. ; sic VL.

<sup>77</sup> THEODULF., *Bapt.* 18 (col. 240<sup>B-C</sup>) : d. pascatur, e. s. eius potetur, u. ; c. traiecto, e. ; e., ut i. ; r., exemplo Elie veniat usque a. ; c. videlicet, q. ; m., et eius d. ; g. peraccedat, u. ; e., et cum propheta dicere possit.

in hæresis blasphemias<sup>rr</sup> incidatis.<sup>78</sup> De talibus nimis de Deo investigantibus, scriptum est : *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur ab ea.*<sup>79</sup>

---

<sup>78</sup> THEODULF., *Bapt.* 18 (PL 105) col. 240<sup>C</sup> : E. vir venerabilis, q. ; p. iussisti, h. implevi, deprecans s. ; u. cum de his interrogationibus altiores responsiones inveneritis, illis adhibitis, istas non reiiciatis, dummodo apostolica auctoritate omnia sunt probanda, et que bona sunt retinenda.

<sup>79</sup> Prov. 25, 27 : o. a gloria.

## &lt;De Symbolo&gt;

## []X

1. Recta autem fides christianismi in Simbolo perfecte constat. Simbolum est<sup>80</sup> quod vos Credulitatem soletis appellare, eo quod ibi totum dicitur quid credere debeamus. Et si quis non omnia quæ ibi scripta sunt crediderit, vere christianus non est, nec licet bonis operibus niteat, salvus esse non poterit. Pro fide vivimus, pro fide Deo placemus, sicut scriptum est : *Iustus ex fide vivit.*<sup>80</sup> Et item : *Sine fide, impossibile est placere Deo.*<sup>81</sup>

2. **Simbolum** grece **interpretatur** in lingua nostra ‘commune consilium’, et ‘placitum bene initum’, quod dicitur ‘**conlatio**’, vel ‘**indicium**’, id est ‘**intersignum**’.<sup>82</sup>

3. Sancti apostoli quippe antequam separarentur per diversas provincias mundi ad predicandum, dum in Hierosolim multociens essent congregati in unum, tenebant frequenter concilium inter se, ipsi videlicet duodecim<sup>u</sup> cum aliis qui cum eis erant apostolis, et senioribus atque levitis, ceterisque fratribus. In quibus conciliis hoc breve Simbolum inter se statuerunt, ut ab omnibus credentibus memoriter teneri posset. Statueruntque communi consilio ut, ubicumque alter ab altero divisi corpore essent, hanc fidem docerent, ut una vox, unum consilium, una doctrina illis esset omnibus, et omnis quicumque sic credere se profiteretur de societate illorum agnosceretur, quicumque vero aliquid ex hoc Simbolo respueret, quasi alienus a societate et fide eorum, extraneus a vera christianitate haberetur.<sup>83</sup>

---

<sup>80</sup> Gal. 3, 11.

<sup>81</sup> Hebr. 11, 6 : f. autem i. ; sic VL (BEDA, *Hom.* 2, 8).

<sup>82</sup> THEODULF., *Bapt.* 6 (col. 226<sup>C</sup>) : quod s. latine i, vel signum, v.

<sup>83</sup> cf. THEODULF., *Bapt.* 6 (col. 226<sup>C-D</sup>) : Quod autem omnes pari fidei sinceritate corde retinebant, ore confessi sunt, et singuli proprias sententias conferentes, symbolum, id est totius fidei collationem, ediderunt. Discessuri enim ab invicem normam future predicationis in commune statuerunt, ne localiter ab invicem discedentes diversum aliquid vel dissonum predicarent.

4. Prævidebant enim per Spiritum Sanctum, multas hæreses aliquando per totum orbem pullulandas, quæ veram Christianitatem falsis dogmatibus conturbarent. Nam Paulus apostolus, qui longe post ascensionem Domini apostolus factus est, propter hoc Simbolum retinendum ad alios apostolos in Hierosolim ascendit, sicut ipse ait : « *Ascendi Hierosolimam secundum revelationem, et contuli cum illis Evangelium quod predico in gentibus, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.* »<sup>84</sup> Si enim contra hoc Simbolum vel quippiam doceret, in vanum laboraret ; in hoc enim Simbolo, tota Evangelii perfectio continetur.<sup>85</sup>

---

<sup>84</sup> Gal. 2, 2 : a. autem s. ; g. seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse n.

<sup>85</sup> cf. VEN. FORT., *Expos. symb.* 1 (PL, 88, col. 345-346).

## [XI]

1. Et quia communi consilio Petrus et ceteri apostoli hanc fidem statuerunt tradendam gentibus, ideo hæc lectio brevis grece ‘**simbolum**’ dicitur ; ‘**conlatio**’ vero, **quia** hoc placitum bene concordatum est inter ipsos apostolos ; ‘**indicium**’ autem, **quia per hanc** lectionem brevissimam, cognoscitur omnis homo verus esse christianus, hoc est vere credere in fide recta sicut crediderunt Petrus et ceteri apostoli.<sup>86</sup>
2. Si ergo aliquando aliquem inveneritis, qui non in omnibus ita credat sicut hæc Credulitas pronunciat, vel si unum verbum ex hac Credulitate contradixerit, scitote eum nullomodo esse de vera Christianitate Christi, immo esse filium perditionis et hæreticum, et quasi a colubro sic fugite ab illo, nisi forte potueritis eum ad istam veram Credulitatem perducere vestra exhortatione, et talem a finibus vestris eliminate et hic in sinodo coram episcopo publice omnibus innotescite seductiones eius !<sup>87</sup>
3. Vestrisque plebibus crebro suadete ut, si quem invenerint eos interrogantem quomodo credant vel quam fidem teneant, mox dicant ei hanc Credulitatem, et dicant ita se firmiter credere, etsi sit necesse pro hac Credulitate et fide animas suas in mortem ponere, sicut martires sancti ante nos fecerunt ! Si vero ille hanc fidem in aliquo verbo contradixerit, sciant esse illum de nuntiis Antichristi, et mox eiciant eum a se nullamque eis humanitatem impendant, etiam si viderint eum miracula facere ; potius comprehendant talem, et vobis deducant, vos autem archidiacono<sup>uu</sup>, et ille episcopo eum reddat.

---

<sup>86</sup> THEODULF., *Bapt.* 6 (col. 226<sup>C</sup>) : q. in eo apostoli omnem fidei integritatem contulerunt ; p. id indicatur fidei integritas, signum, quod eo bene retento et intellecto fideles ab infidelibus discernuntur.

<sup>87</sup> cf. FULG. RUSP., *Fid.* 87.

## [XII]

1. Hoc Simbolum cotidie bis oportet vos recitare et omnibus credentibus, id est mane et vespere, hora prima et completorio, sicut constitutum est, in secretis autem orationibus vestris frequenter dicere : hoc enim fundamentum fidei est. Vestrisque plebibus predicate, in orationibus suis frequenter hanc Credulitatem ex corde et ore proferre, et cotidie non minus quam bis recitare, id est mane dum surrexerint, et clauso die dum sopori se dederint !
2. Maiorem vero Credulitatem, quæ in concilio Constantinopolitano<sup>vv</sup> concordata est, ubi adfuerunt episcopi numero centum quinquaginta,<sup>88</sup> omnibus dominicis diebus ad missas post Evangelium publice recitate, similiter in Natale Domini et Theophania<sup>ww</sup> atque Ascensione !<sup>89</sup> Quam maiorem Credulitatem in tempore Theodosii maioris dictatam,<sup>90</sup> quam greci sicut et latini frequentant omnibus dominicis diebus, hæc brevis Credulitas a Petro et aliis apostolis dictata comprehendit, nisi quod illa longior est propter hæreticos, ista brevior propter omnes laicos, ut eam memoriter tenere etiam omnes parvuli et rustici atque idiotæ valeant.<sup>91</sup>
3. Quam Credulitatem simulque Orationem dominicam nisi quis dicere noverit, quasi non homo sed pecus est, quia nescit Deum rogare neque confiteri, ideoque nec devotus Christianus estimandus est. Talisque facile a nuntiis Antichristi subverti poterit a Christianitate. Talis nullomodo ad catezizandum neque ad baptizandum neque ad confirmandum tenere aliquem debet, quia has duas brevissimas locutiones dicere

---

<sup>88</sup> Concile de Constantinople (381).

<sup>89</sup> *cf. infra Sermo in conc. I 2, 5.*

<sup>90</sup> Théodose I, empereur (379-395).

<sup>91</sup> *cf. THEODULF., Bapt. 7 (col. 228<sup>A-B</sup>)* : Quia ergo parvuli, necdum ratione utentes, hec minime capere possunt, oportet ut cum ad intelligibilem etatem pervenerint doceantur, et fidei sacramentis, et confessionis sue mysteriis, ut ea veraciter credant et diligenti cura custodiant. Confessionem suam plane diximus, quia quamvis illi necdum loqui possint, pro illis et confitentur et loquuntur qui eos de lavacro fontis suscipiunt. Nec immerito dignum est, ut qui aliorum peccatis obnoxii sunt, aliorum etiam confessione per mysterium baptismatis remissionem originalium percipiant peccatorum.

non novit, hoc est autem *breviatum verbum*, sicut ait propheta, quod *Dominus fecit super terram*.<sup>92</sup> Alia oratio opus non est cuilibet idiotae quam Oratio dominica, nec alia confessio<sup>xx</sup> fidei quam hoc Simbolum.<sup>93</sup>

4. In Oratione dominica, orationes et petitiones omnes concluduntur, in Simbolo apostolorum omnis vera fides comprehenditur. Tam brevis est Oratio, quam ipse Dominus docuit nos orare, ut non plus quam septem<sup>yy</sup> versiculi in ea sint, ad numerum septem donorum Spiritus Sancti. Tam breve est Simbolum apostolorum, ut non plus in eo sint quam duodecim<sup>zz</sup> breves distinctiones, ad numerum duodecim apostolorum.<sup>94</sup>

---

<sup>92</sup> Rom. 9, 28 : *verbum breviatum faciet dominus s.*

<sup>93</sup> *cf.* THEODULF., *Bapt.* 6 (226<sup>D</sup>) : *Decentissimum namque et utile erat, ut quibus erat anima una et cor unum in domino, et quos sancti spiritus afflatus vegetabat, unius etiam fidei confessio exornaret. Nec enim dirimi in aliquo vel poterant vel debebant, qui unius fidei vinculo nectebantur. Plerique interea verbum abbreviatum per Isaiam prophetam, in simbolo et oratione dominica intelligi volunt.*

<sup>94</sup> *cf.* THEODULF., *Bapt.* 6 (col. 226<sup>D</sup>-227<sup>A</sup>) : *In altero enim fidei, in altero precum continetur integritas, ut et in duodecim verbis duodecim apostolorum doctrina, et in septem petitionibus omne contineatur quidquid ad presentis et future vite pertinet dispensationem. Quamvis etiam totius doctrine verbum dici possit abbreviatum, quia quod prius lex et prophete continebant in latitudine preceptorum, veniens dominus pronuntiavit et dixit : Diliges dominum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis, et proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet et prophete. In quo evidenter prophetas et legem duobus his sermonibus breviat.*

## [XIII]

1. [fol. 71v] Sicut sunt septem<sup>aaa</sup> dona Spiritus Sancti, ita in Oratione dominica sunt septem petitiones. Quam Orationem, si vestris libuerit animis, alia sinodo exponemus per singula vobis.<sup>95</sup> Sicut autem sunt duodecim<sup>bbb</sup> apostoli notiores, quibus omnibus est una doctrina cum aliis quoque apostolis qui extra duodenarium numerum sunt, ita in hoc Simbolo sunt duodecim distinctiones, omnibus rectæ fidei regulis concordantes, omnemque Christianitatis fidem summa brevitate comprehendentes.
2. Diligentes<sup>ccc</sup> sane animadvertere vestram fraternitatem volumus ut, quandocumque esse duodecim<sup>ddd</sup> apostolos auditis, non ita suspicetis quasi duodecim tantum apostoli fuerint, et nullus alius extra illos duodecim, sicut nec suspicari debetis duodecim<sup>eee</sup> solos esse prophetas, et nullum alium, neque solos duodecim esse patriarchas, et neminem alium.
3. Verum sicut duodecim<sup>fff</sup> prophetæ memorantur, eo quod sibi in prophetiis copulati seorsum sint, et sicut duodecim patriarchæ dicuntur duodecim filii Iacob, eo quod unius societatis<sup>ggg</sup> propriæ sibi seorsum sint, ita duodecim apostoli commemorantur, eo quod una speciali dignitate primi seorsum electi, una copulatione seorsum sibimet iuncti sunt. Ipsi soli cum Domino discubuerunt, ipsis pedes Dominus lavit, ipsis proprie secreta verborum suorum crebrius tradebat. Ideoque ipsi proprie seorsum predicatorum esse coeperunt post adventum Spiritus Sancti, hoc est Petrus cum undecim<sup>hhh</sup>.
4. Cæterum et alii septuaginta<sup>iii</sup> duo qui post illos a Domino electi sunt, quibus dictum est : « *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* », <sup>96</sup> quibus etiam dictum est : « *Beati oculi qui vident quæ vos videtis* », <sup>97</sup> nomen et officium apostolatus simili modo sicut et duodecim congruentissime tenent. Sana ergo regula ecclesiastica

<sup>95</sup> cf. *infra Sermo de orat.*

<sup>96</sup> Luc. 10, 16.

<sup>97</sup> Luc. 10, 23.



est, omnes illos fuisse apostolos confitendum, qui de genere Israël secundum carnem Domino in carne adhæserunt, et eius in carne discipuli post ascensionem eius per diversas mundi partes predicatorum eius fuerunt.<sup>98</sup>

5. Quid etiam de Paulo ? Nonne ipse persecutus est Ecclesiam Dei post Domini ascensionem, et tamen, quia de genere Benjamin predicator Domini factus est, apostolus effectus est, licet ipse se dixerit *minimum apostolorum, quia persecutus sit Ecclesiam Dei* ?<sup>99</sup>

6. Marcialis denique, qui Aquitanos ad Christum convertit, quomodo non est apostolus per omnia, cum de tribu Benjamin secundum carnem fuerit, cum predicator Domini postea fuerit, utpote qui in discipulatu Christi permansit, et ab ipso potestatem ligandi et solvendi cum reliquis apostolis acceperit, sicut historia eius aperte docet ? Videtis, fratres, in eo per omnia apostolicam dignitatem, in eo videlicet quod cum reliquis apostolis a Domino benedici meruit, quando *elevatis manibus benedixit eis et ferebatur in cælum*.<sup>100</sup> Si enim Petrus consecrasset eum in episcopatu, historia eius hoc idem non taceret, quæ non tacet eum a Petro fuisse baptizatum, nec tacet eum die ascensionis Domini cum reliquis apostolis a Domino consecratum.

7. Sacerdotii enim sive episcopatus aliam benedictionem sancti apostoli non habuerunt, præter eam qua Dominus *elevatis manibus benedixit eis et ferebatur in cælum*.<sup>101</sup> Et sicut duodecim<sup>iii</sup> apostoli dicti sunt sessuri super duodecim sedes in regeneratione, ita duodecim tribus Israël dictæ sunt iudicandæ ab eis.<sup>102</sup> Sed sicut non

<sup>98</sup> cf. AUG., *Cons. evang.* I 1, 1 : cuius primi predicatorum apostoli fuerunt, qui dominum ipsum et salvatorem nostrum iesum christum etiam presentem in carne viderunt, (...) inposito sibi euangelizandi munere generi humano adnuntiare curarunt.

cf. Rom. 11, 1 : dico ergo numquid reppulit Deus populum suum absit nam et ego Israhelita sum ex semine Abraham tribu Benjamin.

<sup>99</sup> I Cor. 15, 9 : minimus a. qui non sum dignus vocari apostolus quoniam p. sum e. ; VL : quia.

<sup>100</sup> Luc. 24, 50-51 : elevatis manibus suis benedixit eis ; (...) et ferebatur in celum.

<sup>101</sup> Luc. 24, 50-51 : elevatis manibus suis benedixit eis ; (...) et ferebatur in celum.

<sup>102</sup> cf. Matth. 19, 28 : dico vobis quod (...) in regeneratione (...) sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israhel.

solum illæ duodecim<sup>kkk</sup> tribus, sed etiam omnes gentes iudicabuntur, ita non solum duodecim sed etiam alii apostoli iudicabunt cum sanctis perfectis.

8. Ideo hoc memoramus, ut de Marciale nullum scisma, nullus tumultus, nulla contentio neque dissensio sit inter vos, quem absque dubio apostolum Christi per omnia scimus, credimus et confitemur, fructumque apostolatus eius Aquitaniam totam videmus.

9. Scitote autem Hebionitarum hæresim esse, quæ non recipit præter duodecim<sup>lll</sup> apostolos, occasionem sui erroris nacta propter illud quod ait Dominus : « *Nonne vos duodecim elegi ?* », <sup>103</sup> quasi dixerit : « Vos<sup>mmmm</sup> solos duodecim, et nullum alium elegi », vel quasi mendax videatur esse Lucas, qui narrat et alios septuaginta duos esse a Domino electos !<sup>104</sup> Similiter Arriana hæresis non recipit filium Dei esse æqualem Patri, occasionem nacta propter illud quod Dominus ait : « *Pater maior me est.* »<sup>105</sup>

10. Certissime itaque tenete quia, si alii quidam sunt apostoli præter duodecim<sup>mmn</sup>, ergo Marcialis, doctor primus Galliæ, absque dubio apostolus est ! Si vero nulli alii sunt apostoli nisi tantum duodecim<sup>ooo</sup>, ergo Paulus, qui plus omnibus laboravit,<sup>106</sup> apostolus non est, quod dictu nefas est ; ergo Lucas de septuaginta duobus mentitus est,<sup>107</sup> quod cogitare mortiferum est. Confidimus autem in domino Iesu quod, qui contentiones inter vos de Marciale apostolo generant,

Nil tradere docti, sicut ait quidam,

Sed tantum certare cati.<sup>108</sup>

<sup>103</sup> Ioh. 6, 71 : n. ego v.

<sup>104</sup> cf. HIER., *In Matth.* II 293 : nota quod primi apostoli salvatoris litteram sabbati destruunt adversum hebionitas, qui, cum ceteros recipiant apostolos, Paulum quasi transgressorem legis repudiant.

<sup>105</sup> Ioh. 14, 28.

<sup>106</sup> cf. I Cor. 15, 10 : abundantius illis omnibus laboravi non ego autem sed gratia Dei mecum.

<sup>107</sup> cf. Luc. 10, 1 : post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos.

<sup>108</sup> SEDUL., *Carm. pasch.* 1, 328-329.

In proximo est<sup>ppp</sup> nec tardat finis eorum et destructio malitiæ eorum, ut tollatur iniquitas de medio Ecclesiæ, et unitas et pax in omnibus ecclesiis permaneat, redactis ad nichilum omnibus contentiosis, repletis iniquitate et invidia.

11. Occasio ista loquendi fuerunt, fratres, duodecim<sup>qqq</sup> verba Simboli huius, in quibus tota hæresis excluditur, et omnis sapientia demonstratur, quibus indicatur omnis scientia veritatis, per quam possumus pervenire ad vitam æternam.

## [XIV

1. Est itaque prima distinctio : ***Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli et terræ.*** Hoc est : Deus in quem credimus, pater est domini nostri Iesu Christi secundum naturam. Et ante omne principium genuit sine matre filium suum ex se, sicut sol generat ex se splendorem suum. Et de illa generatione quæ fuit de Deo Patre sine matre, non debetis cogitare quomodo fuit, sed tantum fideliter credere. Incogitabilis enim est etiam ipsis angelis, et incomprehensibilis et inenarrabilis, sicut scriptum est : *Generationem eius quis enarrabit ?*<sup>109</sup>
2. Et vere credimus quia ipse Pater est omnipotens Deus, quia omnia quæ vult potest, et nihil cogitari potest quod ipse non possit, et quia ipse Pater Deus creavit et gubernat cælum et terram et cuncta quæ sunt in cælo et in terra.
3. Filium suum genuit per naturam, non creavit per gratiam, quia Deus **Pater numquam potuit esse sine filio suo,**<sup>110</sup> qui **est sapientia æterna Patris,**<sup>111</sup> *splendor gloriæ et figura substantiæ eius,*<sup>112</sup> quia *qui Filium videt, videt et Patrem.*<sup>113</sup> Et qui non credit in Filium, non credit in Patrem. Ideoque scitote de Sarracenis, qui dicunt se credere in creatorem Patrem, quia eo quod non credunt in filium Dei, nullomodo credunt in Patrem, quamvis putent se credere ! Sine filio enim numquam pater fuit, nec est, nec erit.
4. Et sicut Pater genuit filium suum per naturam, sic non genuit sed creavit nos et cælum et terram per gratiam suam. Et quia creavit cælum et terram, dicitur pater cæli et terræ, sicut ait ipse filius Dei : « *Confiteor [fol. 72] tibi, Pater domine cæli et*

---

<sup>109</sup> Is. 53, 8 ; Act. 8, 33.

<sup>110</sup> QUODV., *Hær.* 3, 59.

*cf.* AMBR., *Fid.* 1, 8, 20 : Ita nec filius sine patre, nec pater potest esse sine filio.

<sup>111</sup> IOH. SCOT., *Divis. nat.* III 679.

<sup>112</sup> Hebr. 1, 3.

<sup>113</sup> Ioh. 14, 9 : q. videt me v.

*terræ.* »<sup>114</sup> Ideoque ex Patre, omnis paternitas in cælis et in terra nominatur, quia omnis creatura ab ipso est creata.

5. Solus Dei filius non est creatus a Patre sed genitus, ideoque filius Dei non est creatura sed creator, quia ipse simul cum Patre omnia creavit. Numquam enim pater potuit esse sine filio. Et Spiritus Sanctus non est creatus a Patre et Filio, sed processit a Patre et Filio. Ideo Spiritus Sanctus non est creatura, sed creator simul cum Patre et Filio, quia Pater et Filius numquam fuerunt sine Spiritu Sancto. Et sicut sol, ex<sup>tr</sup> quo creatus est a Deo, numquam postea fuit sine splendore suo quem genuit, nec sine calore suo qui a sole et splendore processit, sic Deus Pater numquam fuit sine Filio suo quem genuit, nec sine Spiritu Sancto qui ab ipso Patre et Filio processit.<sup>115</sup> Ita sancta Trinitas semper est divisa in personis, sed a se indivisibilis.<sup>116</sup>

6. Et Deus Pater ideo dicitur esse pater noster, non quia nos genuit per naturam, sed quia nos creavit per gratiam. Et nos filii eius sumus non naturales, sed adoptivi. Ideo dicimus : « *Pater noster qui es in cælis sanctificetur nomen tuum* », <sup>117</sup> quia ipse pater domini nostri Iesu Christi creator noster est. Quomodo autem Spiritus Sanctus processit a Patre et Filio, nolite cogitare sed fideliter credere, quia sicut generatio Filii est incogitabilis, incomprehensibilis, inenarrabilis, et quam nullus alius novit nisi ipsa sola sancta Trinitas, sic processio Spiritus Sancti, qua processit a Patre et Filio, incogitabilis est et incomprehensibilis atque inenarrabilis, et quam nullus alius novit nisi ipsa sola sancta Trinitas !

<sup>114</sup> Matth. 11, 25 ; Luc. 10, 21.

<sup>115</sup> cf. *supra Sermo de chrism.* I 5.

cf. *infra Sermo de fide* XXVIII et XXXII 2.

<sup>116</sup> cf. EUSEB. GALLIC., *Hom.* 9, 63 : Nemo Deum a Deo separandum putet ; dividi lux a luce non potest. Sicut enim esse non potest sol sine splendore, vel ignis sine calore, vel immortalitas sine æternitate, vel virtus sine fortitudine, sicut, inquam, esse non potest vel ratio sine sapientia, vel veritas sine iustitia, vel bonitas sine misericordia, ita numquam Pater potuit esse sine Filio ; omnes enim istæ virtutes continentur in Filio.

<sup>117</sup> Matth. 6, 9.

7. Creavit autem Deus Pater omnipotens omnia bona, et nulla mala. *Non enim Deus creavit mortem, nec lætatur in perditione morientium.*<sup>118</sup> Malum et mendacium vel malicia non est a Deo creatum, sed inventum est a diabolo et malis hominibus. Omne enim mendacium ex diabolo est,<sup>119</sup> et *cum loquitur mendacium, de proprio loquitur.*<sup>120</sup>

8. Tamen propheta ait : *Ego Dominus formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum.*<sup>121</sup> Hic dicit ‘creans’, pro eo quod est ‘permittens’. Permittit enim Deus fieri quod non vult. Creare dicitur malum, quando permittit fieri, sicut ait propheta : *Si est malum in civitate, quod Dominus non fecit,*<sup>122</sup> id est permisit. Et item : *Quis est iste qui dixit ut fieret Domino non iubente, ex ore eius non egredientur bona nec mala ?*<sup>123</sup> Ex hoc intelligimus, nullum malum nobis venire posse, nisi Domino permittente. Nam et dæmones non ausi sunt in porcos intrare, nisi Dominus permisisset illis, sicut scriptum est in Evangelio.<sup>124</sup>

9. Diabolus quoque malus est, sed tamen Dominus creavit eum, sed bonum, non malum. Ipse enim diabolus in semetipso fecit superbiam, et qui erat bonus creatus seipsum fecit malum. Nam et hominem rectum Deus creavit, et ipse se infinitis miscuit malis. Nam et omnis creatura quæ nobis videtur esse mala, primum bona fuit creata a Deo, sed peccato nostro mala effecta est.

<sup>118</sup> Sap. 1, 13 : deus fecit m. ; perditione vivorum.

cf. PETR. CHRYS., *Serm.* 112, 26 : nemo sine piaculo existimat tam pium, tam bonum deum mortem creare potuisse.

cf. *Lib. sacram. Eng.* 2200, 1 : (deus) non vis mortem peccatorum, nec lætatur in perditione morientium.

<sup>119</sup> cf. HIER., *In Soph.* 3, 378 : omne mendacium de diabolo est.

<sup>120</sup> Ioh. 8, 44 : m. ex propriis l. ; sic VL.

<sup>121</sup> Is. 45, 7.

<sup>122</sup> Am. 3, 6 : s. erit m. ; n. fecerit ; sic VL.

<sup>123</sup> Thren. 3, 37-38 : o. altissimi n. ; e. nec mala nec bona.

<sup>124</sup> cf. Matth. 8, 31 ; Marc. 5, 12 ; Luc. 8, 32.

## [XV]

1. Secunda distinctio est : *Et in Iesum Christum filium eius, unicum dominum nostrum*. Sicut in Deum Patrem credimus, ita credimus et in filium Dei, quia ipse est verus Deus sicut et Pater, et æqualis per omnia Patri secundum divinitatem. Hunc versiculum commemoratis, in orationum fine dicentes : « Per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum ». Et credimus quia ipse est Iesus, hoc est salvator, qui *salvavit nos de manu mortis*.<sup>125</sup>

2. Hæc tria nomina, id est ‘iesus’ in hebreo, ‘sother’ in greco, ‘salvator’ in latino, unum sunt. Et Iesus proprium nomen est Domino secundum carnem, sicut unicuique vestro proprium est nomen illud quod accepistis in baptismo. Sic enim angelus Mariæ dixit : « *Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.* »<sup>126</sup> Item angelus ad Ioseph : « *Noli timere, Ioseph fili David, accipere Mariam coniugem tuam ! Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum, id est salvatorem. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* »<sup>127</sup> Et octavo die quo circumcisisus est Dominus secundum legem Moisi, imposuerunt ei parentes nomen proprium quod est Iesus.<sup>128</sup> Sicut enim Christiani imponunt nomen homini in baptismo, ita Iudei in circumcissione imponebant pueris suis propria nomina.

3. ‘Messias’ vero hebraice, et ‘christus’ grece, et<sup>sss</sup> ‘unctus’ latine unum sunt, sicut mulier Samaritana Domino dixit : « *Scio quia messias venit, qui dicitur christus.* »<sup>129</sup> Et Dominus respondit ei : « *Ego sum qui loquor tecum.* »<sup>130</sup>

<sup>125</sup> Dan. 3, 88 : n. (...) salvos fecit d. ; sic VL.

<sup>126</sup> Luc. 1, 31.

<sup>127</sup> Matth. 1, 20-21.

<sup>128</sup> cf. Luc. 2, 21 : postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur vocatum est nomen eius Iesus.

<sup>129</sup> Ioh. 4, 25.

<sup>130</sup> Ioh. 4, 26.

4. Et credimus quia Iesus Christus ipse est filius Dei, sicut Petrus dixit ei : « *Tu es Christus, filius Dei vivi* », <sup>131</sup> et quia unicus, hoc est unigenitus, Patris est. Tamen per gratiam appellare dignatus est in humanitate ‘fratres’ discipulos suos, quando<sup>ttt</sup> Mariæ Magdalenaë post resurrectionem suam ad monumentum dixit : « *Vade ad fratres meos, et dic eis : “Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum” !* » <sup>132</sup> Et item duabus mulieribus quæ adoraverunt eum, dum a monumento reverterentur, dixit : « *Ite, nunciate fratribus meis ut eant in Galileam, ibi me videbunt !* » <sup>133</sup> Item per gratiam appellat ‘fratres’ suos omnes qui voluntatem Dei faciunt. *Extendens enim manum in discipulos, dicebat : “Ecce mater mea et fratres mei ! Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror et mater est.”* <sup>134</sup>

5. Christus autem dicitur a chrisma quod in sancta Ecclesia constituit, et quia ille chrismate invisibili, hoc est Spiritu Sancto, unctus est verus rex et verus sacerdos, sicut scriptum est : *Unxit te Deus, deus tuus, oleo exultationis pre participibus tuis.* <sup>135</sup> Et ab eo nomine quo ipse dicitur Christus, nos appellamur Christiani, quia in Christum credimus, et chrismate sacro in baptismo et in confirmatione episcopi uncti sumus. Vos quoque sacerdotes, in consecratione sacerdotii, chrismate uncti fuistis in manibus, ut per Spiritum Sanctum, quod significat chrisma, cuncta sanctificentur quæ manus vestrae sanctificaverint. <sup>136</sup>

6. Et credimus quia ipse Dei filius est dominus noster, qui de dominatione diaboli per crucem et sanguinem suum nos liberavit. Itaque duos dominos non possumus habere, nec *duobus dominis servire*, <sup>137</sup> id est diabolo et Christo, quia in baptismo

---

<sup>131</sup> Matth. 16, 16.

<sup>132</sup> Ioh. 20, 17 : vade autem a.

<sup>133</sup> Matth. 28, 10.

<sup>134</sup> Matth. 12, 49-50 : d. suos dixit e. ; frater et soror.

<sup>135</sup> Hebr. 1, 9 ; Ps. 44, 8 : o. letitie p. consortibus t. ; sic VL.

<sup>136</sup> cf. supra *Sermo de chrism.*

<sup>137</sup> Matth. 6, 24 : nemo potest d.

Luc. 16, 13 : nemo servus potest d.



diabolo abrenunciamus, qui dura servitute nos premebat, et dominum elegimus nobis  
Iesum Christum, cuius *iugum suave est*, cuius *onus leve est*.<sup>138</sup>

---

<sup>138</sup> Matth. 11, 30 : i. enim meum s. ; o. meum l.

## [XVI

1. Sequitur tertia distinctio : *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine*. Credimus quia redemptor noster non est conceptus de Ioseph, sicut Iudei et hæretici blasphemant, sed [fol. 72v] de Spiritu Sancto, id est per administrationem et virtutem Spiritus Sancti, sicut *angelus ad Mariam dixit : « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. »*<sup>139</sup>
2. Et credimus quia de virgine natus est, et quia Maria mater Domini virgo ante partum, virgo in partu fuit, et post partum virgo permansit, et sicut virgo concepit, sic virgo peperit, et semper inviolata sola sine exemplo mulierum fuit : nulla enim alia si mater fuit, virgo fuit ; si virgo fuit, mater non fuit.<sup>140</sup> Sola mater Domini, et mater et virgo est.<sup>141</sup> Nullus autem quærat cogitare quomodo sine humana lege conceptus est Dominus in utero virginis, quomodo clauso utero virginis intravit in uterum, et clauso utero exivit in mundum, quia tanta res incogitabilis est, sed fideliter credenda.
3. Sunt qui cogitant Dominum eodem modo natum fuisse de virgine quo et alius homo nasci solet, sed cogitatio eorum talis est omnibus modis condempnanda. Credimus enim quia Dominus vere conceptus est, sed extra legem humanam, et ineffabiliter, tanto tempore quo et alius infans, portatus est in utero. Credimus quia *impleti sunt dies ut pareret* virgo mater eius,<sup>142</sup> et quia vere natus est Dominus de matre virgine, sed tamen ineffabiliter et incogitabili modo. Et sicut resurrexit a mortuis ineffabiliter, sic natus est de virgine ineffabiliter. Et sicut potuit resurgere de sepulchro

---

<sup>139</sup> Luc. 1, 35 : a. dixit ei, s. ; I. et q. ; sic VL.

<sup>140</sup> cf. PS. MAX. TAUR., *Serm.* app. 12, 8 (col. 868<sup>D</sup>) : Ecce ubi evidenter ostendit nobis quia sancta Maria semper virgo fuerit, virgo permanserit, virgo ante partum, virgo post partum ; concepit et virgo est, generat et virgo est, lactat et virgo est ; mater quippe esse potuit beata Maria, mulier esse potuit.

<sup>141</sup> cf. AUG., *Virg.* 6, 6 p. 240 : sola ergo Maria et spiritu et corpore mater et virgo, et mater christi et virgo christi.

<sup>142</sup> Luc. 2, 6.

clauso, sic potuit nasci de utero clauso. Quomodo enim erit vera prophetia quæ dicit : « Porta semper clausa intravit et egressus est princeps », <sup>143</sup> nisi quia sicut clauso utero ingressus est uterum virginis, ita clauso utero egressus est de utero virginis ?

4. Stultus est autem qui plus Iohanne Baptista comprehendere se putat. Iohannes enim quo *maior in natis mulierum nemo surrexit*, <sup>144</sup> nullomodo potuit comprehendere nec cogitare quomodo Dominus natus est de virgine. Ideoque dicebat : « *Venit fortior me post me, cuius corrigiam calciamenti non sum dignus solvere.* » <sup>145</sup> Calciamentum de mortuis animalibus fit. Ideo calciamentum Domini est assumptio mortalitatis nostræ ; et corrigia calciamenti est ligatura misterii dominicæ incarnationis. <sup>146</sup> Ac si diceret Iohannes : « Tam fortis et terribilis est ille qui natus est de virgine, ut ego eius precursor nullomodo valeam cogitare qualiter conceptus est et qualiter natus est. » Sed tamen vere de Spiritu Sancto conceptus est, et vere de virgine natus est verus deus et verus homo, sine peccato.

5. Ipsi etiam angeli comprehendere non possunt, neque nativitatem Christi divinam de patre sine matre, neque nativitatem humanam de matre sine patre. <sup>147</sup> Ambæ sunt mirabiles, ambæ incomprehensibiles et incogitabiles. <sup>148</sup> Itaque nihil aliud teneamus ex hac re inestimabili, nisi tantum vere credamus quia Dominus de Spiritu Sancto conceptus est, et per Spiritum Sanctum de virgine natus est. Et vere conceptus

<sup>143</sup> cf. Ez. 44, 2 : porta hæc clausa erit, non aperietur et vir non transiet per eam, quoniam dominus deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa ; *ib.* 46, 8 : cumque ingressurus est princeps per viam vestibuli portæ ingrediatur, et per eandem viam exeat.

cf. *postea* PETR. BLES., *Iud.* 12 (col. 840<sup>c</sup>) : ipsa enim est porta semper clausa, et tamen princeps ingreditur et egreditur per eam, sicut testatur Ezechiel.

<sup>144</sup> Matth. 11, 11 *et* Luc. 7, 28 : inter natos ; *sic* VL.

<sup>145</sup> Marc. 1, 7 : c. calciamentorum eius procumbens n. ; *sic* VL.

cf. *etiam* Is. 5, 27 : nec rumpetur corrigia calciamenti eius.

<sup>146</sup> GREG. M., *In evang.* 7, 3 : calceamenta ex m. a. fiant ; per c. vero assumpta mortalitas designatur.

cf. *etiam* BEDA, *In Luc.* I 3, 2417-2424 ; BEDA, *In Marc.* I 1, 183-190.

<sup>147</sup> cf. AUG., *Serm.* 189 (éd. G. Morin, p. 211) : generatio christi a patre sine matre, generatio christi a matre sine patre, ambæ generationes mirabiles.

<sup>148</sup> cf. AUG., *Serm.* 196 (*PL*, 38, col. 1019) : nativitates domini nostri iesu christi, duæ sunt, una divina, altera humana, ambæ mirabiles ; cf. *etiam ib.* 140 (*PL*, 38, col. 773).

est, et vere natus est sine peccato. Et sicut clauso monumento resurrexit, sicut **clausis**  
**ianuis ad discipulos intravit**, sic **clauso utero virginis** in mundum **venit**.<sup>149</sup>

---

<sup>149</sup> GREG. M., *In evang.* 26, 1 (SC, 141, p. 218) : v. exiit.

## [XVII]

1. Quarta Symboli sententia, sequitur : *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus*. Ideo commemorat Pontium Pilatum, qui a<sup>uuu</sup> Ponto provincia Pontius dictus est, quoniam ipse erat illo tempore dux in Iudea, ne in alium Iesum credamus, nisi in illum qui sub illius presidis tempore passus est. Ipse est Pilatus qui in passione Domini commemoratur, qui Dominum iudicans, *lavit manus suas coram populo dicens : « Innocens ego sum a sanguine huius iusti, vos videritis. »*<sup>150</sup>
2. Quando autem Dominus primum ductus est ad Pilatum, vexilla preliorum, quæ signiferi Romani ante pretorium tenebant, curvaverunt se tercio et adoraverunt Dominum. Et licet hoc evangelistæ non commemorent, invenitur tamen scriptum veraci testimonio, sicut et multa alia quæ<sup>vvv</sup> in Evangeliiis non leguntur.<sup>151</sup> Et hoc exemplum de signis gentilium adorantibus tercio Dominum, imitari videmus a catholicis veris in nonnullis civitatibus in die dominica palmarum, qui tercio signa et cruces curvant sibi invicem, congregatio ad congregationem, quasi Dominum adorantes gentiles propinquantem ad passionem. Quæ consuetudo tanto est dignior, quanto ad gentiles clementia Christi copiosior. Sicut enim signa victoriam premonstrantia curvata sunt<sup>www</sup> adorando Dominum, sic omnis potestas terrena regum et bellorum de Romanis et omnibus gentibus tunc iam prefigurabatur subiuganda imperio Christianorum<sup>xxx</sup>.
3. Credimus itaque in dominum Iesum Christum, quia propter nos passionem suscepit, secundum carnem, non secundum divinitatem. Nam secundum divinam maiestatem, impassibilis erat idem<sup>yyy</sup> dominus Iesus Christus. Et credimus quia crucifixus est, ut Crux sancta victoria sit nobis contra diabolum. Nulla enim arma bellorum diabolus timet, solum signum sanctæ Crucis formidat, et per signum crucis

---

<sup>150</sup> Matth. 27, 24 : *suas om. ; sic VL.*

<sup>151</sup> *cf. Évangile de Nicodème 1, 5.*

fugatur ab omni loco. Et ideo quia Dominus crucifixus est et in cruce mortuus est, adoramus crucem Domini, maximeque in ea die qua crucifixus est Dominus, id est in parasceve, generaliter omnis mundus crucem adorat, victoriam et passionem et mortem Domini.

4. Observate autem vos ab hæreticis diaboli ministris, qui blasphemant non debere adorari crucem, loquente diabolo in cordibus eorum : « Non vult, inquit, Deus meminisse crucem passionis suæ, sicut latro, a patibulo suspendii ereptus, non vult ultra videre trocleas suspensionis suæ. » Ideo ista loquitur diabolus per ministros suos hæreticos qui vocantur Manichei, quia in omni loco virtutem habet, nisi ubi viderit signum crucis.

5. Baptismus enim et sacramenta altaris et omnis Ecclesia per signum crucis sanctificantur et muniuntur contra adversarias potestates. Et sicut quilibet rex, victor de hoste suo, arma cum quibus hostem vicit delectatur sæpius videre pro signo victoriæ suæ, ita Dominus signum crucis, quæ est victoria eius, in gloria sanctæ suæ Ecclesiæ exaltare dignatus est. Per crucem enim omnia quæ sunt in cælo et in terra restaurata sunt, sicut ait propheta : *Levabit Dominus signum in nationibus, et congregabit dispersos Israël.*<sup>152</sup> Et item : « *Dicite in gentibus quia Dominus regnavit a ligno !* »<sup>153</sup> Nam et in die quando iudicabit Dominus mundum, apparebit signum crucis in cælo, in testimonio victoriæ Christi et gloriæ sanctæ Ecclesiæ suæ.

6. Nam et signa clavorum in manibus et [fol. 73] pedibus et latere Christi tunc iusti et iniusti cernent, ut salvati omnes sancti maiores ei gratias referant, quia cognoscunt se non aliter salvatos nisi per passionem eius. Et *videbunt* reprobi *in quem*

<sup>152</sup> Is. 11, 12 : i. nationes, e. c. profugos I.

<sup>153</sup> Ps. 95, 10 : a ligno *om.* ; *sic* VL.

*compunxerunt,*<sup>154</sup> *et plangent se super eum omnes tribus terræ,*<sup>155</sup> quia ille pro eis crucifixus est, in eum illi credere noluerunt, ut salvi fierent.

7. Nimirum Dominus non pro suis peccatis sed pro nostris crucifixus est, *qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius,*<sup>156</sup> et nulla culpa inventa est in eo, dicente Pontio Pilato Iudeis accusantibus : « *Ego nullam invenio in eo causam.* »<sup>157</sup> Sciebat autem quod per invidiam tradidissent eum Iudei, ita clamantes : « *Legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* »<sup>158</sup>

8. Ideo ubicumque diabolus signum crucis senserit fieri vel etiam nominari, confusus contremescit, quia mors Christi victoria mundi est, crux Christi gloria et perpetua defensio et triumphus Christianorum, securitas hominum et angelorum est. Per victoriam crucis, primus imperator Romanorum christianus Constantinus factus est christianus.<sup>159</sup> Idem constituit in memoriam victoriae suae ut per totum orbem omnis exercitus Christianorum in armis suis signum crucis haberent, quod in lanceis videtis. His enim signis armorum, exercitus Christianorum ab exercitu paganorum in bello discernitur.

9. Respuite etiam omnes illos hæreticos, qui dicunt nullam aliam crucem præter solam illam qua Dominus pependit debere adorari ! Qui cum Iudeis nos blasphemare solent, dicentes idolum et lignum nos adorare, dum videmur crucem et crucifixum adorare. Nos autem, sicut undecim discipuli videntes Dominum adoraverunt eum, sic cernentes crucem adoramus non lignum, sed Dominum qui in ligno pependit. Et videntes crucifixum, hoc est imaginem Domini pendentem quodammodo in ligno, non idolum sed Dominum qui crucifixus est adoramus. Illi discipuli ipsum Dominum

---

<sup>154</sup> Ioh. 19, 37 : q. transfixerunt ; sic VL.

<sup>155</sup> Apoc. 1, 7.

<sup>156</sup> I Petr. 2, 22.

<sup>157</sup> Ioh. 18, 38.

<sup>158</sup> Ioh. 19, 7.

<sup>159</sup> Constantin, empereur († 337).

videbant, ipsum et non alium adorabant, nos crucem heri ab artifice aliquo fabricatam, a sacerdote consecratam videmus, et non lignum ipsum, non aurum ipsum, sed Dei filium, cuius signum crux est, adoramus.

10. Filii prophetarum, videntes spiritum Dei requievisse super Heliseum, adoraverunt Heliseum, non tamen ipsum, sed Spiritum Sanctum qui in eo requiescebat.<sup>160</sup> Moises et Iosue adorabant coram arca Dei, non tamen lignum, non aurum quibus erat fabricata arca, sed Deum, qui eam iusserat fabricari in signo sanctæ Ecclesiæ futuræ, adorabant. Omnes filii Israël coram tabernaculo adorabant, Danihel in Babilone positus verso vultu coram Hierosolim et templo Domini adorabat, non tamen illi parietes, non ligna, non aurum, non aliam materiam templi vel tabernaculi vel civitatis, sed Deum, cuius invocatione nominis illa erant constructa, adorabant.<sup>161</sup>

11. Nos itaque ante crucem ligneam sive auream sive alterius materiæ prostrati, non adoramus creaturam, sed creatorem cuius signum et victoria videtur crux. Et ante imaginem crucifixi prostrati, non dicimus : « Adoramus te, imago aurea aut lignea aut argentea », sed dicimus : « Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi. » Nec dicimus : « Crucem istam auream sive ligneam adoramus, Domine », sed dicimus : « Crucem tuam adoramus, Domine. » Nam etsi ante ipsam quæ Dominum sustinuit crucem (si fieri posset<sup>zzz</sup>) adorando prostrati essemus modo, non lignum ipsum quod<sup>aaaa</sup> de terra prodiit, sed virtutem ipsius ligni, id est Dominum, qui in eo diabolum triumphavit, adoraremus. Et dum dicimus : « Crucem tuam adoramus, Domine », ostendimus nos Dominum ipsum quasi pendentem in cruce adorari.

<sup>160</sup> cf. IV Reg. 2, 15 : videntes autem filii prophetarum qui erant in Hiericho de contra dixerunt requievit spiritus Helie super Heliseum et venientes in occursum eius adoraverunt eum proni in terram.

<sup>161</sup> cf. Dan. 6, 10 : quod cum Danihel conperisset id est constitutam legem ingressus est domum suam, et fenestris apertis in cenaculo suo contra Hierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat confitebaturque coram Deo suo sicut et ante facere consueverat.



12. Et ipsam crucem non tamquam Deum, sed tamquam victoriam Dei adoramus<sup>bbbb</sup>. Nempe Andreas apostolus aliam vidit sibi preparatam crucem, et tamen, quasi ipsam crucem quæ sustinuerat Dominum vidisset, dicebat : « **Salve, crux quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris eius tamquam margaritis ornata, suscipe me discipulum eius qui pependit in te !** »<sup>162</sup> Nullam ergo crucem sive ligneam sive argenteam sive alterius materiæ adoramus et veneramur, nisi sub intentione illius crucis quæ Dominum sustinuit. Et illa crux preciosum lignum dicitur, non preciositate<sup>cccc</sup> naturalis arboris, sed misterio dominicæ passionis. Et sicut hospitibus lavando pedes in cæna Domini vel alio tempore, Christum in eis adoramus quem et suscipimus, vel sicut ante corpora apostolorum Petri et Pauli prostrati, non ipsos apostolos tamquam deum, sed in eis Deum cuius apostoli fuerunt adoramus, sic prostrati ante crucem, non ipsam materiam crucis, sed Deum cuius signum crux est adoramus.

13. Et ecclesiæ et altaria quæ sunt in honore sanctæ Crucis, in honore ipsius Dei et domini nostri Iesu Christi specialiter sunt. Et sanctorum iconæ venerationem a catholicis habent, non materia compositionis, sed invocatione nominum eorum quibus adscriptæ sunt. Sicut ergo ille serpens exaltatus in deserto, Domino iubente, hanc vim habuit ut percussi a serpentibus dum eum aspicerent sanarentur,<sup>163</sup> sic per orbem ubique signum crucis exaltatum virtute crucifixi omnes credentes a veneno diaboli salvat. Nulla ergo sanctificatio in toto mundo in ullum munimen contra diabolum nobis est, nisi per signum et virtutem crucis.

14. Itaque secundum catholicam fidem, sicut in omni loco Deum adoramus, ita in omni imagine crucifixi verum Dei filium veneramur et adoramus, et eius gloriosam passionem recolimus, videntes cotidie innumera miracula fieri per virtutem crucis. Et

<sup>162</sup> PS. GREG. M., *Resp.* (col. 814<sup>D</sup>).

*cf. Passio Andreae* (p. 24, 8).

<sup>163</sup> *cf. Num.* 21, 6-9.

sicut imago Cæsaris a nullo contempnebatur, quin fieret reus maiestatis, ita victoria crucifixi a nullo spernitur, quin sit per omnia infidelis et reus in conspectu Dei et sanctorum angelorum. Et quemadmodum multocius Iudei zelantes imagines crucifixi sive ligneas sive in pariete depictas lanceis vulnerarunt, et sanguis et aqua ex eis profluit tamquam quondam ex latere Domini, sic certum est in omni imagine crucifixi virtutem inesse, quæ credentes et adorantes salvat, insidias dæmonum fugat.

15. [fol. 73v] Sicut denique dominus noster Iesus Christus crucifixus est, et in cruce secundum humanitatem mortuus est, quando *inclinato capite tradidit spiritum*,<sup>164</sup> ita et sepultum eum credimus, ut sua sepultura sepulturas nostras sanctificaret. Et propter nos, homines, ista tota dignatus est suscipere, ut nos a peccato redimeret et de inferno liberaret, atque æternam nobis vitam condonaret. Nullus enim posset introire in regnum Dei, nisi ista omnia sustinisset pro nobis filius Dei.

---

<sup>164</sup> Ioh. 19, 30.

## [XVIII]

1. Sequitur quinta distinctio : *Descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis*. Credimus quia, sicut per humanitatem crucifixus et mortuus et sepultus fuit, ita secundum divinitatem descendit ad inferna, et ibi diabolum ligavit, et Adam atque patriarchas et prophetas, iustosque alios, ipsumque Iohannem Baptistam de inferno extraxit.
2. Scitis enim quia Iohannes antequam Dominus pateretur passus est, et sicut illum nunciaverat in mundo, ita nunciavit in inferno. Videte quantum necessaria fuit mors Domini et descensio in inferno, quia ille quo *maior inter natos mulierum nemo surrexit*,<sup>165</sup> in inferno tenebatur donec eum Dominus eruit !<sup>166</sup>
3. Post resurrectionem vero Domini, quicumque perfecti in sanctitate mortui sunt nullatenus tenti sunt in inferno, sed mox cælorum regna ingressi sunt. Sicut de Andrea et Iohanne et Marciale apostolis legimus quia cum splendore spiritum tradentes perrexerunt in cælum. Nam Marcialis et in splendore super septimplycem solem tradidit spiritum,<sup>167</sup> dicente Domino : « *Egredere benedicta anima, quia me secutus fuisti et parentes propter me dereliquisti, eris mecum in claritate sine fine !* » *Et in ipso splendore perrexit cum Domino in cælum.*<sup>168</sup> De aliis quoque sanctis legimus quia, mox ut de corpore exierunt, cælum penetraverunt. De iniustis vero neminem de inferno Dominus traxit, sicut nec in die iudicii liberabit impios, sed dicet illis : « *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis eius !* »<sup>169</sup>

---

<sup>165</sup> Matth. 11, 11 ; Luc. 7, 28.

<sup>166</sup> cf. I Cor. 15, 20 ; I Petr. 3, 19 ; Apoc. 1, 18.

<sup>167</sup> cf. Is. 30, 26 : lux solis erit septemplyciter sicut lux septem dierum in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui.

<sup>168</sup> *Vita Martialis. II XXVI* : quæ nullo clauditur ; simul cum omni.

<sup>169</sup> Matth. 25, 41 : discedite a me m. ; sic VL.

4. Credimus etiam quia, *facta preda in inferno, vivus exiit Dominus de sepulchro*,<sup>170</sup> ut sicut ipse *resurrexit a mortuis et iam non moritur*,<sup>171</sup> ita sciamus nos per eum resurrecturos in die iudicii.

---

<sup>170</sup> HIER., *Tract. in psalm. II 93<sup>b</sup>* (l. 88).

*cf. etiam* EUSEB. GALLIC., *Hom. app. 8*.

<sup>171</sup> Rom. 6, 9 : *resurgens ex m. ; sic VL.*

## [[XIX

1. Sexta divisio est: *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus iudicare vivos et mortuos.* Credimus quia videntibus discipulis suis, non solis undecim<sup>dddd</sup> sed etiam aliis omnibus, in ipsa carne in qua natus est et in qua passus est et in qua resurrexit, in ipsa victor ad cælos ascendit.
2. Unde errant qui putant solos undecim<sup>eeee</sup> discipulos ascensionem Domini vidisse, occasionem accipientes pro eo quod ait Marcus: *Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Iesus,*<sup>172</sup> non intelligentes quia Marcus brevitate studuit, et mox post Domini ascensionem dixit discipulos profectos predicasse ubique. Nihilque commemorat de adventu Spiritus Sancti.
3. Sed quod Marcus tacet, Lucas narrat quia plures ad ascensionem Domini adfuerunt. Ideo et in Prefatione Gregoriana, ipsa die ascensionis, commemoratis omnes discipulos Domini interfuisse ascensioni eius, sic dicentes: « **Post resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in cælum, ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes.** »<sup>173</sup> Nam sicut diversis horis ac diebus apparuit non solum undecim<sup>ffff</sup> sed etiam omnibus, sic non solis undecim sed etiam omnibus aliis discipulis cernentibus, ascendit in cælum, ut quanto plures fuerunt testes, tanto robustior his qui audituri erant esset fides.
4. Item in sermone quodam de ascensione Domini, Leo papa<sup>174</sup> sic ait: « **Beati apostoli omnesque discipuli, qui et de exitu crucis fuerant trepidi, et de fide resurrectionis ambigui, ita sunt veritate perspicua roborati, ut Domino in cælorum eunte sublimia, non solum nulla afficerentur iniuria, sed etiam magno gaudio replerentur.**<sup>175</sup> Et revera, magna et ineffabilis erat causa gaudendi, cum in conspectu

<sup>172</sup> Marc. 16, 14 : discipulis et Iesus om. ; sic VL (BEDA, *Hom.* 3, 63 ; GREG. M., *In evang.* 2, 29).

<sup>173</sup> *Sacr. Greg.* (col. 109) ; *Lib. sacram. Aug.* 779.

<sup>174</sup> Léon I, pape (440-461).

<sup>175</sup> cf. Luc. 24, 52 : et ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno.

sanctæ multitudinis supra omnium creaturarum cælestium dignitatem humani generis natura conscenderet. »<sup>176</sup>

5. Quæ dicta patrum nequaquam discrepant ab Historiæ veritate, quæ Marcialem interfuisse presentem ad ascensionem Christi, et benedictionem a Christo cum aliis apostolis meruisse narrat, sicut scriptum est : *Cum ascensurus in cælum eduxisset Dominus discipulos foras in Bethaniam, et elevatis manibus benediceret eis et ferretur in cælum,*<sup>177</sup> Marcialis benedici meruit cum eis, intrans cum illis et exiens, quousque die decimo Spiritum Sanctum in igneis linguis super se venientem vidit, et cum eis invincibilis testis de resurrectione Domini extitit.<sup>178</sup>

6. Hoc idem memoramus, ut refellamus contenciosos qui scandalum inter vos generare solent de Marciale,<sup>179</sup> quasi ille non fuerit presens ascensioni Christi, quasi eius Historia repugnare videatur evangelicæ historiæ. Nimirum certissime tenemus quia, sicut ille potestatem ligandi et solvendi cum reliquis apostolis a Domino acceperat in die resurrectionis, ita in die ascensionis et presens cum aliis apostolis fuit, et a Domino cum eis benedici meruit.

7. Credimus etiam quia, sicut ‘ascendit’ Dominus ‘ad cælos’, ita ‘sedet ad dexteram’, id est in gloria, ‘Dei Patris omnipotentis’. Cum auditis ‘dexteram Dei’, fortasse aliqui vestrum putant Deum habere dexteram partem corporis, sicut unusquisque nostrum habet, et quoddam tribunal mirifice compositum ex auro et gemmis et positum ad dexteram eius, et in eo sedere filium Dei. Sed talis cogitatio nihil est, quia terrena est. Nihil enim terrenum in Deo est.

8. Ipsi angeli non possunt cogitare figu-[fol. 74]-ram Dei sicut est, ita est forma Dei inestimabilis, et ultra omnem pulchritudinem excellens, dicente Iohanne : Deum

<sup>176</sup> LEO M., *Serm. 73*, 4 (*PL*, 54, col. 396) : beatissimi a. ; a. tristitia s. ; m. super o.

<sup>177</sup> Luc. 24, 50-51 : eduxit autem eos f. ; m. suis benedixit e. ; e. factum est dum benediceret illis recessit ab eis et ferebatur i.

<sup>178</sup> *Vita Martialis. II* II : c. aliis apostolis ; c. aliis apostolis ; t. resurrectionis christi.

<sup>179</sup> cf. Matth. 13, 41 et 18, 6-7.

*nemo vidit umquam,*<sup>180</sup> hoc est : Per similitudines intelligibiles multi Deum viderunt, sicut *Moyses facie ad faciem cum Deo loquebatur,*<sup>181</sup> tamen sicut est Deus in sua substantia, nemo eum vidit, nec ipsi angeli, qui semper vident faciem Patris, *in quem desiderant prospicere.*<sup>182</sup>

9. Deus enim *solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem,*<sup>183</sup> nec corporeus est, sicut ait ipse Dominus : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare.*<sup>184</sup> Est ultra omnem sensum forma eius, et ultra omnem intellectum. Et quia humana cogitatio non poterat erigere se ad contemplandam Dei formam, ideo filius Dei formam humanam de virgine natus dignatus est induere, ut in eius humanitate possemus intelligere deitatem eius, et in ipso intelligeremus Patrem et Spiritum Sanctum. Qui enim credit in Filium, credit in Patrem et Spiritum Sanctum. Unius enim substantiæ et unius æqualitatis sunt tres personæ, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

10. Dum autem legere auditis quia Deus *creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam,*<sup>185</sup> non de corpore, quod commune et simile est bestiis, sed de anima intelligite, quæ immortalitate et ratione et iustitia aliquid similis est creatori suo ! Christus vero, quando hominem assumpsit, non transmutavit deitatis suæ formam in humanam formam, sed humanam formam in sua divinitate assumpsit ineffabiliter. Et est verus deus et verus homo de duabus naturis, in una persona. Et dextera Dei, ipse est filius Dei. **Dextera Dei Patris non est corporea. Et nefas est de Deo sentire aliquid corporeum.**<sup>186</sup>

<sup>180</sup> Ioh. 1, 18 ; I Ioh. 4, 12

<sup>181</sup> Ex. 33, 11 : ad Moysen f. ; f. dominus l. ; sic VL.

<sup>182</sup> I Petr. 1, 12.

<sup>183</sup> I Tim. 6, 16.

<sup>184</sup> Ioh. 4, 24.

<sup>185</sup> Gen. 1, 26 : faciamus h. ; s. nostram ; sic VL.

<sup>186</sup> ISID., *Eccl. off.* I 33, 2 : d. autem p., ad quam idem filius sedere creditur, n. ; c., quod n.

11. Deus enim impassibilis est, nec secundum humanam speciem, nec secundum liniamenta corporum designatur. Ipsa anima nostra, quæ est in unoquoque nostro, non potest cogitari qualem formam, qualem magnitudinem habeat. In eo tamen quod corpus nostrum vivificat, et quod rationabilis et immortalis est, Deo aliquid similis est.<sup>187</sup> Deus enim ipsas animas vivere facit, Deus ultra omnem rationem rationabilis est, ultra omnem immortalitatem immortalitatis est. Quod si animas nostras, quæ intra nos sunt, quæ vivere faciunt corpora nostra, cogitare non possumus quomodo factæ sunt, et videre non possumus illas quando de his qui moriuntur exeunt, Deum, qui animas creavit, quomodo possumus cogitare qualis substantiæ et formæ est ?

12. Nam propter nos tam aperte dicit scriptura, ut intellegamus quia ‘sedet ad dexteram Patris’ – id est : in gloria Patris æqualis est – dominus Iesus Christus nunc, sicut erat antequam mundus fieret. ‘Dexteram Patris’ intelligite gloriam Patris, bonitatem Patris ! Sinister, id est malus et contrarius ; dexter, id est bonus et aptus. Sicut diabolus est totus sinister, id est malus et contrarius, ita Deus est totus dexter, hoc est bonus et delectabilis, quo delectantur angeli et archangeli et omnes sancti. Et ideo dicit scriptura quia ‘sedet ad dexteram Patris’, ut intelligamus quia eandem gloriam, eandem bonitatem, eandem potestatem habet æqualiter quam habet Pater, nec propter formam humanitatis nostræ et naturam minoratus est in sua deitate, quam habuerat ante omne principium.

13. Credimus etiam quia ‘inde’, hoc est de cælis, veniet ‘iudicare vivos’ – hoc est : qui vivi erunt in die iudicii per totum orbem, sicut et nunc sunt viventes qui hodie in mundo vivunt – ‘et mortuos’ – id est : qui mortui erunt ab initio mundi usque in illum diem. Tunc enim ad vocem filii Dei omnes mortui resurgent, et iudicabuntur. Nam vivi

---

<sup>187</sup> cf. CASSIOD., *Anim.* 4, 4 : anima autem hominis est, ut veracium doctorum consentit auctoritas, a deo creata spiritalis propriaque substantia, sui corporis vivificatrix, rationabilis quidem et immortalis, sed in bonum malumque convertibilis.



ad<sup>eggg</sup> iudicium, pro conditione carnis morientur, sed *in momento resurgent*,<sup>188</sup> sicut ait apostolus : « *Ipse Dominus in voce archangeli et in tuba Dei descendet de cælo, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera.* »<sup>189</sup>

14. Aliam intelligentiam cum ista habete : ‘Vivos et mortuos’, hoc est iustos et impios, iudicabit Christus. Sicut enim est vivus ad mortuum, sic iustus ad impium, quia iustus Deum habet, qui est vera vita, impius Deum non habet, et ideo vitam non habet. Veniet autem Dominus iudicare, sicut duo angeli in hora ascensionis eius dixerunt apostolis : « *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* »<sup>190</sup> Ergo nostra credulitas est quia ipse Deus et homo Dei filius, sicut *cum hominibus conversatus est in mundo*,<sup>191</sup> sicut numquam fuit aliquando sine Patre, ita veniet in gloria maiestatis suæ, cum angelis et archangelis, omnes homines iustos et impios iudicare, et *reddere unicuique secundum opera sua*.<sup>192</sup>

---

<sup>188</sup> I Cor. 15, 52.

<sup>189</sup> I Thess. 4, 16-17 : d. in iussu et i. ; o. domino i.

<sup>190</sup> Act. 1, 11.

<sup>191</sup> Bar. 3, 38 : i. terris ; *sic* VL.

<sup>192</sup> Apoc. 22, 12.

## ¶XX

1. Sequitur septima distinctio : *Credo in Spiritum Sanctum*. Sic intelligite : « Sicut perfecte credimus in Patrem et Filium, ita perfecte credamus in Spiritum Sanctum, quia ipse est verus deus sicut et Pater et Filius, et numquam fuit sine Patre et Filio, et eandem voluntatem habet, ipsamque omnipotentiam, quam Pater et Filius. » Et sicut in similitudine columbæ descendit super Dominum in Iordane,<sup>193</sup> sicut super apostolos in igneis linguis inlapsus est, eosque omnes linguas et omnem scientiam veritatis docuit, omnemque metum carnalem ab eis expulit, ut sine timore magnalia Christi predicarent, ita inseparabilis est operatione ab operatione Patris et Filii. Et sicut Filius a Patre genitus est ineffabiliter, sic Spiritus Sanctus a Patre et Filio non genitus sed procedens est ineffabiliter. Et sicut qui recte non credit in filium Dei, non recte credit in Deum Patrem omnipotentem, sic qui perfecte non credit Spiritum Sanctum esse deum verum, perfecte non credit in Patrem neque in Filium.
2. Et credimus quia tres personæ, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, in una sunt divinitate, et in una et æquali gloria, in una coæterna maiestate, et æqualiter absque dubio omnia possident, quia cuncta fecerunt æquali virtute, et æquali voluntate. Et propterea est unus Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, non tres dii sed unus deus, quia in Patre et Filio et Spiritu Sancto una est divinitas, una æqualitas, una gloria, una coæternitas, una maiestas, sicut Moises dixit : « *Audi Israël, dominus Deus tuus, Deus unus est !* »<sup>194</sup> Hic Moises trinitatem dixit et unitatem, ac si diceret : « Audi Israël, dominus Pater, Deus tuus filius Dei, Deus Spiritus Sanctus, unus est Deus ! »
3. Item Deus dixit ad Moisen trinitatem et unitatem : « *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob,*<sup>195</sup> *hoc nomen michi est, et hoc memoriale meum in*

<sup>193</sup> cf. Matth. 3, 16 ; Marc. 1, 10 ; Luc. 3, 22 ; Ioh. 1, 32.

<sup>194</sup> Marc. 12, 29 ; Deut. 6, 4 : d. noster, dominus u. ; sic VL.

<sup>195</sup> Matth. 22, 32 et Marc. 12, 26 : A. et d. ; I. et d. ; sic VL.

*æternum* », <sup>196</sup> ac si dicatur : « Ego sum unus Deus Trinitas, Deus Pater, quem adoravit Abraham, Deus filius Dei, quem adoravit Isaac, Deus Spiritus Sanctus, quem adoravit Iacob ; hoc nomen michi est, quia <sup>hhhh</sup> in trinitate sum unus Deus. » Et tercio nominavit ‘Deus’ propter trinitatem, et semel dixit ‘ego sum’ propter unitatem.

4. Item *Deus dixit ad Moisen* : « *Ego sum qui sum, et dices filiis Israël* : “*Qui est misit me ad vos.*” » <sup>197</sup> Semel dixit ‘ego’, [fol. 74v] et tercio dixit substantiale verbum ‘sum’ et ‘est’. Terciam personam verbi dixit ‘est’, quia in personis tribus non ipse est Pater qui Filius, non ipse est Filius qui Spiritus Sanctus est. Sed alius est Pater, alius est Filius, alius est Spiritus Sanctus. Unum tamen et idem est Pater, qui Filius et Spiritus Sanctus. Et sicut Deus ultra omne quod est vere solus est, et sicut cuncta quæ sunt ad comparationem Dei quasi non sunt, quia fuit aliquando quando non erant, et mutabilia sunt, ita est Pater in Filio, et Spiritus Sanctus in Patre et Filio. Et in hoc versu : « *Ego sum qui sum, et qui est misit me ad vos* », <sup>198</sup> sic aperte intelligimus trinitatem et unitatem, ac si dicatur : « Ego sum Deus Pater, qui sum in Filio, qui Deus est, et dices filiis Israël : “*Spiritus Sanctus, qui est in Patre et Filio, misit me ad vos*”. »

5. Similiter Iohannes apostolus tercio substantivum verbum posuit in trinitate dicens : *Dominus Deus omnipotens, qui est et qui erat et qui venturus est*, <sup>199</sup> quasi dicatur : « Deus Pater semper est, filius Dei semper erat, Spiritus Sanctus semper venturus est. »

6. Iudei vero Moisen non intelligunt dixisse trinitatem, ideo quia non credunt in filium Dei, qui natus et passus est et resurrexit. Nam David et omnes iusti Iudei, qui ante adventum Domini fuerunt, recte crediderunt in sanctam Trinitatem, quia credebant in filium Dei eo quod <sup>iiii</sup> quandocumque nasciturus esset de virgine et

<sup>196</sup> Ex. 13, 15 : e. in eternum, e. ; m. in generationem et generatione.

<sup>197</sup> Ex. 3, 14 : s., ait, sic d.

<sup>198</sup> Ex. 3, 14 : s., ait, sic dices filiis Israhel q.

<sup>199</sup> Apoc. 4, 8.

passurus et moriturus et resurrecturus, sicut nos credimus et scimus, quia iam ista in eo completa sunt. Numquam vero in sanctam Trinitatem recte credidit aliquis qui in incarnationem et passionem et resurrectionem Christi non credidit.

## [[XXI

1. Iam audite octavam distinctionem : *Sanctam Ecclesiam catholicam*. Sancta Ecclesia est sancta Christianitas. Non enim fabricam parietum aut tabularum, quæ construitur et destruitur et igne crematur, dicit sanctam Ecclesiam, sed ipsos omnes sanctos Christianos, qui per baptismum sancti sunt, qui catholicam fidem tenent corde et moribus. Et sicut domus in honorem Dei et sanctorum eius dedicatæ, ubi ad orationem Christiani congregantur, ubi baptismus et altaria sancta continentur, proprie ecclesiæ dicuntur, et nulla alia domus principum vel regum vel pauperum, quamvis venusta, quamvis honesta potest dici ecclesia, nisi sit consecrata Deo, ad opus Dei, ita differentia est inter congregationem Christianorum, qui veram fidem credunt, et inter congregationem Iudeorum, paganorum, Sarracenorum et omnium hæreticorum.
2. Congregatio Christianorum sancta Ecclesia catholica dicitur ; congregatio eorum qui sancti Christiani non sunt extra Ecclesiam dicitur. Ideo quos episcopi excommunicant, quos vos cum discretione excommunicatis, id est si culpa eorum sit, licet intrent cum aliis non excommunicatis in ecclesiam, tamen extra Ecclesiam sunt, quia de sancta catholica Ecclesia non sunt, quousque per satisfactionem reconcilientur, et redeant ad sanctam Ecclesiam, unde culpa sua proiecti fuerunt. Et sicut qui sine baptismo catholico moritur, non intrabit in regnum Dei, sic qui excommunicatus moritur, nullam societatem habet in illo seculo cum his qui salvi fiunt, quia propter suam culpam in presenti seculo de sancta Ecclesia proiectus est.
3. Catholica Ecclesia, hoc est generalis Ecclesia sive universalis, quia generaliter per universum mundum qui recte credunt, uno modo et una fide credunt. Sicut enim nos in Deum credimus, ita qui sunt in oriente et occidente, meridie et septentrione, ubicumque sint longe a nobis, si recte credunt, eodem modo ita credunt, et hanc

Credulitatem sive Simbolum sicut et nos sciunt et tenent. Qui ita non credunt, sicut in hoc Simbolo dicitur, catholici non sunt.<sup>200</sup>

4. Et ipsa Ecclesia universalis, quæ universalem Dominum recte credit, universaliter omnes ad se vocat, universalem doctrinam omnibus paganis, Iudeis, et hæreticis qui credere volunt ministrat, et omne peccatum quod per corpus et animam perficitur universaliter per totum orbem curat.

5. Credimus itaque in ‘sanctam Ecclesiam catholicam’, non ita ut ipsa sit Deus, sed domus et habitatio Dei, et quia omnes gentes et incredulos ad se universaliter convocat, ut credant in Deum sicut et ipsa credit, et omnes credentes ad Deum congregat secum sine aliqua invidia, incredulos autem et impios de sua societate expellit, quia partem cum Deo habere nolunt, et quia, ubicumque est congregatio fidelium qui recta fide credunt et voluntatem Dei perficiunt, ibi est ipsa Ecclesia catholica, et cum ipsa est Deus, sicut ipse dicit : « *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi !* »<sup>201</sup>

6. Et credimus quia sancta est ad aliquam similitudinem Dei, qui sanctus est, sicut ipse dixit : « *Sancti estote, quia ego sanctus sum dominus Deus vester !* »<sup>202</sup> Et Petrus ait : *Gens sancta, populus acquisitionis.*<sup>203</sup> Nulla enim alia gens vel congregatio sancta est, nisi tantum vera Christianitas quae sanctificata est in baptismo.

7. Societas hæreticorum non est catholica, hoc est universalis, sed particulosa et per partes divisa. Hæretici varie credunt, nec sibi concordant in sua credulitate. Una doctrina hæresis est illic, altera illic. Ecclesia autem catholica ubique per diversas linguas unam fidem habet ac servat.

---

<sup>200</sup> cf. ISID., *Eccl. off.* I 1.

<sup>201</sup> Matth. 28, 20.

<sup>202</sup> Lev. 19, 2.

<sup>203</sup> I Petr. 2, 9.

8. Ipsam sanctam Ecclesiam catholicam a Hierosolim Dominus per apostolos suos usque ad fines terræ dilatavit. Eandem Ecclesiam Petrus in Italiam, Marcialis in Galliam primi plantaverunt, et sua passione ornaverunt<sup>jjj</sup>. Petrus enim crucifixus est ; Marcialis, per Petrum a Domino iubente missus in Aquitaniam, licet gladium in morte non pertulerit, quia virgo fuit sicut Iohannes evangelista, sed tamen multa supplicia in corpore suo vivens a paganis pro Christi nomine et predicatione Evangelii pertulit, ipsamque sanctam Ecclesiam catholicam cum Stephano principe Galliarum moriens in pace reliquit.<sup>204</sup>

9. Ipsam sanctam Ecclesiam caeteri<sup>kkk</sup> apostoli, ubicumque per partes et provincias orbis predicaverunt, ubi signa apostolatus eorum remansit, a Hierosolim unde balsamus advehitur, ubi Dominus natus et passus est, et resurrexit, atque in cælos ascendit, verbo suo et signis plantaverunt, ut nullus possit pervenire ad Christum, nisi per sanctam Ecclesiam catholicam, nisi ei consocietur.<sup>205</sup>

10. Sicut vero apud nos Marcialis Domini discipulus, Petri condiscipulus, sanctam plantavit Ecclesiam, sic eius meritis confidimus eam usque in finem seculi roborari<sup>lll</sup>, et in futuro ad speciem divinæ visionis pervenire. Qui quanto a nobis habetur honoratior, per quem patres nostri omnisque gens Aquitanica creatorem Deum cognoscere meruit, tanto in Deum caritas nostra videtur copiosior, fides ardentior, spes devotior et fructuosior.

11. Non sic<sup>mmmm</sup> itaque in sanctam<sup>nnnn</sup> Ecclesiam catholicam sicut in Deum credimus, quia Deum credimus esse Deum salvatorem Ecclesiæ sanctæ catholicæ, Ecclesiam credimus esse domum et regnum Dei, ubi omnes sancti gaudio æterno perfruuntur.

---

<sup>204</sup> cf. *Vita Martial. II XI.*

<sup>205</sup> cf. *supra Sermo de chrism.*

## [[XXII

1. Nona distinctio Symboli est: *Sanctorum communionem*. Credimus quia communio sanctorum, hoc est sacra communicatio corporis et sanguinis Domini, omnes qui his digne participant salvat in vitam æternam. Ista communio sanctorum, hoc est sacramentorum, a vobis sacerdotibus cotidie celebratur in salvatione et redemptione generis humani, quando panem et vinum per invocationem Patris et Filii et Spiritus Sancti consecratis in corpus et san-[fol. 75]-guinem Domini, dicentes : « Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et prestas nobis, per ipsum et cum ipso et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria. »<sup>206</sup>

2. Hanc sanctorum communionem, omnes fideles omnibus dominicæ resurrectionis diebus communicantes accipere debent, qui<sup>oooo</sup> tamen digni sunt. Nam omnis homo seipsum probare debet, et sic sacramentorum communionem accipiat. Docente enim Marciale apostolo, eucharistiam nullus fidelium accipere debet nisi mundus.<sup>207</sup> Et sicut in eius Historia legitur, hæc ei erat consuetudo, quando sancta celebrabat, ut in hora sanctorum communionis levita clamaret : « Si quis non communicat, det locum ! »<sup>208</sup> Et si quis indigne accederet ad sanctorum communionem, apostolus omnes conscientias eorum Spiritu Sancto repletus videbat, et indignis temptationes quibus pulsabantur patefaciens, eos ad sancta accedere prohibebat. Et Paulus apostolus ait : *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.*<sup>209</sup>

<sup>206</sup> *Lib. sacram. Aug.* 1293-1294 ; *Lib. sacram. Eng.* 1767 ; *Lib. sacram. Gell.* 1944.

<sup>207</sup> *Vita Martial. II XXIII* : corpus christi non quisque.

<sup>208</sup> *cf. Vita Martial. II XXIII* : postquam a diacono ex more clamatum fuisset ut, si quis non posset communicare, ab ecclesia exiret.

<sup>209</sup> I Cor. 11, 29.



3. Credimus ergo quia per sanctorum communionem in Deo manemus et Deus manet in nobis, sicut ipse Dominus ait : « *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eum.* »<sup>210</sup> Quicumque ergo non credit per sanctorum communionem pervenire ad vitam æternam, totus per omnia hæreticus est. Ideo cavete ab hæreticis, qui dicunt nihil prodesse communionem sancti altaris !

4. Et sicut hæc sancta abnegant, ita baptismum, et crucem, et Ecclesiam abnegant, quia repleti sunt diabolo et nuntii sunt Antichristi, et seducere volunt oves Domini usque in damnationem æternam, sicut ipsi sunt damnati. Et ideo ut possint seducere christianos simplices profunditatem divinorum non intelligentes, fingunt se ieiunare, a cibis quos Deus creavit abstinere, nulli maledicere, pecuniam seculi relinquere, honores pro nihilo ducere, nuptias damnare, occulte tamen scelera turpissima perpetrant quæ nefas est dicere, et cunctas voluptates corporis more porcorum latenter inter semetipsos agunt.

5. Vos autem predicate assidue plebibus vestris quia quoscumque hæreticos deprehenderit, licet eloquentes, licet philosophos, licet quasi sanctos et miracula facientes, cum hac Credulitate sola possunt eos superare et revincere, ita ut si aliquid ex hoc Simbolo denegaverint, mox quasi stercorea repellant eos a se, nullamque societatem vel in cibo vel in potu, neque in aliqua elemosina cum eis habeant, neque cum eis habitent neque hospitentur, sicut ait apostolus Paulus : « *Quæ pars fideli cum infidele ?*<sup>211</sup> *Aut quæ societas luci ad tenebras ?*<sup>212</sup> *Nolite iugum ducere, id est nolite societatem habere, cum infidelibus !* »<sup>213</sup>

6. Et valde omnes caveant ne aliquid eis emant neque accipiant, si etiam ipsi eis gratuito dare voluerint. Solent enim quidam ex eis portare secum pulverem de ossibus

---

<sup>210</sup> Ioh. 6, 57 : i. illo.

<sup>211</sup> II Cor. 6, 15.

<sup>212</sup> II Cor. 6, 14.

<sup>213</sup> II Cor. 6, 14.

mortuorum hominum, et quasi propter medicinam aliquibus rusticis in cibo aut potu de ipso pulvere ministrant. De quo pulvere si quis aliquid sumpserit, statim obliviscitur veritatem Dei, et in amentiam versus fit eorum similis. Et ita seductus, in desperationem cadit, ut nec predicatione neque terrore neque amore, nullatenus ad sanctam catholicam Ecclesiam redeat ultra. Et a iudicibus secularibus christianæ dignitatis<sup>pppp</sup> nonnulli aliquando questioni subditi, potius eligunt supplicium mortis, quam salutem conversionis. Tanta vis diaboli est permissu divino, ut sicut martires pro defensione veritatis animas posuerunt, sic hæretici pro amore falsitatis intereant, et de morte corporum perveniant<sup>qqqq</sup> ad æternam mortem animarum.

### [[XXIII

1. Sequitur decimum comma : ***Remissionem peccatorum.*** Sicut credimus in Deum, sic credimus quia Deus est remissio omnium peccatorum nostrorum. Et sicut in baptismo remisit Deus nobis omnia peccata nostra quæ ante baptismum habebamus, sic propter poenitentiam remittit nobis omnia delicta quæ post baptismum committimus.

2. Et credimus quia Deus ita est misericors et naturaliter bonus, ut nullum peccatum tam pessimum perpetrari possit a nobis, quod non ipse clementissime<sup>214</sup> remittat nobis, si tamen confiteamur et remissionem a Deo speremus, sicut ait Iohannes apostolus : *Si confessi fuerimus peccata nostra, fidelis et iustus est Deus ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.*<sup>214</sup> Nullatenus autem catholicus est, qui non credit Deum posse remittere omnia peccata hominibus, si ea confessi fuerint ex toto corde. Nec poterit salvus esse aliquis, nisi Deum crediderit posse omnia peccata hominum minora et maiora delere.

3. Credimus quippe quia Deus ita est naturaliter misericors, ut in hora extrema aliquis ad mortem constitutus, si etiam vel tunc culpam suam ex toto corde clamaverit, procul dubio indulget ei Deus, si tamen catholicam fidem crediderit. Nam latro in cruce credens, in hora extrema indulgentiam meruit. Et Iudas traditor nisi desperaret, ad apostolatum suum reverti posset, sicut Petrus, qui negavit sed non desperavit, apostolatum suum recuperavit. Nam in cruce Dominus pro suis interfectoribus oravit dicens : « *Pater, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt !* »<sup>215</sup> Et Pontius Pilatus, qui Dominum iudicavit, et qui eum crucifixerunt, si reverterentur ad satisfactionem poenitentiae, procul dubio salvi fierent. Ille enim qui Dominum in cruce lanceavit,

---

<sup>214</sup> I Ioh. 1, 9 : s. confiteamur p.

<sup>215</sup> Luc. 23, 34 : P. dimitte i.

videlicet Longinus miles Romanus, quia ad poenitentiam reversus est, ita a Domino indulgentiam meruit, ut etiam martirio coronaretur.<sup>216</sup>

4. Videte, o sacerdotes, miserationem Domini, qui non unam sed plures vias in remissionem peccatorum constituit omnibus hominibus, ne quis peccator occasionem habeat subtrahendi semetipsum a regno Dei ! Quas vias remissionis ideo vobis dicimus, ut vestris plebibus hæc ipsa predicetis, ut cognoscat unusquisque in se bonitatem Dei inestimabilem.

5. De baptismo enim scitis quia omnia peccata præterita in eo laxantur. Post baptismum autem, sex viæ sunt, quibus remittit Dominus omnia peccata : id est poenitentia, martirium, indulgentia inimicorum, caritas, elemosina, conversio alterius per suam predicationem vel exemplum, vel per suum laborem.

6. In poenitentia est lacrimarum profusio, sicut Petrus lacrimis abluit negationem, et sicut ait propheta : « *Lavabo per singulas<sup>ssss</sup> noctes lectum meum.* »<sup>217</sup> Et quia pro lacrimis iniquitates ei remissæ sunt, ait : « *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem* – id est : Fugite a me, omnia peccata quæ gessi – *quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei !* »<sup>218</sup>

7. In poenitentia est afflictio cordis et corporis, sicut ait David : « *Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea !* »<sup>219</sup>

8. In poenitentia est emendatio morum, id est dimittere illa peccata quæ fecit, ne ultra faciat, sicut ait Isaias : « *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis ! Quiescite agere perverse<sup>ttt</sup>, discite benefacere !*<sup>220</sup> Et si fuerint peccata ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. »<sup>221</sup>

<sup>216</sup> cf. Évangile de Nicodème 16, 7.

<sup>217</sup> Ps. 6, 7.

<sup>218</sup> Ps. 6, 9.

<sup>219</sup> Ps. 24, 18 : d. universa delicta m.

<sup>220</sup> Is. 1, 16-17.

<sup>221</sup> Is. 1, 18 : p. vestra u.

9. In poenitentia est criminum confessio, sicut ait propheta : « *Dic tu iniquitates tuas prior, ut iustificeris !* »<sup>222</sup> Et si eru-[fol. 75v]-bescit hominibus confiteri aliquis quod turpissimum forte peccatum admisit, Deo tamen, quem nihil latet, in oratione sua confiteatur frequentius. Deus enim ita clemens est, ut sine improprio ac verecundiæ detectione, soleat homini indulgere, sicut propheta ait : « *Dixi, pronuntiabo adversum me iniustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* »<sup>223</sup>

10. Legimus etiam quia *per misericordiam et fidem purgantur peccata.*<sup>224</sup> Misericordia est in elemosinis,<sup>225</sup> fides est in dilectione Dei, vel in intercessione sanctorum, sicut ait apostolus : *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, id est non ad desperationem, petat pro eo, et dabit ei Deus vitam peccanti non ad mortem.*<sup>226</sup> Et item : « *Infirmatur quis in vobis, inducat presbiteros et orent super eum, et oratio fidei salvabit eum, et si in peccatis sit dimittentur ei.* »<sup>227</sup>

11. Igitur cum ipso baptismo, septem principales sunt viæ in remissionem peccatorum, sed his tantum qui secundum fidem catholicam credunt.

<sup>222</sup> Is. 43, 26 : narra si quid habes u. ; sic VL.

<sup>223</sup> Ps. 31, 5 : d. confitebor adversus m. ; m. iniustitiam meam d.

<sup>224</sup> Prov. 15, 27 (VL).

cf. Prov. 16, 6 : misericordia et veritate redimitur iniquitas.

<sup>225</sup> cf. Tob. 12, 9 : quoniam elemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata.

<sup>226</sup> I Ioh. 5, 16 : m. petet e. ; v. peccantibus n.

<sup>227</sup> Iac. 5, 14-15 : p. ecclesie e. ; e. unguentes eum oleo in nomine domini, e. ; s. infirmum et adlevabit e. dominus e.

## [XXIV

1. De baptismo dicit propheta : « *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, subauditur in baptismo.* »<sup>228</sup> Ac si dicat : « Beati sunt illi qui baptizati sunt, quia eis in baptismo omnia peccata dimissa sunt, ut si statim post baptismum moriantur ab hoc seculo, mox ad cælorum regnum libere perveniant. »
2. Et in Historia Marcialis legimus quia idem apostolus *baptizavit populum in nomine Domini, in remissionem peccatorum.*<sup>229</sup> In nomine Domini, id est catholico baptismo per invocationem sanctæ Trinitatis, quæ in divinitate unus dominus est, per quod baptismum catholicum remissa sunt illis paganis omnia peccata præterita cum originali. *Stephano* quoque regi Aquitaniæ, antequam *eum baptizaret, poenitentiam indixit* pro capitali crimine quod recens perpetraverat, scilicet *pro nece virginis et martiris* decollatæ Valeriæ.<sup>230</sup> Unde constat ab apostolis traditum ut, his qui robustæ iam ætatis veniunt de idolatria ad baptismum, poenitentia iniungatur antequam in fontem sacri lavacri eos inungat sacerdos.
3. Sicut autem sunt septem<sup>uuuu</sup> dona Spiritus Sancti, ex quibus principalibus donis omnes virtutes mediæ et optimæ procedunt, sic per has septem principales vias remissionum, omnes remissiones peccatorum oriuntur, et omnia peccata purgantur.

---

<sup>228</sup> Ps. 31, 1 ; Rom. 4, 7.

<sup>229</sup> *Vita Martial. II XI* : b. eos i. n. Patris et Filii et Spiritus sancti, i.

<sup>230</sup> *Vita Martial. II XIII* : e. baptizavit, ei p. indicens p. interfectione v.

## [XXV]

1. Secunda via remissionis post baptismum est poenitentia, sicut ait propheta :  
 « *Beati, quorum tecta sunt peccata, scilicet per poenitentiam abolita.* »<sup>231</sup> Et item de  
 poenitentia : « *Conversus sum in erumna mea, dum configitur spina. Delictum meum  
 cognitum tibi feci, et iniustitiam meam non abscondi.* »<sup>232</sup> In poenitentia sunt lacrimæ,  
 vigiliæ, labor, ieiunium, nuditas, solitudo, abstinentia ab ipsis licitis, confessio  
 criminum frequens<sup>vvvv</sup> coram hominibus, peregrinatio, exilium, plagæ virgarum,  
 silentium, stabilitas in uno loco,<sup>www</sup> oboedientia erga alios in duris rebus, fames, sitis,  
 paupertas, genuflexiones, prostrationes, asperitas vestium,<sup>xxxx</sup> et aliæ afflictiones et  
 contritiones cordis et corporis.

---

<sup>231</sup> Ps. 31, 1 : b. quorum remisse sunt iniquitates et q.

<sup>232</sup> Ps. 31, 4-5 : s. diapsalma, d.

## [XXVI]

1. Tercia via remissionis est per martirium. De hac remissione, ait propheta : « *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* »<sup>233</sup> Hoc est : « Beatus ille est, qui martirium pro Deo sustinet, quia pro martirio dimittuntur ei omnia peccata preterita. » Etiam si non fuerit baptizatus, si tamen pro Christo a persecutore interficitur, in sanguine suo baptizatur, sicut Emerentiana<sup>234</sup> virgo necdum baptizata, ad sepulchrum Agnetis<sup>235</sup> virginis paganos increpans, lapidata est ab eis. De qua non dubium, ut ait Ambrosius, quod in sanguine suo baptizata fuerit.<sup>236</sup>
2. Est martirium non solum illud quo a gladiatore quis extinguitur, sed etiam quo vivens tormenta a persecutoribus pro Christo perpetitur, sicut Iohannes apostolus et evangelista exilium et olei ferventis dolium passus est, qui tamen, licet in pace finierit vitam, martir a Domino vocatus est, quando illi et Iacobo fratri suo dixit : « *Potestis bibere calicem, id est passionem, quem ego bibiturus sum ?* »<sup>237</sup> Cui cum dicerent : « Possumus ! », ait Dominus : « *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram non est meum dare vobis.* »<sup>238</sup> Unde constat quia Iohannes, licet in pace finierit, martir tamen fuit, quia vivens martirium exilii et olei ferventis dolium, et cum aliis apostolis flagellatus contumeliam pro Domino sustinuit. Etiam si ista corporaliter non sustineret, tamen occulto martirio sine ferro martir esset, quia virgo omnem carnalem<sup>yyy</sup> concupiscentiam tamquam gladios persequentium superavit.

<sup>233</sup> Ps. 31, 2 et Rom. 4, 8 : n. inputabit d.

<sup>234</sup> Émérentienne, sainte, † 304.

<sup>235</sup> Agnès de Rome, sainte, † 303.

<sup>236</sup> Ps. AMBR., *Epist.* 1, 15 (col. 741<sup>B</sup>) : iuxta s. beatissime A. v. orans ; dubium est q. ; baptizata sit. = BHL 156.

<sup>237</sup> Matth. 20, 22.

<sup>238</sup> Matth. 20, 22-23 : m. et s.



3. Sic Marcialis, licet in pace finierit, tamen carceris et flagellorum martirium vivens sustinuit pro Domino, præter labores et pericula in quibus usque ad finem est conversatus.<sup>239</sup> Præter hæc etiam virgo fuit, unde et virginitas illi pro martirio reputatur ad palmam. Et divina voce per angelum docente, oportebat ut, sicut a concupiscentia carnis erat alienus, ita a dolore mortis esset extraneus.<sup>240</sup> Lucas etiam evangelista et Philippus et Mathias, licet in pace migraverint, tamen crucis mortificationem iugiter in suis<sup>zzzz</sup> corporibus pro divini nominis honore portaverunt viventes.

4. Hoc vobis ideo memoramus, ut sciatis quia sine ferro martires esse potestis, si occultas antiqui hostis persecutiones, si contumelias a proximis illatas perferitis<sup>aaaaa</sup>, si odientes vos diligitis, si virginitatem, si castitatem in vobismetipsis conservatis.<sup>241</sup> Nam etsi absque vestra culpa aliqui raptorum vos ferro vixerint, si in carcere tenuerint, si rapinam bonorum vestrorum fecerint, sicut multociens vobis ad sinodum venientibus perperam egerunt, vel quia eos iuste a nobis excommunicatos non recipitis ad divinum officium sicut nec debetis, ideo graves in vos iniurias exerunt, si etiam vos verberibus cædunt, si membris corporis truncatos reddiderint, si dum ista quis patitur in patientia Deo gratias agit, profecto corporale martirium vivens sustinet pro Christi nomine.

5. Si quis etiam infirmitate corporis vel longa vel brevi correptus, pro ipsa ægritudine patienter Deo gratias agat, profecto tale flagellum corporis pro martirio illi imputatur, ut etiam pro martirio huiusmodi peccata sua ei non imputentur. Nam et ipsos monachos in monasterii carcere sub suorum patrum arbitrio propter nomen Domini coercentes semetipsos, quia nec corpora sua nec voluntates habent in sua voluntate sed in alieno imperio, procul dubio martires occultos eos dicimus, sicut scriptum est : *Propter te mortificamur tota die, estimati sumus ut oves occisionis.*<sup>242</sup>

<sup>239</sup> cf. *Vita Martial. II XI.*

<sup>240</sup> *Vita Martial. II XV* : oportet u. ; c. carnali noscitur a. ; m. fiat e.

<sup>241</sup> cf. VOGÜÉ, « Martyrium in occulto... ».

<sup>242</sup> Rom. 8, 36 ; Ps. 43, 22 : m. omni d. ; s. sicut o.

[fol. 76] Et sicut crux a cruciatu dicitur, ita ipsi martires, id est testes passionum Christi, crucem suam cotidie in suis corporibus perferunt, frangentes in se et crucifigentes desideria et voluptates carnales.

## [[XXVII

1. Quarta via remissionis est indulgentia inimicorum, sicut dicitur : « *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris !* »<sup>243</sup> Et item : « *Si remiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater vester cælestis peccata vestra.*<sup>244</sup> *Quod si non remiseritis, nec pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra.* »<sup>245</sup>

---

<sup>243</sup> Matth. 6, 12 : n. dimisimus d.

<sup>244</sup> Matth. 6, 14 : s. enim dimiseritis h. ; c. delicta v. ; sic VL.  
cf. Marc. 11, 25.

<sup>245</sup> Marc. 11, 26 : s. vos n. dimiseritis, n. ; sic VL.  
cf. Matth. 6, 15.

## [[XXVIII

1. Quinta via remissionis est ardens caritas, hoc est dilectio Dei multa, sicut Mariæ Magdalenæ, non per aliam afflictionem sed per dilectionem Dei, remissa sunt peccata, dicente Domino : *Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.*<sup>246</sup> Non dixit quia ploravit multum, sed quia dilexit multum. De dilectione enim, lacrimæ fluxerunt. Et nisi Petrus Dominum diligeret, lacrimis negationem non lavaret. Et populo Hisræl pessimum<sup>bbbb</sup> peccatum dimissum est per Moisen, qui ita Dei dilectione ardebat ut diceret Deo : « *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti !* »<sup>247</sup> Cui Dominus : « *Dimisi iuxta verbum tuum.* »<sup>248</sup> De qua dilectione, ait Dominus : « *Si quis diligit me, diligetur a patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum.* »<sup>249</sup>

---

<sup>246</sup> Luc. 7, 47 : remittentur ei ; m. quoniam d.

<sup>247</sup> Ex. 32, 31-32.

<sup>248</sup> Num. 14, 20.

<sup>249</sup> Ioh. 14, 21 : qui autem d.

## ¶XXIX

1. Sexta via remissionis est elemosina, hoc est dilectio proximi, quæ descendit de dilectione Dei.<sup>250</sup> Sunt autem sex precipuæ elemosinæ in proximum, id est cibus, potus, hospitalitas, indumentum, visitatio, consolatio, sicut ait Dominus : « *Esurivi, et dedistis mihi manducare. Sitivi, et dedistis mihi bibere. Hospes eram, et collegistis me. Nudus, et operuistis me. Infirmus, et visitastis me. In carcere eram, et venistis ad me.* »<sup>251</sup>

2. Hæc sunt sex opera misericordiæ, eis quicumque ex fide et bona voluntate ad omnes pauperes et peregrinos et servos vel ancillas Dei faciunt. De quibus si quis causa paupertatis voluerit se excusare ne ea possit adimplere, si vel calicem aquæ frigidæ non potest vianti prebere, si ad infirmum causa visitationis non potest accedere, si dolentem non valet consolari, habeat saltem bonam voluntatem hæc faciendi si possit, et voluntas ei a Domino reputabitur in facto, sicut ab angelis clamatum est : « *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis !* »<sup>252</sup> Non dictum est ‘hominibus bona facientibus’, qui rebus abundantes elemosinas proximis facere possunt, sed ‘hominibus bonæ voluntatis’, id est : qui bona volunt videre, audire, facere, etiam si non possunt facere. Et psalmista ait : « *In me sunt Deus vota tua* », <sup>253</sup> id est : « In mea sola bona voluntate delectaris, tamquam si munera exteriora habeam, quæ tibi offeram. » De talibus elemosinis supradictis, ait Dominus<sup>cccc</sup> : « *Date elemosinam, et omnia munda sunt vobis !* »<sup>254</sup> Et item : « *Redemptio animæ viri propriæ divitiæ.* »<sup>255</sup>

<sup>250</sup> cf. Rom. 13, 10 : dilectio proximi malum non operatur.

<sup>251</sup> Matth. 25, 35-36 : e. enim e. ; e. collexistis m.

<sup>252</sup> Luc. 2, 14 : i. altissimis d. ; p. in h.

<sup>253</sup> Ps. 55, 12.

<sup>254</sup> Luc. 11, 41 : e. ecce o.

<sup>255</sup> Prov. 13, 8 : v. sue d.

3. Huius generis illæ sunt elemosinæ, dum ecclesiis et monasteriis terræ, villæ, vineæ et cæterae rerum possessiones exteriores<sup>ddddd</sup> a fidelibus conferuntur, dum vobis pro se fideles de rebus suis offerre solent, ut pro eis vel pro suis defunctis missas celebretis, et sicut in lege Moisi scriptum est, roget sacerdos Dominum pro eis, et dimittantur eis<sup>eeeee</sup> peccata.<sup>256</sup> Harum elemosinarum ad ecclesias exemplum ab ipsis apostolis traditum est, qui primi, ecclesias in Christi honore per diversas provincias in quibus predicabant fabricantes, fideles docuerunt de rebus suis ecclesias ipsas ditare, ut honor et cultus religionis in eis servaretur, et ipsæ ecclesiæ stipendia pauperum et peregrinorum Christi essent.

4. Quas elemosinas ecclesiarum a fidelibus datas, qui eas auferre aliquo pacto ab ecclesiis non timent, videte quantas poenas iudicii in animas suas exaggerant, quantum longe sunt a remissione peccatorum suorum, dum quod alii Deo optulerunt, illi rapiunt! Videte quanta est differentia inter Dei oblatores et raptores! Isti in Gehennam, illi in vitam æternam. Istis dicturus erit Dominus: « *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratur ab origine mundi! Esurivi enim et dedistis mihi manducare.* »<sup>257</sup> Illis, qui non optulerunt pauperibus de rebus suis, dicturus erit: « *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quia esurivi, et non dedistis mihi manducare!* »<sup>258</sup>

5. Quid, fratres, passuri erunt qui Deo non offerunt sed rapiunt, si illi qui non rapuerunt, sed tantum pauperibus non optulerunt, in ignem æternum deputabuntur? Et si illi qui alteri ecclesiæ rapiunt quod alteri ecclesiæ quasi elemosinam offerunt, Deum potius provocant ad iram quam placant, sicut scriptum est: *Qui offert ex substantia pauperis, quasi qui occidit filium in conspectu patris,*<sup>259</sup> et item: *Ego Dominus diligens*

<sup>256</sup> cf. Lev. 5, 10 : rogabitque pro eo sacerdos et pro peccato eius et dimittetur ei.

<sup>257</sup> Matth. 25, 34-35 : m. possidete paratum v. r. a constitutione m.

<sup>258</sup> Matth. 25, 41-42 : e. qui paratus est diabolo et angelis eius, e. enim e.

<sup>259</sup> Eccli. 34, 24 : o. sacrificium e. ; s. pauperum, q. ; q. victimat f. ; p. sui.

*iuditium<sup>ffff</sup>, et odio habens rapinam in olochaustum,<sup>260</sup> quanta poena plectuntur hi qui quod ecclesiis rapiunt, suis usibus distribuunt ?*

6. Et ut tantam auctoritatem de ecclesiis a fidelibus per elemosinam rerum exteriorum ditandis ab ipsis apostolis prolatam fuisse credatis, unum exemplum non piget proferre. Legimus enim quia beatus Marcialis, cum venisset in Aquitaniam missus a Domino et beato Petro, coepit predicare populis, et infra paucos dies multi crediderunt. Tunc mulieres nobiliores, quæ per eum crediderant, Susanna videlicet atque Valeria, in elemosina futuræ ecclesiæ in qua ipse sepeliendus esset, *multa et innumera beneficia auri et argenti, vinearum, terrarum, servorumque multitudinem contulerunt, ut ipsi servi in loco futuræ sepulturæ apostoli pro posse digna Deo exhiberent servitia.*<sup>261</sup> *Rex* etiam Stephanus *multa munera auri et argenti dedit apostolo, ut fabricaret exinde ecclesias in honorem Dei. Prædia simul ingentia et non parva beneficia cum vineis et vernaculis quantumcumque iure proprio habuit in provintia Lemovicensi tradidit illi, ut faceret exinde nobilitatem ecclesiarum quas esset fabricaturus, et suppleret omnem indigentiam clericorum qui in eisdem Deo essent servituri.*<sup>262</sup>

7. Sicut autem qui principatum regni habet rex est et rex iure vocatur, ita idem Stephanus licet non tunc honorem seculi reliquerit, factus ab apostolo christianus, tamen terreni regni potentia sublimatus, terrenum regnum ad cæleste regnum transmutavit, ut sicut hic transitorium, ita in futuro cum Deo regnans regnum possideret æternum. Ad quod regnum æternum sibi preparandum, precepto apostoli *iussit fieri hospitale pauperum, in quo omni die instituit<sup>ggggg</sup> trecentos pauperes alendos in elemosina martiris sponsæ suæ. Aliud quoque constituit hospitale pauperum pro se*

<sup>260</sup> Is. 61, 8 : i. holocausto.

<sup>261</sup> *Vita Martialis. II XII* : v. ac terre, servorum etiam m. contulit u. ; s. eius p.

<sup>262</sup> *Vita Martialis. II XIII* : dux m. ; d. homini Dei u. ; h. Domini ; q. habebat i. ; t. ipsi sanctissimo viro u. ; i. eis D.

et pro apostolo, in quo decrevit omni die pauperum colligi turbam ac refici numero sexcentorum.<sup>263</sup>

8. Item in dedicatione ecclesiæ quam apostolus consecravit in honore Dei et beati Petri propinqui sui, ubi precepto Stephani omnis multitudo Aquitanici regni advenit invitata, idem rex cum apostolo constituit qui cotidie ibidem Dei officium peragerent sacerdotes : [fol. 76v] Andream scilicet atque Hildebertum, quos apostolus a mortuis resuscitaverat, cum aliis triginta sex<sup>hhhhh</sup> clericis, qui assidue ibidem Deo omnipotenti deservirent. Quibus princeps christianissimus Stephanus ex suo reddito alimoniam constituit et vestitus copiam, ut absque indigentia conversantes, ibi in sanctitate viverent. Constituit et duodecim<sup>iiii</sup> custodes ad sacra, quibus etiam stipendiaria tributa largitus est.

9. Sed et pauperum hospitale iussit fieri, præter illa quæ supra iam instituerat, in quo recreandos cotidie pauperes Domini numero quingentos decrevit, et alimoniam victus quem cotidie sumerent de propriis terrarum suarum possessionibus dedit.<sup>264</sup>

10. Item de Archadio palatino principe Pictavensi, in eadem historia refertur quia causa resurrectionis filii sui, quem suffocatum in gurgite a dæmonibus resuscitaverat apostolus,<sup>265</sup> copiosa dona ex proprii iuris possessione contulit clericis basilicæ sanctæ sedis Lemovicensis, ex quibus supplementum haberent victus, et penuriam sublevarent vestitus.

11. Qua auctoritate sufficienter instruimur ut, sicut per apostolorum doctrinam, in primordio novæ predicationis, fideles de rebus suis elemosinas ecclesiis fecerunt in

<sup>263</sup> *Vita Martial. II XIII* : m. et virginis Valerie ; q. instituit h. ; e. beato viro Marciali.

<sup>264</sup> *Vita Martial. II XXII* : constituit beatus Marcialis cum Stephano duce in eadem basilica q. ; (...) Andream s. socium Aureliani et H. filium Arcadii comitis Pictavensis q. ipse a. ; Illis vero dux S. ; indigentia ac penuria alicuius rei sancte viventes conversarentur. Constituit etiam d. ; ad ecclesiam et vasa custodienda consecrata, q. et unde haberent victus et vestitus necessaria tribuit. Pauperum quoque h. ; quingentos suscipi precepit, e. ; victus unde haberent instituit.

<sup>265</sup> *cf. Vita Martial. II VIII*.



redemptione animarum suarum, ita et nunc fideles eadem imitari debent in remissionem peccatorum suorum, ut in eis impleatur illud : *Sicut aqua extinguit ignem, ita elemosina extinguit peccatum.*<sup>266</sup> Talis quippe presertim elemosina orat pro suo largitore, dum illius supplemento oratio ministrorum et laus Dei die noctuque in ecclesia agitur, ubi sanctorum intercessio est, quibus intercedentibus aliorum peccata dimittuntur, testimonio quo iam diximus.

---

<sup>266</sup> Eccli. 3, 33 : sicut *om.* ; i. ardentem, et e. resistit peccatis ; *sic* VL.

## ¶XXX

1. Septima autem via remissionis peccatorum est conversio alterius, per suam predicationem, vel per curam suam. Si enim quis sapiens in sermone maximum incurrerit peccatum in corpore, si tamen qui se<sup>iiii</sup> non potuit castigare ne corrueret, sermone autem suo alios de malo ad bonum convertat, remittitur ei a Domino peccatum suum pro salute alterius, quia Deus, omnes homines cupiens salvare, valde gratum habet si alius alium convertit ab errore, sicut ait Iacobus apostolus: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae salvabit animam eius a morte, et operit multitudinem peccatorum.*<sup>267</sup> Simili sensu ait propheta: *Si adnunciaveris impio ut convertatur a via sua mala, et ipse fecerit iudicium et iustitiam, ille vita vivet et non morietur; tu autem animam tuam liberasti.*<sup>268</sup>

2. Vobis ergo sacerdotibus hæc via maxime consilium salutis subministrat. Nam si quis nostrum criminale peccatum commiserit, si impossibile est ei alias remissionum vias ingredi, per hanc valet viam consequi indulgentiam, si revocaverit alios errantes, et illos salvat, et sibi acquirit remissionem de commisso. Proprias vero oves sibi ab episcopo commissas, si revocare neglexerit et aliqua earum perierit, etiam si in semetipso iustus est, perditio animæ quam revocare debuit, de manu eius requiretur.

3. In hac via remissionis sunt illi principes seculares, qui loca sancta sibi commissa erigunt, qui ex eis impias et negligentibus congregationes aut eiciunt et pios et sollicitos pro eis introducunt, aut ipsis negligentibus tales pastores preponunt, ut de impiis pii, de negligentibus solliciti in via Dei transmutantur. Tales principes seculares si in pessimum corruerint peccatum, si causa poenitentiae subditos, tam terrore quam amore, quam etiam exemplo et verbo, a pravitate ad rectitudinem converterint, vel

---

<sup>267</sup> Iac. 5, 20.

<sup>268</sup> Ez. 3, 19: s. autem tu a. ; i. et ille non fuerit conversus ab impietate sua et v. ; s. impia, i. quidem in iniquitate sua m. ; et Ez. 3, 21: s. autem tu a. iusto u. non peccet iustus e. ille non peccaverit vivens v., quia adnuntiasti ei, et t.

episcopis et pastoribus<sup>kkkkk</sup> sanctæ Ecclesiæ, ut subditos corrigant, adiutores extiterint, profecto alios dum ab errore viae convertunt, et eos salvant, et suorum consequuntur remissionem peccatorum.

4. Et conversi dum in corporibus suis virtutes possederint, aliosque ad viam veram coegerint, similes erunt illi a Deo electo principi, qui per apostolum conversus regni sui populos ad fidem unius Dei trahere iuvit : **Stephanus** enim supradictus, qui regni **principatum tenebat a fluvio Rhodanis<sup>llll</sup> usque ad mare occidentale**, et a regione quæ est citra Ligerim **usque ad montes Pirineos** (qui sunt divisio Galliæ et Hispaniæ),<sup>269</sup> primum in se, deinde in alios viam veritatis preparavit.

5. Postquam quippe a beato Marciale baptizatus est, ut scriptum est in Actibus beati Marcialis, tenuit castitatem, ut neque uxorem acciperet, neque alicuius feminæ copula pollueretur.<sup>270</sup> **Quarta et sexta sabbati, a vino et carnibus abstinebat. De alimentis sibi ad mensam allatis, antequam gustasset, decimam pauperibus distribuebat, semper elemosinis intentus erat. In iudicio sedens, nullius personam accipiebat. Pauperum, peregrinorum, viduarum, et orphanorum miserias relevabat. Christianos indigentes, dum ad baptismum venire vidisset, facultatibus suis ditabat. Sacerdotibus Christi et levitis atque aliis ordinibus ecclesiasticis, summam reverentiam exhibebat.**<sup>271</sup> Quater in anno, cum multitudine Christianorum, ad suum doctorem recurrebat.<sup>272</sup> **Sedulum cotidie Deo officium exhibebat.**<sup>273</sup>

<sup>269</sup> *Vita Martialis. II XII* : p. tenens a ; m. Oceanum, Vasconum atque Gothorum gentem regendi habens potestatem u. ; *cf. etiam ib. XVI* : Habebat enim iste dux, sicut iam diximus, principatum a fluvio Rhodani usque ad mare Oceanum, possidens omnem Ligerim regionem omnemque Aquitaniam, seu Vasconum et Gothorum gentes.

<sup>270</sup> *cf. Vita Martialis. II XVI* : denique ex eo tempore quo sacri baptismatis meruit regenerationem, cum femina non fuit polluta, tenens castitatem mentis et corporis usque in diem obitus sui.

<sup>271</sup> *Vita Martialis. II XVI* : feria vinum non bibens et carnem non comedens ; decima dispartiretur ; deditus ; inopiam revelare curabat ; christianum indigentem ; ditatum faciebat ; dei ; ministris ; debitam.

<sup>272</sup> *cf. Vita Martialis. II XVI* : per quattuor anni tempora, omni anno ad beatum pergens Marcialem cum omnibus sibi subjectis populis.

<sup>273</sup> *Vita Martialis. II XVI* : Christo.

6. Cum has virtutes in sese possideret, *erat persecutor paganorum*. Et *ad omnem terram maritimam, atque ad omnes gentes Galliarum quæ eius ditioni subiacebant, misit nuntios, ut Deum quem predicabat Marcialis apostolus colerent, templaque idolorum cremarent ac minutatim confringerent. Si quis autem decretum eius contempneret, reum se maiestatis eius dinosceret.*<sup>274</sup> Unde factum est ut eius adiutorio prudentique sollertia omnis provintia Aquitania, intra viginti octo<sup>mmmmmm</sup> annos quibus apostolus ei apud Lemovicam urbem prefuit beatus Marcialis,<sup>275</sup> perfecta credulitate et pace florere mereretur.

7. Sicut ergo talis ille Deo dilectus princeps secularis aliorum conversione suam augmentare festinabat gloriam æternam, sic eius imitatores in aliorum conversione potentes huius seculi non solum remissionem suorum peccatorum hac de re adquirent, sed etiam compotes gloriæ Dei in futuro fieri merentur.

8. Nullo modo autem credatis eis qui dicunt numquam remitti posse homini, neque hic neque in futuro, peccatum abnegandi Deum, et abnegandi resurrectionem ! Male enim dicunt non posse inveniri poenitentiam de his. Pagani enim abnegant Deum et resurrectionem, sed postquam in catholica fide aliquis eorum crediderit conversus ad Deum vivum, iam confitetur hoc Simbolum et fit christianus, ideoque salvus est. Nam et quosdam Christianos legimus Deum et baptismum atque hoc Simbolum abnegasse, et demum conversos poenituisse et ad sanctam catholicam Ecclesiam revocatos esse.

9. Solum peccatum est quod numquam dimittetur, si in eo perseveratum fuerit et in eo quis mortuus fuerit, id est : qui non credit secundum hoc Simbolum, sicut ait Dominus : *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.*<sup>276</sup> Ipsum peccatum est desperatio, ipsum est ‘peccatum ad mortem’ de quo dicit Iohannes apostolus : *Est*

<sup>274</sup> *Vita Martialis. II XVI* : omnia idola ; hoc contempnens violare præsumpsisset ; illius.

<sup>275</sup> *cf. Vita Martialis. II XXIII* : in qua (*sc. sancta sede*) ipse (*sc. Martialis*) per viginti octo annos episcopus sedit.

<sup>276</sup> Ioh. 16, 9 : n. credunt i.

*peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.*<sup>277</sup> [fol. 77] Ipsum peccatum est blasphemia in Spiritum Sanctum, sicut Dominus ait : *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo neque in futuro.*<sup>278</sup>

10. Christum enim dominum nostrum Iudei blasphemaverunt, et insuper crucifixerunt, sed quicumque ex eis ad poenitentiam conversi sunt, remissionem delictorum perceperunt. Qui vero converti noluerunt, ipsi blasphemantes erant Spiritum Sanctum, quia credulitatem fidei respuebant, ideoque indigni erant ad poenitentiam compungi. Etiam quicumque Christianus in gravissimis sceleribus prolapsus de penitentia se subtrahit, ideoque usque in mortem ad omnia scelera se ipsum cadere permittit, et sine compunctione poenitentiae moritur, ille nimirum blasphematur in Spiritum Sanctum, qui est remissio omnium peccatorum nostrorum, quia credit Deum aut esse inpotentem, qui non possit ei remittere, aut credit Deum esse inmisericordem et crudelem, qui non velit ei remittere.

11. Qui autem blasphematur in Spiritum Sanctum, procul dubio blasphematur in Patrem et Filium, quia ipsa Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, unus Deus omnipotens est, et unius clementiae atque aequalis voluntatis et gloriae. Talis blasphemator Spiritus Sancti, dum remissionem peccatorum perfecte non credit, hoc Simbolum totum in semetipso destruit, ideoque non est de societate sanctae Ecclesiae catholicae, quia catholicus non est.

12. Si tamen talem videritis blasphematorem gravissimis aliis criminibus obvolutum, ut in novissimo verbo mortis suae vel culpabilem se recognoscat contra Deum, intelligite eum in ipsa hora extrema a Domino visitatum, qui cor eius compungit ad poenitentiam, sicut latro in cruce compunctus est et salvus factus est !

---

<sup>277</sup> I Ioh. 5, 16.

<sup>278</sup> Matth. 12, 32.

Talis enim, qui etiam in ipso articulo mortis culpam suam Deo fatetur, absque dubio non desperat se de Deo, quin potius de spe misericordiae et clementiae Dei confidens presumit, ideoque in communionem sanctae Christianitatis in obsequiis divinis et orationibus illum recipite, quia iam de societate sanctae Ecclesiae catholicae est ! Nam baptismo Christi purificatus, licet postea nimiis criminibus sit a Deo elongatus, tamen secundum illud propheticum, quia in una die vel in una hora ingemuit credens, salvus erit,<sup>279</sup> non sua poenitentia, sed ineffabili Dei miseratione.

13. Quos etiam episcopi iuste excommunicant, si vel in extrema hora mortis verbis saltem suis penituerint, nolite eis subtrahere divinum officium, neque reconciliationem neque viaticum, quos Christus suo sanguine redemit, quos interius visitans in ipso timore mortis ad poenitentiam compungit ! Nam qui poenitentiam desiderantibus poenitentiam denegant, vel odio suo vel crudelitate vel negligentia, vel pro malis sibi inlatis, vel pro terrenis rebus sibi raptis, potius terrenam substantiam, quae transitoria est, quam unam animam, pro qua Christus suum fudit sanguinem, amant. Et tales gravi comminatione feriuntur, dicente Deo per prophetam : « *Vae eis qui dicunt bonum malum, et malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes dulce in amarum, et amarum in dulce !* »<sup>280</sup> Et item : « *Mortificabant animas quae non moriuntur, et vivificabant animas quae non vivunt.* »<sup>281</sup>

14. Aequale est enim, et pro lucro vel amore vel favore vel terrore absolutionem dare excommunicatis qui nec ex corde neque fructuose compunguntur ad poenitentiam, et his odio vel negligentia denegare qui ex corde compunguntur. Nullatenus autem ex corde compungitur, qui reatum non dimittit pro quo

<sup>279</sup> cf. Ez. 33, 12 : impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.

cf. OROS., *Apol.* 14, 1 : peccator cum ingemuerit, tunc salvus erit.

cf. RURIC., *Epist.* 2, 32 : peccator enim, qua die conversus ingemuerit, tunc salvus erit.

cf. etiam Is. 45, 22 : convertimini ad me, et salvi eritis.

<sup>280</sup> Is. 5, 20.

<sup>281</sup> Ez. 13, 19 : ut interficerent a. ; e. vivificarent a.

excommunicatur, vel qui emendationem pro reatu non agit. Si excommunicatum absolvit episcopus pro premio aut favore quem absolvere iuste non debet, vivificat quasi mortuum ; nullatenus tamen Deus eum absolvit, quia non vivit dum ex corde non poenitet. Si quem vero non absolvit quem iuste absolvere debet, quasi mortificat viventem ; Deus tamen scrutator conscientiae talem absolvit, quia non moritur per respectum gratiae supernae.

15. Qui vero vel in bello vel subita morte vel absque cordis compunctione intereunt excommunicati in suo reatu, hi tales extra sepulturam fidelium sine divino officio causa tantum humanitatis communis, sicut ait propheta, sepultura asini sepeliri debent,<sup>282</sup> ut ipsa despectio corporis mortui aliquod refrigerium animae sit, et ceteris exemplum castigationis sit. Insepultus autem nullus impius nec etiam de paganis debet relinqui ; hæc enim crudelitas de impiis processit primum, qui feris et avibus corpora martirum dilanianda insepulta exponebant, et apud Babilonicos, qui sine Deo erant, in lacu leonibus cotidie duo corpora mortuorum dabantur.

16. Divina autem lex etiam apud Iudeos constituit ut, si pro scelere suo aliquis suspenderetur, ante occasum solis sepeliretur, ne terra maledictione repleretur. Impios vero, quos propheta ‘sepultura<sup>nnnnn</sup> asini’ sepeliri dicit, sepeliri quidem ostendit sed despectiva<sup>ooooo</sup> sepultura. Quod autem non sepeliri impios in monte sancto Israël dixit, ostendit tales impios excommunicatos sicut et paganos sepeliri quidem, sed non in cimiteriis ecclesiarum.<sup>283</sup> Quod autem ait quia *non sepelientur, sed in sterquilinum erunt super faciem terræ*,<sup>284</sup> de excommunicatis in campo prelii iacentibus mortuis dicit, quibus cura amicorum non succurrit, antequam lacerentur a feris iusto Dei

<sup>282</sup> cf. Hier. 22, 19 : sepultura asini sepelietur.

<sup>283</sup> cf. Eccle. 8, 10 : vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant et laudabantur in civitate quasi iustorum operum, sed et hoc vanitas est.

cf. etiam Is. 57, 21 : non est pax impiis, dicit dominus deus.

<sup>284</sup> Hier. 16, 4.

iudicio, secundum illam Moisi maledictionem : « *Tradat, inquit, Dominus corpora eorum in escam volatilibus cæli et bestiis terræ.* »<sup>285</sup>

17. Quod autem in conciliis episcoporum videmus constitui propter eos qui pacem et iustitiam destruunt, qui hostes sanctæ Ecclesiæ sunt, ne ecclesiæ illis clausæ alicui sepulturam adhibeant, vel ne ipsos impios, quamdiu in impietate manserint, ecclesiæ apertæ ullo modo more fidelium sepeliant, non ideo constituitur ut sint corpora fidelium neque impiorum æsca feris et avibus, sed aut extra cimiterium despective sepeliantur sine sacerdote et sine divino officio, aut super faciem terræ coram oculis omnium ita ponantur insepulti, quamdiu episcopo visum fuerit, ut cæteri impii metum habeant. Hoc autem episcopi summa necessitate urgente, pro persecutionibus ecclesiarum ab impiis, et pro impietate persecutorum, aliquando constituere videntur.

18. Sed sicut valde observandum est ne aliquam de ovibus Christi inferno tradatis, ita admodum timendum est ne quem inquietetis a requie illius seculi. Quia sicut pro<sup>ppppp</sup> beneficio sepulturæ iustorum aliquando mortalibus bona proveniunt, ita quorundam fidelium offensione, si insepulta fuerint eorum corpora, certum est multociens tribulationes et insidias accidere ; vel si corpora fidelium ad contumeliam vel negligentiam de sepulchris suis effodiantur, certum est<sup>qqqqq</sup> eorum spiritibus maximam offensionem inferre, ita ut etiam in legibus Romanorum capitali poena decretum sit plecti eos qui sepulchra defunctorum violaverint.<sup>286</sup>

19. **Pro beneficio sepulturæ** Iuliani martiris, legimus senes qui corpus [fol. 77v] eius sepelierunt iuventutis pristinæ robur **recepisse**.<sup>287</sup> Filios Saul, quos Gabaonitæ suspenderunt in patibulis tradente David propter iustitiam, mulier quædam fidelis

<sup>285</sup> Hier. 16, 4 : erit cadaver e. ; et Hier. 19, 7 : dabo cadavera e. escam v.

<sup>286</sup> cf. *Dig.* 47, 12 : de sepulchro violato.

cf. etiam IOH. II, *Epist.* 3 (p. 95) : violatores vero sepulchri licet agustorum principum capitaliter damnit sententia.

<sup>287</sup> *Passio Iuliani* 4 (*MGH Script. rer. Merov.*, I 2, p. 430) : sentiunt (...) quam in iuventute habuerant pristinam r. virtutem.



custodivit ne a feris et avibus devorarentur, et ipsos David sepelivit *cum ossibus Saul et Ionathæ*.<sup>288</sup>

20. De ipsis etiam criminosis hominibus eo quod insepulti iacerent, legimus insidias inquietudinis viventibus per circuitum incidisse. Fuerant latrones duo, et ferro vincti lapidati fuerant a populo et magna moles lapidum super eos aggregata fuerat. Fuerant autem christiani. Tunc spiritus eorum iugiter insidiabantur in vicino habitantibus, ut ille locus iam inhabitabilis et silvosus esset. Beatus autem Germanus Autissiodorensis episcopus<sup>289</sup> aliquando iter agens, necessitate impellente ibi nocte hospitatus est cum suis, dicentibus illi incolis insidias fantasmatum. Sed sanctum terrere non poterant. Adveniente nocte terribilis imago eis apparuit, quasi in eos irrueret. Cunctis exterritis, episcopus umbram interrogat de causa. Tunc imago humiliter respondit : « Ideo, domine, omnibus hic manentibus per circuitum inquieti assidue sumus, quia sepulturam corporibus nostris more Christianorum desideramus. Quam si haberemus, nulli inquieti essemus. » Tunc duxit sanctum episcopum cum suis clericis ad locum. « Hic, inquit, domine, corpus meum et corpus socii mei insepulta iacent. » Mane facto convocatis incolis sanctus Germanus, iussit corpora eorum inquiri. Et sub multa profunditate lapidum inventis, collegit ossa eorum passim dispersa, et manus ferro vinctas soluit, et more aliorum hominum cadavera composuit, et cum orationibus, ut mos est, sepelivit, et nulla ibi ulterius inquietudo fuit.<sup>290</sup>

---

<sup>288</sup> cf. II Reg. 21.

<sup>289</sup> Germain, évêque d'Auxerre (418-448).

<sup>290</sup> cf. *Vita Germ. Autiss.* I 5 (p. 211) : Quodam enim tempore, cum iter ageret hyeme, ac diem totam in ieiunio ac fatigatione nimia duxisset, commonetur ut, cogente vespere, quocumque secederet. Erat eminus domicilium absque tectis (...) quod etiam per incuriam vulgaris habitatoris arbusta contexerant, ut pene esset melius noctem sub nudi æris rigore durare, quam in illo periculo et horrore succedere, præsertim cum duo senes, propter infestationem terribilem, hanc ipsam domum inhabitabilem prædixissent. Quod ubi vir beatissimus comperit, horrentes ruinas quasi amoenitates expetiit, ibique inter multiplices quæ quondam fuerant mansiones, inventa vix una est quæ instar haberet habitaculi. (...) Deinde alta iam nocte, cum unus ex clericis legendi suscepisset officium, ille ieiunio et fatigatione confectus, sopore superatus est. Tum subito ante os legentis adstitit umbra terribilis, et paulatim sub oculis intuentis erigitur. (...) Tunc vero deterritus lector, præsidium

21. Dum hæc de remissione peccatorum propter Simbolum dicimus, fortasse multi ex vobis iusti sunt, qui, quoniam non ceciderunt in capitale peccatum, putant non esse sibi opus poenitentiae; et sicut inlicita non commiserunt, ita licitis utuntur, nec in fortitudine virtutum semetipsos exercent. Sed illis<sup>tttt</sup> talibus iustis tepidis, meliores sunt illi qui, propter peccatum grave ad poenitentiam conversi, in labore virtutum permanent, et ab ipsis etiam quæ illis licita sunt uti, abstinent, et maiori labore sanctitatis et afflictionis fervent. Unum de his peccatoribus<sup>sssss</sup> amplius diligit Deus et sancti angeli, qui post gravia peccata in poenitentia perdurantes in sanctis operibus perseverant, quam multos de his tepidis iustis, qui numquam grave peccatum admiserunt, quibus poenitentia non opus est, sed licitis fruuntur, et nullo fortissimo labore virtutum seipsos ad altitudinem regni cælestis sustollunt.

22. Ita de principibus seculi videtis, qui milites suos in prelio primum fugientes et postea verecundatos<sup>tttt</sup> revertentes fortiter superant hostem, plus eos tales diligunt, quam eos qui non fugiunt nec fortiter debellant inimicos. Et possessor plus diligit possessionem prius desertam et postea sibi multa fructificantem, quam eam quæ numquam deserta fuit, et numquam ei fructuum ubertatem reddidit. De talibus peccatoribus post peccatum in militia Dei ferventibus, et talibus tepidis iustis, qui numquam fortes in virtutibus sunt, ait Dominus in Evangelio: « *Dico<sup>uuuuu</sup> vobis,*

---

sacerdotis implorat, qui statim prosiliens, effigiem terribilis imaginis intuetur et, præmissa obsecratione nominis Christi, imperat ut quis esset, quidve illic ageret fateretur. Qui protinus terrificam vanitatem deposita, voce humili, more supplicantis eloquitur, se vel comparem suum, auctores criminum fuisse multorum, insepultos iacere, et ob hoc inquietare homines, quia ipsi quieti esse non possent. Rogat, ut pro eis Dominum precaretur, quatenus recepti, requiem mererentur. Ad hæc vir sanctus indoluit, imperatque ut locum ostenderet quo iacerent. Tum vero, cereo præcedente, dux umbra progreditur, et inter difficultates maximas ruinarum, intempesta nocte, locum in quo proiecti fuerant, indicavit. (...) Inveniuntur corpora fusa sine ordine, ossa ferreis adhuc nexibus illigata. Ad legem sepulturæ fossa dirigitur, membra exuta vinculis, linteis ambiuntur, humus superiecta componitur, oratio intercessionis impenditur, obtinetur defunctis requies, viventibus quies, ita ut post eandem diem sine ullo terroris indicio, domicilium frequentato habitatore floruerit.

*gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente,<sup>291</sup> quam supra nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia. »<sup>292</sup>*

23. Illi autem, super tales peccatores conversos, et super tales tepidos iustos, multo magis amici Dei sunt, qui nulla criminalia peccata, nulla inlicita perpetrarunt, et tamen quasi peccatores in via Dei fortiter stant, in labore virtutum desudantes militant, a licitis sese abinent, ad beatitudinem vitæ æternæ et ipsi cotidie suspirant, et alios tam exemplo quam verbo ad concupiscentiam patriæ celestis accendunt. Et sicut alii operum, ita ipsi cogitationum peccata deplorant. Hi tales perfecti, et iusti sunt per rectitudinem operum, et poenitentes per castigationem cogitationum.

---

<sup>291</sup> Luc. 15, 10.

<sup>292</sup> Luc. 15, 7.

## [XXXI]

1. Simboli undecima est distinctio : *Carnis resurrectionem*. Credimus quia, sicut dominus Iesus Christus resurrexit tertia die in ea carne qua in cruce mortuus est, ita et nos in die iudicii *in ipsa carne in qua nunc vivimus, movemur et sumus,*<sup>293</sup> absque dubio resurgemus, sicut sanctus Iob dicit : *Scio quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt.*<sup>294</sup>
2. Nec tantum illi quorum ossa in sepulchris tunc requiescent, sed etiam ipsi qui a bestiis, avibus et piscibus et ab aliis animalibus devorati sunt, vel quorum ossa incensa sunt, omnes in momento ad vocem Domini resurgent, in ipsa carne in qua prius fuerunt, sicut ait propheta : *Ad te omnis caro veniet.*<sup>295</sup>
3. Omnes etiam pueri, ex quo in ventre matris suæ incipiunt vivere, etiam si antequam nascantur moriantur, in ætatem perfectam resurgent : viri in sua natura, mulieres in propria natura. Iohannes, Iohannes erit ; Helisabeth, Elisabeth erit. Non naturam, non sexum mutabit aliquis, sed fragilitates et vitia non habebunt. Nullus hic claudus, illic claudus erit ; nullus hic cæcus, illic cæcus erit. Qui hic deminuti sunt corpore, omnia membra integra habebunt. Nulla turpitudine, nulla verecundia in corporibus erit, nulla commixtio carnis, sicut ait Dominus : *In resurrectione autem neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cælo.*<sup>296</sup>
4. Vestes non terrenas, sed vestes immortalitatis et iocunditatis habebunt. Qualibus vestibus angeli induti ad sepulchrum Domini apparuerunt, qualibus vestibus Dominus

---

<sup>293</sup> Act. 17, 28 : i. ipso enim v. et m. ; sic VL.

<sup>294</sup> Iob 19, 25-27 : s. enim q. ; m. vivat e. ; s. sim, e.

<sup>295</sup> Ps. 64, 3.

<sup>296</sup> Matth. 22, 30 : r. enim n. ; s. sunt s.

*transfiguratus in monte visus est, quando resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.*<sup>297</sup>

5. Nulla concupiscentia carnis, nullum peccatum ibi dominabitur. Unusquisque autem resurget, *ut recipiat in corpore suo prout gessit sive bonum sive malum.*<sup>298</sup> Iusti resurgent ad gloriam, iniusti ad damnationem.

---

<sup>297</sup> Matth. 17, 2 : e. ante eos, et r. ; v. autem e.

<sup>298</sup> II Cor. 5, 10 : u. referat unusquisque propria corporis p. ; *sic* VL.

## [XXXII]

1. Duodecima est distinctio : *Vitam æternam, amen.* Credimus quia post istam vitam est alia vita, ubi numquam erit mors, ubi nunc animæ vivunt, et post resurrectionem corpora nostra vivent in perpetua felicitate, ubi erit pax et securitas sine fine, ubi Deus cum sanctis et sancti cum Deo regnabunt, sicut Iohannes ait : *Erit tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit Deus cum eis. Et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra.*<sup>299</sup>

2. Illa vita non est longa, sed æterna. Si enim tot milibus annorum quot grana sunt in totis litoribus magni maris per circuitum mundi illa vita durasset, et postea finisset, tunc longa esset, sed æterna non esset. Illa vita est quam ‘secula seculorum’ cotidie in ‘Gloria Patri’ et in orationum fine commemoratis, dicentes : « Per omnia secula seculorum, amen. » Illa vita est immortalia secula seculorum, cuncta secula, sempiterna secula, et<sup>vvvv</sup> ‘seculum seculi’, sicut ait propheta : *Iustitia iusti manet in seculum seculi*, hoc est in vita sempiterna.<sup>300</sup>

3. Pro hac vita æterna apostoli maxime mortuos resuscitabant, ut gentes quæ nesciebant alteram vitam præter istam, dum mortuos revocari vidissent de morte, absque dubitatione crederent aliam esse vitam, in qua animæ illorum mortuorum manebant, ad quam de corporibus abierant, de qua ad corpora revertebantur. Nullo modo enim gentiles tam facile crederent apostolis predi-[fol. 78]-cantibus, nisi mortuos resuscitari viderent. Nullo modo crederent vitam post mortem, nisi per mortuorum resurrectionem. Nullo modo desideria carnalia relinquerent, nisi iudicandos se, et vivituros in alio seculo scirent.

---

<sup>299</sup> Apoc. 21, 3-4.

<sup>300</sup> Ps. 110, 3 et 111, 3 : i. eius m.

4. Unde legimus de Marciale quia, cum in theatro predicaret sicut audierat a Domino dicente : « *Quod in aure auditis, predicate super tecta !* », <sup>301</sup> nihil fructificavit predicatio eius donec duos simul mortuos resuscitaret. Cum enim a pontificibus gentilium suppliciis attrectatus, ligatus esset in carcere, nihil aliud sua predicatione quam sibi adquisivit tormenta. <sup>302</sup> Ubi vero barbari suos flamines cælesti ira viderunt necatos, nulla alia ratione profitebantur se credere apostolicis verbis, nisi viderent post mortem hic vivere mortuos suos, sicut iam audierant a predicante Dei homine vitam aliam esse præter istam. Unde et dicebant : « *Si istos suscitaveris qui mortui sunt, omnes pariter credemus in eum quem predicas Deum.* » <sup>303</sup> Quos nisi viderent mox resuscitari, nullatenus reciperent verba hominis ignoti.

5. Verum dum hic vitam post mortem viderunt in mortuis, vere probaverunt quia alia vita erat præter istam, unde animæ viventes revocatę ad cadavera fuerant. Et qui hactenus putabant animas interire cum corporibus, vere probabant quia, mortuo corpore, anima vivit. Ideo verbum Dei ita credentes mox receperunt, ut una die apponeretur in Domino hominum viginti<sup>wwwww</sup> duo milia, <sup>304</sup> et causa resurrectionis prima ecclesia in tota Gallia mox Deo consecraretur, ut non inmerito eadem sancti Stephani basilica vocetur Resurrectio, quia propter resurrectionem amborum pontificum contigit ut illa prima in tota Gallia ab apostolo dedicaretur Domino, resuscitatis duobus per vitam redditam, et resuscitatis viginti<sup>xxxxx</sup> duobus milibus per baptismum.

---

<sup>301</sup> Matth. 10, 27.

<sup>302</sup> cf. *Vita Martial. II XI* : postea denique perrexit cum discipulis suis ad theatrum prædicare Evangelium regni Dei. Quod pontifices idolorum indigne ferentes, graviter eos flagellis cæsos miserunt in carcerem.

<sup>303</sup> *Vita Martial. II XI*.

<sup>304</sup> cf. *Vita Martial. II XI* : sequenti vero die iussit discipulus Domini convenire omnem populum a minimo usque ad maximum, et baptizavit eos (...) numero viginti duo milia.

6. Sicut et Matheus apostolus apud Æthiopas<sup>yyyyy</sup>, causa resuscitati filii regis, primam ecclesiam dedicavit, cui imposuit nomen Resurrectio,<sup>305</sup> ita gentiles, per resurrectionem corporum presentem, vere probabant futuram resurrectionem carnis et vitam æternam. Et sicut a Bartholomeo apostolo templum Astaroth in India primum in Christi nomine consecratum est,<sup>306</sup> sic templum Iovis in Aquitania a Marciale primum in Christi nomine consecratum est.<sup>307</sup>

7. Sicut autem non per resurrectionem mortuorum, sed per sanitatem lunaticorum Bartholomeus regem Indiæ convertit cum populo suo, non dissimili modo Marcialis aliquando non per resuscitationem cadaverum, sed per curationem dæmoniorum et confessione<sup>zzzzz</sup> dæmonum in status populum Deo acquirebat.

8. Ne vero adulationis notemur, fatemur nos de Marciale hic<sup>aaaaa</sup> sepius quam de aliis apostolis locutos<sup>bbbbbb</sup>, ideo maxime quia Aquitanici sumus, quia de eius apostolatu sumus, quia nos et parentes nostri et posterii nostri per verbum eius agnitionem Dei percepimus, per eum salutem invenire meruimus, per eum ab ira futura salvi erimus. Et sicut *qui habet sponsam sponsus est*,<sup>308</sup> qui habet regnum rex est, qui habet apostolatum apostolus est, sic nos eum in Christo habentes patrem, eius in Christo filii sumus.

9. Per eum, apud has nationes Ecclesia primum facta est sponsa Christi. Sponsus enim Ecclesiæ proprie Christus est. Per eum, regnum olim diaboli regnum Dei factum est, quia regina inferni, id est mors perpetua, ab ipso vitam predicante prius destructa in occiduis partibus est. Primus enim ante omnes predicatorum, in occiduis fidem sparsit Trinitatis. Eius apostolatus Gallia et precipue Aquitania est, quia :

<sup>305</sup> cf. *Passio Matthei* 1 (p. 222).

<sup>306</sup> cf. PS. ABDIAS, *Barthol.* 2 (p. 37).

<sup>307</sup> cf. *Vita Martialis*. II XXI-XXII.

<sup>308</sup> Ioh. 3, 29.



Petri comes et proximus  
Christique presens actibus,  
Hoc tunc repletus pneumate  
Apostolus fit Galliā.  
Laudibus Deum, precibus [ipsum]  
Cuncti frequentent supplices,  
Suæ tamen plus Galliā  
Apostolatus indicet.<sup>309</sup>

10. Ipsum rite suum patronum Aquitania veneretur, namque signa apostolatus sacri sic permanet eius. Qui sicut ad feram valde gentem missus est, sic carnis resurrectionem et vitam æternam apertius<sup>cccccc</sup> in resuscitatione multorum mortuorum aperiebat gentilibus.<sup>310</sup> Sic<sup>dddddd</sup> et Andreas nimis agresti provintiā predicans, nisi multos mortuos apud barbaros suscitasset, non tam facile eos de morte idolatriā extraheret.<sup>311</sup>

11. Sed ut cognoscatis eius apud Deum ingens meritum in predicatione Evangelii et adventus domini nostri Iesu Christi, sicut Andreas propter ferum populum convertendum quadraginta sex<sup>cccccc</sup> legitur mortuos suscitasse, Philippus vero tres, Iohannes autem quattuor, ita Marcialis profecto sex mortuos suscitavit : primum cum oratione Petri, qui erat plus quatruiduanus in Italia, reliquos vero quinque in Aquitania.

12. Petrus enim, cuius umbra infirmos sanabat, non necesse habuit in Iudea plus quam unum resuscitare, et alterum apud Romanos : illum propter fratres rogantes, istum propter contentionem Simonis destruendam – iactabat enim se Simon posse mortuos resuscitare, sed nullo modo poterat. Nec enim apud Iudeos neque apud

---

<sup>309</sup> *Hymnus in matutinis laudibus* 2 et 6 (cod. Moissiac. [X s.] fol. 24b, in *Analecta Hymnica*, 2, 62 p. 56) : r. neumate / Nunc pontifex f. ; Hymnis d., hunc p. ; Pontificatus i.

*cf. etiam* Cantus 830269 (ms. BNF Lat. 1085 [cod. Lemov. X s. ex.] fol. 91v).

*cf. infra Sermo in conc. II XXIV 4* (fol. 120v).

<sup>310</sup> *cf. Vita Martialis. II VIII, XI, XIII.*

<sup>311</sup> *cf. Passio Andreae.*

Romanos necesse erat mortuos resuscitari, quia et Iudei resurrectionem mortuorum futuram credebant sicut et nos credimus, et Romani doctibus philosophis credebant animas vivere exutas corporibus, et laborantes hic pro republica, illic recepturos esse premia. Sed et Paulus unum tantum legitur suscitasse, qui de tercio caenaculo<sup>fffff</sup> cecidit.<sup>312</sup>

13. Hæc autem natio Aquitanica tota fera, sicut plus incredula erat, ita resurrectionibus, quas numquam audierat, indigebat ad dandam fidem sermonibus apostoli. Et sicut Galliæ protopredicator necesse habuit multos mortuos in nomine Domini resuscitari ad convertendam plebem gentilium, ita qui post eum predicatorum venerunt in Galliam, non reperiuntur mortuos resuscitasse, quia nec opus erat eis aliam vitam persuadere, quam exemplo aliorum quos iam audierant suscitatos didicerant esse.

14. Marcialis vero, sicut discipulus Domini fuerat, sicut ab ipso Domino potestatem signorum et Evangelium predicandi cum reliquis apostolis acceperat,<sup>313</sup> sic in provincia quam in sorte predicationis a Spiritu Sancto susceperat, et mortuos plures resuscitavit, et Evangelium Domini in occiduis plantavit.<sup>314</sup> Nullus autem aliquando predicator solis verbis vel unam civitatem convertere potuit, nisi signa et miracula a Domino illi fieri concessa essent. Nam quia post apostolos quidam ex patribus leguntur suscitasse mortuos, cum ubique apud eos Christianitas esset, non propter populum convertendum, sed ut quæ in eis gratia Dei esset coram viventibus appareret, factum esse constat.

15. Sicut autem Stephanus princeps regni Gallici, dum videret ab apostolo resuscitatum armigerum suum, facilius credidit quam si alia signa ab eo videret fieri,<sup>315</sup>

---

<sup>312</sup> cf. *Passio Theclæ*.

<sup>313</sup> cf. *Vita Martial. II II*.

<sup>314</sup> cf. *Vita Martial. II XI, XIII*.

<sup>315</sup> cf. *Vita Martial. II XIII*.

ita omne regnum Aquitanicum facilius per proprium regem Christo subdebatur, quam si idem princeps, cuius iugo eadem provintia erat subiugata, in incredulitate permaneret, et apostolicis doctrinis sua infestatione contraheret. Namque dum ipse baptizatus est, simul etiam principes, du-[fol. 78v]-ces, optimatesque eius qui cum eo tunc presentes erant, cum exercitu suo regem suum imitantes<sup>eggggg</sup> pro resurrectione mortui visa, largiente Domino ab apostolo baptizari meruerunt, quia vere per eum credebant carnis resurrectionem et vitam æternam.<sup>316</sup>

16. Hoc autem Simbolum non debet finiri sine verbo quod est ‘Amen’, et est affirmatio in lingua hebraea, et designat quia sic est veritas, sicut hic dictum est. Ipsa confirmatio, sicut in orationibus sacramentorum, et in versu ‘Gloria Patri’, et in hoc Simbolo pronunciatur, ita vera Credulitas est, et debet esse in cordibus nostris, ut sic per omnia vere credamus.

---

<sup>316</sup> cf. *Vita Martial. II XIII* : vir autem Dei (...) baptizavit eum (sc. Stephanum) et omnes comites eius ac duces, cunctumque exercitum eius, et omnem populum utriusque sexus numero quindecim milia.

## &lt;De fide&gt;

## [XXXIII]

1. Itaque istam veram fidem, quæ in hoc Simbolo continetur, ita illis quos baptizare habetis intelligere facite, ut credant quia Deus, in quem credere debent, est Deus Pater omnipotens, et quia ipse creavit omnia quæ sunt, visibilia et invisibilia, quæ non videmus et quæ videmus, et quia ille solus non est de alio et ideo appellatur ingenitus, a nullo genitus, a nullo creatus, sed ex semetipso semper fuit sine principio in gloria ineffabili, et numquam fuit sine Filio neque sine Spiritu Sancto !<sup>317</sup>
2. Et credant in filium Dei Patris, ipse est dominus noster Iesus Christus, per quem a Deo Patre omnia facta sunt, et qui omnia cum Patre et Spiritu Sancto creavit, non per aliquam necessitatem quæ ei opus esset, sed per suam bonitatem naturalem, ut creatura haberet partem in gloria creatoris sui.<sup>318</sup>
3. Et credant quia ipse dominus Iesus Christus est verus Deus et unigenitus Patris, et verus Dei filius, non factus, non adoptivus, sed genitus ineffabiliter, et quia est unius cum Patre substantiæ, et est per omnia æqualis Deo Patri, nec potest esse inferior Patre, neque potestate, neque tempore, neque deitate, et quia tam magnus est ipse Dei filius, qui genitus est, quam magnus est Deus Pater ipse, qui genuit.<sup>319</sup>
4. Credant quia filius Dei natus est de Spiritu Sancto ex Maria semper virgine, ita ut, Spiritu Sancto cooperante, verum sibi corpus assumpserit ex virgine, et quia ipse

<sup>317</sup> THEODULF., *Bapt.* 7 (col. 227<sup>B</sup>) : ceterum fides q. ; i. ab his qui baptizandi sunt intelligi debet, u. ; i. deum patrem omnipotentem, creatorem omnium visibilium e. invisibilium, qui s. ; i. solus a.

<sup>318</sup> THEODULF., *Bapt.* 7 (col. 227<sup>B</sup>) : i. Iesum christum f. eius, p.

<sup>319</sup> THEODULF., *Bapt.* 7 (col. 227<sup>B</sup>) : verum deum unigenitum verumque d. filium, n. factum aut adoptivum, s. genitum e. ; s., atque ita p. ; o. equalem d. ; p., ut n. ; t., nec gradu, n. ; e. possit i., tantumque esse illum q. ; g., quantus e. ille q.

**factus est in humanitate filius hominis**, id est **matris** virginis, **sicut erat** ante secula **in divinitate Dei Patris filius**.<sup>320</sup>

5. Debetis inter hoc et maius Simbolum quod ad missas in dominicis diebus dicitis ita distinguere, ut in isto dicatis prepositionem ‘ex’ ita : « Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus **EX** Maria virgine », <sup>321</sup> quia licet Spiritus Sanctus supervenerit in Mariam, <sup>322</sup> et virtute Spiritus Sancti conceperit Maria Dominum, non tamen est natus de Spiritu Sancto, sed natus est ex Maria. Nec est filius Spiritus Sancti, sed est filius Mariæ semper virginis secundum humanitatem, et filius Dei Patris omnipotentis secundum deitatem. Et secundum divinitatem natus est de patre ineffabiliter sine matre, et secundum humanitatem natus est ineffabiliter de matre sine patre. In maiori autem Simbolo coniunctionis particulam ‘et’ dicite sic : « Incarnatus est de Spiritu Sancto, **ET** Maria virgine », <sup>323</sup> quia ipsa incarnatio Domini de carne virginis per virtutem Spiritus Sancti extitit !

6. **Credant quia**, sicut **filius** Dei **descendit a Patre pro redemptione mundi** in **ultimo tempore** seculorum, **sic numquam desiit esse cum Patre**. Nam quando erat in terra, et totus erat secundum deitatem in cælo cum Patre, et totus erat in terra. Deitas enim Domini ultra omnem cogitationem hominum et angelorum est.<sup>324</sup>

7. Credant quia non propter aliud **verus homo factus** est ipse filius Dei, nisi **ut humanitate sua humanum genus liberaret**. Et **sicut ipse absque initio** et ultra omne initium **aeternitatem** et gloriam **possidebat ineffabilem cum Patre et Spiritu Sancto**, sicut ipse ait : « *Clarifica me, Pater, apud te claritate quam habui priusquam*

<sup>320</sup> THEODULF., *Bapt.* 7 (col. 227<sup>B-C</sup>) : c. etiam eum natum d. ; v., id est u. ; v. idem d. ; a., ut qui e. ; f. sit i.

<sup>321</sup> = *Symbolum apostolorum*.

<sup>322</sup> cf. Luc. 1, 35 : Spiritus Sanctus superveniet in te.

<sup>323</sup> = *Symbolum Nicenum (Symb. Nicen.)*.

<sup>324</sup> THEODULF., *Bapt.* 7 (col. 227<sup>C</sup>) : c. etiam eum descendisse u. ; p., qui n.

*mundus esset apud te ! »*,<sup>325</sup> ita per voluntatem suam et Patris et Spiritus Sancti, sicut per prophetas erat predictum, verum et **perfectum hominem naturæ nostræ** sine peccato suscepit ; **et** quia ***verbum caro factum est***,<sup>326</sup> in eo **quod assumpsit humanitatem**, **neque permutavit divinitatem** in humanitate, sed permansit<sup>hhhhh</sup> verus Deus et verus homo in una persona, quia non est quaternitas sed tantum trinitas in tribus personis, unus Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus.<sup>327</sup>

8. **Credant quia ipse** filius Dei **pertulit passionem et mortem**, **non secundum virtutem divinitatis** (Deus enim impassibilis et immortalis est), **sed secundum infirmitatem humanitatis** quam de virgine assumpsit, ut per suam mortem nos liberaremur de morte nostra.<sup>328</sup>

9. Credant quia filius Dei, **mortuus** postquam fuit, in **vera carne resurrexit per veram resurrectionem carnis**, **et** in **resurrectione sua contulit nobis spem resurrectionis futuræ**, **quia sicut ille tertia die resurrexit vivus a mortuis** in sua propria carne in qua mortuus fuit, **ita et nos** in die iudicii, hoc est **in fine seculorum**, **resurgemus** omnes, et<sup>iiiiii</sup> **boni et mali, pueri, iuvenes et senes, viri et mulieres, in eadem qua nunc vivimus carne**.<sup>329</sup>

10. **Credant quia dominus** noster Iesus Christus **in eodem corpore quod de virgine assumpsit**, in ipsa carne in qua **passionem sustinuit et resurrexit**, in ipsa carne **ascendit in cælum**, **et in ipsa nunc est** in gloriam Dei Patris verus Deus et verus homo, **et** in ipso corpore **ad iudicium venturus est**, **et resuscitabit omne** genus humanum quod ab initio vitam vel dimidio momento in ventre matris habuit, et **dabit impiis sententiam**

<sup>325</sup> Ioh. 17, 5 : m. tu p. ; sic VL.

<sup>326</sup> Ioh. 1, 14.

<sup>327</sup> THEODULF., *Bapt.* 7 (col. 227<sup>C</sup>) : et hominem verum factum, u. ; g. homo l. ; i. qui a. ; s. possidet, in fine seculorum p. ; h. susceperit, e. ; f. sit, assumendo h., non permutando d.

<sup>328</sup> THEODULF., *Bapt.* 7 (col. 227<sup>C</sup>) : c. etiam eum pertulisse p. ; n. in virtute d. ; s. in infirmitate h.

<sup>329</sup> THEODULF., *Bapt.* 7 (col. 227<sup>C-D</sup>) : mortuum v. carnis morte, resurrexisse vera c. resurrectione, e. ; r. contulisse, ita duntaxat ut s. ; s. resurgamus i.

**supplicii æterni** propter peccata quæ gesserunt et non poenituerunt, iustis vero dabit **premium æternæ beatitudinis** propter merita iustitiæ.<sup>330</sup>

11. **Credant et in Spiritum Sanctum**, quia ipse est Deus verus ex Patre Filioque procedens, et quia æqualis est **per omnia Patri et Filio** per voluntatem, per potestatem, per æternitatem, per substantiam. Et **in sancta Trinitate**, quæ est unus Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus, nullus gradus, nulla diversitas est, ut aliqua persona de his tribus personis, **inferior superiorve dici possit**.<sup>331</sup>

12. **Credant sanctam Ecclesiam catholicam, id est universalem**, quæ per universum mundum una est et unam fidem tenet ; sed **non** ita credant **in sanctam Ecclesiam sicut credunt in sanctam Trinitatem**, quia sancta Trinitas est Deus, sancta Ecclesia catholica non est Deus.<sup>332</sup>

13. **Credant** quia sancta Ecclesia catholica domus est sanctæ Trinitatis, a qua domo Dei discedentes<sup>iiiiii</sup> omnes **scismatici et hæretici sunt**.<sup>333</sup>

14. Credant sanctorum communionem, quia si quis digne communicat sanctis, id est sacramentis quæ sunt corpus et sanguis Domini, **et membrum Christi est et remissionem peccatorum accipit, et ad vitam æternam pertinet**.<sup>334</sup>

15. Credant remissionem peccatorum, quia omnia peccata in baptismo remittuntur<sup>kkkkkk</sup>, et omnia peccata quæ post baptismum facit aliquis, si ex corde penituerit, remittuntur a Domino.

<sup>330</sup> THEODULF., *Bapt.* 7 (col. 227<sup>D</sup>) : c. etiam eum i. ; a., et p. ; r., ascendisse i. ; i. eodem et n. esse, e. ; i. venturum esse, e. resuscitatis omnibus, dare aliis pro peccatis s. ; s., aliis pro iustitie meritis e.

<sup>331</sup> THEODULF., *Bapt.* 7 (col. 227<sup>D</sup>-228<sup>A</sup>) : s., deum verum e. ; f. procedentem, equalem p. ; f., voluntate, potestate, eternitate, substantia, nec esse i. hac s. ; t. ullos g. quibus aliquis i.

<sup>332</sup> THEODULF., *Bapt.* 7 (col. 228<sup>A</sup>) : c. etiam s. ; e., ut credentes i.

<sup>333</sup> THEODULF., *Bapt.* 7 (col. 228<sup>A</sup>) : c. eiusdem s. ; t. domum esse sanctam ecclesiam, a cuius communione d. ; h. vocantur, et eterna damnatione puniuntur.

<sup>334</sup> THEODULF., *Bapt.* 7 (col. 228<sup>A</sup>) : in eius vero communione permanentes, e. membra c. esse, e. ; p. percipere, e. ; e. pertinere.

16. Credant carnis resurrectionem et vitam æternam, quia omnes homines in die iudicii resurgent, et sine fine postea cum corporibus suis vivent, boni in gloria, mali in poena.

17. De septem<sup>iiii</sup> donis Spiritus Sancti, sicut promisimus, nunc loqui vobis non possumus, quia de Simbolo plus longius quam putabamus, Deo ministrante, sermonem vobis fecimus. In alia synodo, de septiformi gratia paucis audietis, largiente domino nostro Iesu Christo, cui est gloria in secula seculorum, amen.



**DE SEPTIFORMI GRATIA SPIRITUS SANCTI QUAE BAPTIZATIS TRADITUR PER EPISCOPOS.**

**[[XXXIV**

1. Quomodo vos, sacerdotes Domini, potiori ordine super populum excellentes estis, ita profundiori scientia de sacramentis Ecclesiæ instructi esse debetis. Itaque de tanto sacramento quod est donum Spiritus Sancti per episcopos cunctis baptizatis collatum, ut vobis clarius elucescat, libentius audite, ut sciatis quantam dignitatem populus christianus per chrisma et confirmationem episcoporum percipit a Domino !

2. [fol. 79] Primum debetis nosse quia chrisma, unde ‘christus’ et ‘christianitas’ dicitur<sup>mmmmmm</sup>, de quo baptismus confirmatur<sup>nnnnnn</sup> et inpositio manuum fit ab episcopis, dum signant servos Dei nostri in frontibus eorum, omni anno non in alia die quam in cæna Domini consecrari debet.

3. De hac re auctoritas est beati Fabiani papæ et martiris<sup>ooooo</sup>,<sup>335</sup> qui orientalibus episcopis scripsit dicens : Comperimus quosdam vestræ regionis episcopos a nostro vestroque ordine discrepare, et non per singulos annos in cæna Domini chrisma conficere, sed duos aut tres annos confectionem sancti chrismatis semel actam<sup>ppppp</sup> servare. Dicunt enim nec balsamum per singulos annos posse reperire, nec necesse fore per singulos annos chrisma conficere, sed dum una confectio chrismatis abundat, aliam fieri necesse non habere. Errant qui talia excogitant, et mente vesana potius quam recta sentienti hæc audiuntur. In illa die dominus Iesus postquam cænavit cum discipulis suis et pedes eorum lavit, sicut a sanctis apostolis predecessores nostri acceperunt nobisque reliquerunt, chrisma conficere eos docuit. Ipsa enim lavatio pedum nostrorum significat baptismum, quod sacri chrismatis unctione perficitur atque confirmatur. Nam sicut ipsius diei sollempnitas per singulos annos est celebranda, ita

<sup>335</sup> Fabien, pape (236-250).

ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda<sup>qqqqqq</sup>, et de anno in anno renovanda, et fidelibus tradenda, quia novum sacramentum est, et per singulos annos in iamdicta die innovandum, et vetus in sanctis ecclesiis cremandum. Ista a sanctis apostolis et successoribus eorum accepimus, vobisque tenenda mandamus. Hæc sancta Romana Ecclesia et Antiochena a tempore apostolorum custodit, hæc et Hierosolimorum et Ephesianorum tenet, in quibus apostoli Petrus, Iacobus et Iohannes presidentes hæc docuerunt, et vetus chrisma incendi in lampadibus ecclesiarum, ac non amplius quam uno anno uti permiserunt, atque deinceps novo frui et non veteri iubentes docuerunt. Siquis ergo his obviare temptaverit, tamquam prevaricator et presumptor a nobis et omnibus recte intelligentibus damnabitur excommunicatione sine ullo aditu indulgentiæ.<sup>336</sup>

---

<sup>336</sup> PS. ISID., *Fabiani secunda* (PL, 130, col. 154-155) : invenimus quosdam ; actam conservare. Dicunt enim, ut in memoratis apicibus reperimus, nec ; Errant enim qui ; recta sentientes hec dicunt. In illa enim die ; conficere docuit ; baptismum, quando sancti chrismatis ; in annum r. ; novum sacratum est ; incendi, et non ; tentaverit, omnem sibi per vos et per omnes recte intelligentes, indulgentie aditum intelligat obseratum.

## [XXXV]

1. In hac auctoritate non conceditur quod quidam Aquitaniæ episcopi faciunt, causa necessitatis, vetus chrisma cum novo permiscentes. Quod si causa penuriæ olei olivarum, unde chrisma conficitur permixtione aliquantula balsami, hoc fit, si forte hoc<sup>mmmm</sup> vix potest ignosci, nullatenus tamen debet indultum esse ut vel unus annus aliquando pretermittatur, quo apud omnes sedes non conficiatur chrisma novum. Et si episcopus a sede deest, a vicinæ civitatis episcopo chrisma expetatur. Et summa abhominatio sit, si pro oleo olivarum, aliud oleum cuiuscumque creaturæ sumatur, neque in confectione chrismatis, neque in oleo baptismali, neque in oleo ad infirmos.
2. Et nullatenus pretermittant episcopi ut semper omni anno aliquantulum de vero balsamo, quod chrisma verum appellatur, non intermisceant cum oleo unde chrisma conficitur, sed summopere procurent semper apud sedes suas balsamum retinere, et de eo non minus<sup>ssssss</sup> quam tres guttas<sup>ttttt</sup> permisceri cum oleo purissimo ex olivis ad conficiendum chrisma, sicut aqua permiscetur cum vino ad conficiendum sanguinem Domini.
3. Ut enim nulla esset occasio episcopis, causa penuriæ non posse emere balsamum, quod carum est, vel non posse emere omni anno oleum purissimum ex olivis, vel nuntios fideles ad alias longe provintias ubi oleum venale invenitur dirigere, qui purissimum oleum deferant ad sedes episcoporum, ideo maxime decretum est a sanctis patribus ut ab omnibus ecclesiis propriæ sedi persolvatur census annuus, qui dicitur sinodus, quando alia ecclesia octo<sup>uuuuuu</sup>, alia sex, alia duos, alia duodecim denarios, vel sicut aliis plus, aliis minus persolvere constitutum est, persolvit, ut de ipso præcio oleum ad chrisma ematur, et balsamus, et omnibus ecclesiis per manus archidiaconorum ministretur omnibus tam chrisma quam oleum ad baptismum et ad infirmos.

4. Hoc enim sacramento chrismatis tota Christianitas constat. Sine chrismate, neque ecclesiæ neque altaria, neque episcopi neque presbiteri consecrari possunt, neque baptismus rite perficitur, neque christianus sollempniter efficitur, neque Christianis paraclitus Spiritus Sanctus ab episcopis traditur.

## [[XXXVI

1. Sed novimus quosdam qui reprehendunt auctoritatem Fabiani papæ, qui dicit Dominum docuisse apostolos in quinta feria cæne Domini conficere chrisma debere. Et dicunt : « Non legimus in Evangelio Dominum commemorasse de chrismate, nisi tantum quia cænavit cum discipulis, et pedes eis lavit. »

2. Sciant, qui hoc dicunt, non omnia quæ Dominus fecit aut dixit scripta esse in solis Evangeliiis, sicut in Evangelio non legitur de Marciale et Cleopa quod deputati in illa cæna fuerint ad serviendum cum aliis discipulis, ut ea quæ tali apparatusi<sup>vvvv</sup> necessaria erant ipsi supplerent, cibi videlicet et potus copiam, et aquam ac linteamina ad discipulorum pedes abluendos et detergendos.<sup>337</sup> Sed qui post Evangelia hoc scripserunt ab illis certe cognoverunt qui illa viderunt et audierunt, et usque ad nostram memoriam transmiserunt, ut nullatenus de his possimus ambigere.

3. Nam et præter scripturam quæ legitur, in ipsa pictura nos antiquitas docet, ubi adolescentem Marcialem videmus linteum quasi ministrare Domino lavanti pedes discipulorum, unde et minister pietatis ab Ecclesia dicitur.<sup>338</sup> Cum enim surrexit a cæna, cum posuit vestimenta sua, cum accepit linteum et precinxit se, cum misit aquam in pelvim, necesse a quibusdam ex minoribus discipulis, qui non recumbebant, linteum accepit et aquam delatam, sicut patres antiqui nos docuerunt. Et sicut accepit quinque panes et duos pisces, quos turbis discumbentibus distribuit, nec dicitur nominatim a quo accepit, vel sicut accepit acetum in cruce, nec nominatim dicitur a

---

<sup>337</sup> *Vita Martial. II II.*

<sup>338</sup> *cf. GAUDENT., Serm. 18, 6 : suscepturus ministros pietatis huius in æterna tabernacula regni celestis ; EUSEB. GALLIC., Hom. 57 : licet ministra pietatis sit evulsa de faucibus, pietas tamen remansit in sensibus.*

*De 'ministerio pietatis', cf. etiam Ordo cel. conc. 16, 69 (p. 465) : quem non electione meriti, sed dono gratie tue constituisti huius operis ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi et ipse in nostro ministerio, quod tue pietatis est, operare !*

quo accepit, sic in cæna cum accepit linteum, non legimus in Evangelio nominatim a quo accepit, sed tamen certum est quia ab aliquo accepit.<sup>339</sup>

4. Et sicut in Evangelio non fit mentio aliqua de chrismate, ita nec aliqua commemoratio ibi fit de Marciale. Tamen sicut ab ipso scriptori, et a scriptore nobis traditum est, et in cæna ipse fuit deputatus ad serviendum, et ipso quo Dominus resurrexit die potestatem ligandi et solvendi a Domino cum reliquis accepit apostolis, deinde potestatem in gentibus predicandi Evangelium, et ipso ascensionis Domini die benedictionis donum, et in igneis linguis accipere meruit cum aliis Spiritum Sanctum.<sup>340</sup>

5. Propter auctoritatem enim sancti chrismatis hæc protulimus, scientes magnam auctoritatem esse tam in Fabiano papa, quam in Marciale apostolo et eius Historia ab eius discipulo descripta ; quam si forte aliquis dicat apochrifam<sup>wwwwww</sup>, necesse est condempnatum eum esse a sanctis patribus, qui plures eam semper receperunt antiquitus, quique nunc tam apud apostolicam sedem Romanam quam penes alias innumeras Christi ecclesias venerabili auctoritate recipiunt et roborant, et usque in finem mundi inter canonicas [fol. 79v] recipient auctoritates, sicut et aliorum gesta apostolorum.

6. Et sicut quædam opuscula et quosdam actus Andreae et Thomae apostolorum, vel alia scripta in Decretis Gelasii papæ Romani<sup>341</sup> invenimus deputari inter apocrypha,

---

<sup>339</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Serm. Mart.* 1 (col. 116<sup>A-B</sup>) : O Martialis, speculum virtutum, o princeps patrum, ubi est quod legimus te in carne fuisse eius discipulum qui in populo Iudeorum sanabat omnem languorem et curabat omnem infirmitatem, qui dolores nostros abstulit et infirmitates portavit, cuius livore sanati sumus ? O claritas episcoporum, decus ecclesiarum, ubi est quod legimus te in cena ministrum Salvatoris fuisse, quando suis pedes lavit discipulis ? O minister pietatis, ubi est quod legitur te a Domino cum aliis apostolis potestatem accepisse ligandi atque solvendi ? Nobis certe ab antiquis traditum est Patribus nostris, omne te donum gratiarum cum aliis accepisse apostolis.

<sup>340</sup> cf. *Vita Martial.* II II.

<sup>341</sup> Gélase, pape (492-496).

ita opusculum Aureliani episcopi Lemovicensis de actibus Marcialis apostoli nullus hactenus ex his patribus qui ante nos fuerunt invenitur reprobasse.<sup>342</sup>

7. Quod<sup>xxxxxx</sup> sicut digna reverentia suscipimus, sicut in hoc opusculo scriptum invenimus Marcialem apostolorum iunctum esse collegio, et, cum eis potestate ligandi atque solvendi accepta a Domino, non dissimili eum ipsis apostolis esse honoris sublimatum privilegio, ita eum de societate apostolorum, in qua eum Deus constituit<sup>yyyyyy</sup>, nostra levitate aut presumptione aut incredulitate nullatenus disrumpamus, sed eum de consortio apostolorum et collegio teneamus, et tamquam vere apostolum predicemus, nisi de eius societate disrumpi velimus nosmetipsos.

8. Et sicut eum credimus apostolum esse divinitatis, licet non reperiatur in Evangeliiis, sic credamus Fabiani papæ veram esse de sacro chrismate quam nunc audistis auctoritatem, licet non memoretur in evangelica historia.

---

<sup>342</sup> Aurélien, légendaire évêque de Limoges († 89) et auteur d'une *Vita Martialis*.

## [[XXXVII

1. Et quia de septem<sup>zzzzz</sup> donis Spiritus Sancti, quæ non nisi cum chrismate ab episcopis tribuuntur, audire vultis, scitote quia ipsa manus impositio, quæ confirmatio dicitur, a nullo perficitur nisi ab episcopis ! Quosdam etiam nuper audivimus male docuisse populum quia nemo potest esse salvus, nisi post baptismum fuerit ab episcopo confirmatus. Audivimus etiam quosdam questionem facere, quod maius est ex his duobus, aut baptismus, aut confirmatio chrismatis.

2. Eusebius papa<sup>343</sup> de hoc capitulo scribit ita : *Romanæ ecclesiæ regulam tenentes, per manus impositionem reconciliari precipimus omnes hæreticos, quicumque Dei gratia convertuntur, et in sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati sunt. Et manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quæ ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus. Nec tempore apostolorum ab aliis quam ab ipsis apostolis legitur aut scitur peracta esse, neque ab aliis, sicut iamdictum est, quam ab illis qui eorum locum tenent, umquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter presumptum fuerit, irritum habeatur et vacuum, nec inter ecclesiastica umquam reputabuntur sacramenta.*<sup>344</sup>

3. Melchiades papa,<sup>345</sup> de hac questione scribit ita : « Quæritis, inquit, *utrum maius sit sacramentum, manus impositio episcoporum, aut baptismus. Scitote utrumque magnum esse sacramentum ! Et sicut unum a maioribus fit, id est a summis pontificibus, quod a minoribus pontificibus perfici non potest, ita et maiori veneratione venerandum est. Sed ita coniuncta sunt hæc duo sacramenta, ut ab invicem nisi morte preveniente nullatenus possint segregari, et unum sine altero rite perfici non potest. Nam unum preveniente morte salvare<sup>aaaaaaa</sup> sine altero potest, aliud autem non potest.*

<sup>343</sup> Eusèbe, pape (309).

<sup>344</sup> Ps. ISID., *Eusebii tertia* (PL, 130, col. 238<sup>A-B</sup>) : e., quod a. ; s. peractum e. ; u. reputabitur s.

<sup>345</sup> Miltiade, pape (310-314).



Unde scriptum est : “*In diebus illis, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem.*”<sup>346</sup> Advertamus summas divitias bonitatis Dei<sup>bbbbbb</sup>. Quod in confirmandis neophitis manus impositio nunc tribuit singulis, hoc tunc Spiritus Sancti descensio non solum in duodecim<sup>cccccc</sup>, sed etiam in credentium populo donavit universis. Sed quia diximus quod manus impositio et confirmatio eum qui iam regnaturus cum Christo est confirmare aliquid possit, forte cogitat sibi aliquis : “Quid michi prodest, post misterium baptismatis, ministerium confirmantis ? Aut quantum video, non totum de fonte suscepimus, si post fontem adiectione novi generis indigemus.” Non ita, dilectissimi, adtendat caritas vestra. Sicut enim exigit militaris ordo ut, cum imperator quemcumque in militum numero receperit, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat<sup>dddddd</sup> pugnaturum, ita in baptizato, benedictio illi munitio est. Dedisti militem, da adiumenta militiae ! Numquid prodest, si quisquam parentum magnam parvulo conferat salutem, nisi providere studeat et tutorem ? Ita paraclitus regeneratis in Christo custos et consolator et tutor est. Ideo dicit sermo divinus : *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam.*<sup>347</sup> Ergo Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero illapsu descendit, tribuit in fonte plenitudinem ad innocentiam, confirmationis<sup>eeeeeee</sup> augmentum prestat ad gratiam, qua in hoc mundo tota aetate victurus<sup>ffffff</sup>, inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est. In baptismo regeneramur ad vitam, in confirmatione confirmamur ad pugnam ; in baptismo abluimur, in confirmatione roboramur. Ac sicut continuo transitoris sufficit regenerationis beneficium, ita victuris necessarium est confirmationis auxilium. Regeneratio per se salvat in pace beati seculi recipiendos, confirmatio armat et instruit ad agones huius mundi et prelia reservandos. Qui autem post baptismum<sup>gggggg</sup> cum acquisita innocentia immaculatus pervenit ad

<sup>346</sup> Act. 2, 17 : i. novissimis d.

<sup>347</sup> Ps. 126, 1 : c. frustra vigilavit q. custodit.

mortem, confirmatur morte, quia iam non potest peccare post mortem. Sicut per baptismum in Christo resuscitatur, sic per confirmationem dono sapientiæ spiritualis in Spiritu Sancto inluminatur, edificatur, instruimur, consummatur, ut illam Sancti Spiritus vocem audire possimus : *“Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris.”*<sup>348</sup> De Spiritu Sancto accipimus ut spirituales efficiamur, quia *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.*<sup>349</sup> De Spiritu Sancto accipimus ut sapiamus inter bonum malumque discernere, iusta diligere, iniusta respuere, ut malitiæ ac superbiæ repugnemus, ut luxuriæ ac diversis illecebris, et foedis indignisque cupiditatibus resistamus. De Spiritu Sancto accipimus vitæ amorem, ut gloriæ ardore succensi, erigere a terrenis mentem ad superna et divina valeamus. »<sup>350</sup>

4. Videte his auctoritatibus patrum, quanta dignitas est confirmatio episcopi, quantum prodest his qui confirmati sunt, et quia per solum baptismum potest aliquis salvus fieri, si morte preoccupatur ante confirmationem, sed ad gradus ecclesiasticos non potest accedere nisi consignatus ! Et tamen sicut episcopus summam diligentiam adhibere debet, ne quis ex sibi commissis in consignatus moriatur, ita et vos observare debetis ut admoneatis vobis commissos ut quicumque de his qui consignati non sunt occurrere festine debeant ad episcopum, ubicumque eum audierint esse, ut nullus sine consignatione moriatur, vel etiam ut, sicut in supradicta auctoritate audistis, in hoc seculo contra omnia temptamenta diaboli muniatur per ipsam signationem.

---

<sup>348</sup> Ps. 31, 8.

<sup>349</sup> I Cor. 2, 14 : a. autem h.

<sup>350</sup> Ps. ISID., *Melchiodis prima* (PL, 130, col. 240-241) : rogitastis vos informari, id est u. ; maius esset s. ; venerandum et tenendum e. ; credentium populos d. ; quia dicimus q. ; confirmatio, et q. ; iam regeneratus in C. ; baptismatis, misterium confirmationis ; militum receperit numerum, n. ; benedictio illa m. ; da ei adiumentum m. ; magnam pupillo c. facultatem, n. ; civitatem frustra vigilat q. custodit e. ; fonte pulchritudinem a. ; innocentiam, in confirmatione a. ; gratiam, quia i. ; ætate victuris, i. ; vitam, post baptismum c. ; abluimur, post baptismum r., at si c. ; transitoris sufficiant r. beneficia, tamen v. necessaria sunt c. auxilia ; salvat mox i. ; confirmatio autem a. ; (...) secundum hoc per Christum redimimur ; per Spiritum vero sanctum i. ; edificatur, erudimur, i. ; amorem et g. ardorem, ut s. divinitus e.

5. Ipsa consignatio in fronte perficitur, sicut ait Iohannes in Apocalipsi, quia *angelus ab ortu solis habens signum Dei vivi clamavit quattuor<sup>hhhhhh</sup> angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens : « Nolite nocere terræ et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum ! »*, id est per confirmationem chrismatis. *Et audivit Iohannes numerum signatorum centum quadraginta quattuor<sup>iiiiii</sup> milia signati,<sup>351</sup>* per quem numerum designati sunt omnes Christiani confirmati chrismate in frontibus [fol. **80**] ab episcopis.

---

<sup>351</sup> Apoc. 7, 2-4 : vidi alterum angelum ascendentem a. ; s. habentem s. ; v. et c. voce magna q. ; t. neque m. ; e. audivi n.

## [[XXXVIII

1. Si vultis scire quis fuit ille ‘angelus ab ortu solis’, et qui fuerunt quattuor<sup>iiiiiii</sup> angeli, et qui quattuor venti quos tenebant angeli in potestate, ille ‘angelus ab ortu solis’ ipse est dominus noster Iesus Christus, *magni consilii angelus*,<sup>352</sup> qui homo factus oriens sol visitavit et inluminavit mundum,<sup>353</sup> et nunciavit nobis et suam et Patris voluntatem ; qui habuit signum Dei vivi, id est signum crucis suæ, qua ipse Deus secundum divinitatem immortalis, secundum humanitatem moriens et *resurgens iam non moritur*,<sup>354</sup> per quod signum vivum vitam reddidit mundo.
2. Qui tamquam Deus universorum imperavit ‘quattuor<sup>kkkkkkk</sup> angelis’, quos principes constituerat super quattuor regna principalia mundi, id est regnum Romanorum et Grecorum, Persidarum<sup>lllllll</sup> et Babiloniorum. Quæ regna potestatem habebant nocendi homines vel suos vel alienos, tam in terra quam in mari quam in silvis. Ipsa autem regna gentilium angelis principibus Deus commisit, ut ea regerent secundum voluntatem Dei, ne plus bella excitarent quam Deus permetteret.
3. Nam regnum Iudeorum, quia iusti erant et proprie Deo subditi, archangelo Michaeli commisit Deus, sicut scriptum est in Iosue : *Cum enim Iosue vidisset virum evaginatum gladium tenentem in campestribus Hierico, cucurrit ad eum et ait : « Noster es, an adversariorum ? » Cui angelus : « Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio. »*<sup>355</sup> Item in Danihele scriptum est, angelo dicente : *« Princeps regni Grecorum restitit mihi »*,<sup>356</sup> id est angelus malus, qui princeps a Deo constitutus erat<sup>mmmmmmmm</sup> super regnum Grecorum, ut eos secundum permissum Dei

<sup>352</sup> Is. 9, 6 : admirabilis consiliarius ; sic VL.

<sup>353</sup> cf. Luc. 1, 78-79 : visitavit nos oriens ex alto, inluminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.

<sup>354</sup> Rom. 6, 9 : r. ex mortuis i.

<sup>355</sup> Ios. 5, 13-14 : c. autem esset I. i. agro urbis H., levavit oculos et vidit v. stantem contra se et e. ; g. perrexitque a. ; a., qui respondit n.

<sup>356</sup> Dan. 10, 13 : p. autem r. Persarum r.

regeret, et eos ad bella excitaret. Et : « *Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Micahel archangelus princeps vester* », <sup>357</sup> id est qui vestræ genti princeps a Deo prepositus est, bonæ genti bonus angelus.

4. Imperavit autem Christus quattuor<sup>nnnnnnn</sup> regnis ne quantum vellent perturbarent terram, mare et arbores, id est homines perhabitates tam in maritimis quam silvis, tam in aridis provinciis, id est longe a mare, ne perturbarent Christianitatem, quæ predestinata erat ad regnum cælorum, quousque omnes electi baptizati et chrismate consignati adimplerent numerum electorum a Deo *presignatum ante constitutionem mundi*. <sup>358</sup>

5. Videtis quia regnum Romanorum et Grecorum Deo subiectum est, ut baptismus et sacrum chrisma libere currat. Videtis quia regna Babilioniorum, id est Sarracenorum, et Persidarum, id est aliorum omnium paganorum, virtutem non habent<sup>oooooooo</sup> destruendi regnum Christianorum, immo in illis regnis regnum est Christi, quia inter Sarracenos et paganos multi sunt habitantes Christiani, qui baptismate lavantur et chrismate ornantur.

---

<sup>357</sup> Dan. 10, 21.

<sup>358</sup> I Petr. 1, 20 : precogniti quidem a.

## [[XXXIX

1. De chrismate signatis, dicit Iohannes : *Vidi supra montem Sion agnum stantem, et cum illo centum quadraginta quattuor<sup>pppppp</sup> milia, habentes nomen eius et nomen patris eius scriptum in frontibus suis.*<sup>359</sup> Dum enim episcopus digito quasi in fronte scribit crucem de chrismate, non solum nomen Filii sed etiam Patris eius et Spiritus Sancti dicit, ut in ipsa cruce quasi scribere videatur in fronte nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti, dicens : « Consigno te signo sanctæ Crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut habeas vitam æternam. »
2. De hac consignatione in fronte Christianorum, dixit Deus *viro qui indutus erat lineis,*<sup>360</sup> sicut in propheta Ezechiele scriptum est : « *Transi per mediam Hierosolim, et signa tau super frontes virorum !* »<sup>361</sup> Et item : « *Super quem videritis thau, nullum ex eis occidatis.* »<sup>362</sup> Thau littera ipsum est signum crucis scriptum ab episcopo in frontibus Christianorum, nullusque chrismate signatus poterit occidi, quia in æternum vivunt, sicut Dominus dixit : *Qui credit in me, habet vitam æternam.*<sup>363</sup>
3. Vir autem ‘qui indutus lineis’ a propheta visus est, designat episcopos lineis sacris et orario indutos, quamdiu chrismate servos Dei nostri signant in frontibus eorum. Et sicut illi dictum est : « *Signa thau super frontes virorum !* », <sup>364</sup> ita episcopus signans crucem super frontes non solum virorum, sed etiam mulierum, dicit : « Consigno te signo sanctæ Crucis. » Et sicut ille vir transire iussus est ‘per mediam Hierosolim’, ut signaret ‘thau super frontes virorum’, sic episcopus transire sollerter oportet ‘per mediam Hierosolim’, id est per ecclesias sibi commissas, dum per vicus et

<sup>359</sup> Apoc. 14, 1 : v. et ecce agnus stabat s. ; sic VL.

<sup>360</sup> Ez. 9, 3 : virum q.

<sup>361</sup> Ez. 9, 4 : m. civitatem in medio H.

<sup>362</sup> Ez. 9, 6 : t. ne o.

<sup>363</sup> Ioh. 6, 47.

<sup>364</sup> Ez. 9, 4.

castella suæ diocesis peragraverint<sup>qqqqqq</sup>, ne incuria sua servi Dei inconsiderati  
morianur.

## [XL

1. Sicut enim baptismus intra ecclesiam fit congruentius, sic consignatio intra ecclesiam fieri debet. Et sicut non potest iterari baptismus, ita nec confirmatio chrismatis.
2. Ideo appellatur confirmatio hoc sacramentum, quia tunc baptismus perfecte confirmatur in christiano, et homo perfecte christianus tunc efficitur. Videte quam magnum est sacramentum confirmatio !
3. Nomen quod in baptismo quis habuit, vel si aliud nomen vult habere quod nondum habuit, in confirmatione chrismatis imponitur ei.
4. Patres et matres sicut in baptismo, ita et in confirmatione habentur, ita ut si quis filium uxoris suæ tenuerit, non ultra poterit ei coniungi, quia spiritalis commater est ei.
5. Sicut albis induuntur baptizati, ita albis circumdantur in capite omnes qui confirmantur. Quæ corona indumenti per septem<sup>iiiiiii</sup> dies gestatur, et octavo die deponitur, sicut et albæ baptismales octavo die deponuntur.



## [XLI]

1. Si autem fieri potest, post baptismum mox debet omnis homo confirmari, quamdiu scilicet adhuc mundus est ab omni peccato per fontem. Ideo qui a vobis in Pascha et Pentecosten baptizati sunt, deduci ad episcopum debent a fideiussoribus suis in hac ebdomada Pentecosten ad sedem civitatis, non sine aliis qui eos teneant ad confirmandum, nec sine coronis lineis quibus post chrisma coronentur, quia, sicut ait Petrus apostolus, omnes Christiani regale sacerdotium sunt,<sup>365</sup> quod regnum Christi per hunc circulum lineum in fronte figuratur, sicut per albas baptismales sacerdotium presignatur.

2. Propter eos autem qui diversis occasionibus deduci ad civitatem ante conspectum episcopi non possunt ad consignandum, oportet episcopum peragrare vicos diocesis suæ, seu ad consignandum seu ad predicandum et corroborandum populum, sicut et Dominus vicos et castella et oppida ac civitates peragravit, et apostoli idem impleverunt.

3. Unde et ecclesiæ quædam per vicos in tercio anno vel secundo censum persolvunt ad episcopi administrationem, dum inibi hospes substiterit. Quem censum ideo ‘paratas’<sup>366</sup> vocatis, quia ad preparationem hospitii episcopi parantur. Cæteros autem census bis in anno, prout constitutum est, omnes ecclesiæ episcopo persolvunt, tam propter emptionem balsami et olei, tam propter caput ecclesiæ cui subditæ sunt, tam propter consecrationem sui, ut episcopus servitium de omnibus ecclesiis suæ

<sup>365</sup> cf. I Petr. 2, 9 : vos autem genus electum, regale sacerdotium.

<sup>366</sup> Ce mot, déjà connu de *DuC* VI (p. 163) : « Paratæ crebro etiam sumuntur pro expensis, quæ in episcoporum et archidiaconorum susceptionibus a presbyteris ecclesiarum ruralium fiunt, dum ii diœcesim suam visitant, quæ postmodum in præstationes pecuniarias abierunt », a bénéficié d’un article dans le *NGML* PA (col. 301-302) : « 1. **parata** (...) redevance (...) due par les églises à l’évêque lors de ses visites ». Il correspond à l’ancien français **parée** (Godefroy s.v. ‘paree’) : « Préparatifs faits pour la réception des hôtes. <Le terme> s’appliquait principalement aux frais de réception des envoyés royaux et des officiers publics. Le même mot (...) fut employé plus tard à désigner les dépenses faites par les cures et les maisons religieuses pour la réception des évêques et des archidiacres en tournée. »

diocesis habeat, cuius benedictione sanctificantur, cuius consecratione presbiteri ordinantur, cuius privilegio chrismate et oleo ditantur.

4. Quod enim dilatio non debet [fol. 80v] fieri inter baptismum et confirmationem, ostendit ipsa oratio, quam episcopus profert dicens : « *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua et Spiritu Sancto, qui que dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos, quesumus Domine, septiformem Spiritum Sanctum tuum paraclitum de cælis !* »<sup>367</sup> Si enim talis dilatio (quod absit !) fuerit, ut<sup>ssssss</sup> quis parvulus baptizatus ad adolescentiam vel iuventutem venerit, antequam confirmetur, vel in homicidium vel in alia sordida crimina prolapsus fuerit, sicut nec eucharistiam priusquam se probet accipere debet, ita nec hoc sacramentum antequam ieiuniis vel aliis satisfactionibus se probet suscipere debet. Nam si adhuc pagani ante baptismum ieiunium et poenitentia indicitur, quanto magis iam Christiano qui se ipsum templum Dei violavit,<sup>368</sup> qui in se Spiritum Sanctum contristavit,<sup>369</sup> ieiunium et poenitentia debet indici, antequam tantum Spiritus Sancti donum accipiat.

5. Et sicut hoc sacramentum aut intra ecclesiam aut extra ecclesiam, vel ubicumque detur, non sine lumine presente datur, quod verum lumen Christum significat, ita qui confirmatur vel a quibus tenetur mundos esse oportet, et Simbolum et Orationem dominicam nosse. Sicut autem vel baptizare aliquando vel confirmare non ieiuno presbitero vel episcopo non nisi necessitatis causa concessum est, sic providere debet is qui baptizatur aut confirmatur ut ieiunus et cum omni gaudio et timore tantum donum suscipiat.

<sup>367</sup> *Sacr. Greg.* 332 (col. 90<sup>C-D</sup>).

<sup>368</sup> *cf.* I Cor. 3, 17 : si quis autem templum dei violaverit, disperdet illum deus ; templum enim dei sanctum est, quod estis vos.

<sup>369</sup> *cf.* Eph. 4, 30 : et nolite contristare spiritum sanctum dei.

## [XLII]

1. Tantum vero omnes baptizati observare debent confirmationem suscipere, nec sine hoc sacramento ab hac vita transire, ut concilium Carthaginense constituerit ut propter necessitatem mortis presbitero confirmare liceat.

2. Decreta vero Romanorum, ne hoc umquam accidat, summopere prohibent neglegentes esse episcopos in hoc officio, et per quasdam urbes episcopi constituunt<sup>tttttt</sup> sibi ad adiumentum sui corepiscopos, ad imitationem septuaginta<sup>uuuuuuu</sup> duorum apostolorum, quos Dominus post duodecim apostolos misit predicare dicens : « *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos !* »<sup>370</sup> Unde, quia et ipsi qui a Domino missi sunt apostoli fuerint, ait ipse Dominus : « *Non est discipulus super magistrum,*<sup>371</sup> *neque apostolus maior eo qui misit illum.* »<sup>372</sup>

3. Et sicut quidam ex nostris istos septuaginta<sup>vvvvvvv</sup> duos comparant presbiteris, ita negare non possunt eos ab ipso Domino esse<sup>wwwwwww</sup> electos et missos, quominus vocentur apostoli. Verumtamen in hoc similes sunt presbiteri septuaginta<sup>xxxxxxx</sup> duobus illis, quos etiam Paulus vocat apostolos, quia, sicut duodecim apostoli fuerunt maiores illis privilegio et potestate, ita episcopi maiores sunt presbiteris tam privilegio quam apice. Sicut<sup>yyyyyyy</sup> autem quidam ex presbiteris postea constituuntur episcopi similes ceteris episcopis, sic quidam ex septuaginta<sup>zzzzzzz</sup> duobus illis postea potestatem cum aliis apostolis duodecim eandem acceperunt, ut non minoris sint dignitatis quam illi duodecim.

4. Hoc sine dubio in Marciale constat impletum fuisse, qui cum aliis apostolis<sup>aaaaaaaa</sup> potestatem ligandi atque solvendi post resurrectionem Domini ab ipso Domino accepit, et extremam occidentis provintiam in sorte apostolatus suscepit Galliam, in qua totam regionem Aquitaniam predicando de barbara fecit christianam.

<sup>370</sup> Luc. 10, 3.

<sup>371</sup> Matth. 10, 24 ; Luc. 6, 40.

<sup>372</sup> Ioh. 13, 16.

Et sicut *qui habet sponsam sponsus est*,<sup>373</sup> ita qui habet apostolatum apostolus est. Et sicut a Spiritu Sancto delegatus est ad predicandum regionibus Galliarum, ita apostolus Galliae signa apostolatus sui precipue universam Aquitaniam continet. Et sicut iubente domino Iesu Christo per beatum Petrum, Aquitaniae provinciae semina fidei eroganda suscepit, ita in Gallia primus adventum domini nostri Iesu Christi adnunciavit, ut non inmerito universae Galliae apostolus sit.<sup>374</sup>

5. Ergo ad horum septuaginta<sup>bbbbbbb</sup> duorum formam corepiscopi constituuntur, ubicumque a propriis episcopis constituuntur, ad adiumentum vel consortium laboris episcopalis, ne sine confirmatione sit aliquis mortuus, immo ut omnes in domo Dei ‘inveniantur pleni Christiani’. Sicut et Urbanus papa,<sup>375</sup> auctoritate sua, testatur scribens : *Omnes fideles, per manus impositionem episcoporum, Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni christiani inveniantur. Quia cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur.*<sup>376</sup>

---

<sup>373</sup> Ioh. 3, 29.

<sup>374</sup> cf. *Vita Martial. II* IV : monuit eum ut dirigeret beatum Marcialem ad predicandum provinciis Galliarum ; *ib.* XXIV : mittens nuntios per universas regiones ac provincias Galliarum, quas ipse Domino predicando acquisierat.

<sup>375</sup> Urbain, pape (222-230).

<sup>376</sup> PS. ISID., *Urbani prima* (PL, 130, col. 140<sup>c</sup>): o. enim f. ; u. plene c.

## [[XLIII

1. Videtis, dilectissimi, quia sicut Dominus apostolos iam baptizatos, dum post resurrectionem suam Spiritu Sancto confirmavit, salutavit dicens : « *Pax vobis !* », <sup>377</sup> ita episcopus confirmando dicit ipsam salutem pacis : « *Pax tecum !* », ut intelligamus omnes fideles in confirmatione plenos christianos perfici, sicut apostoli in infusione<sup>ccccccc</sup> Spiritus Sancti perfecti doctores et roborati facti sunt.
2. Nam quia ad futuri seculi gaudium nimis prodest ipsa confirmatio, aperit ipsa benedictio quam in fine<sup>ddddddd</sup> confirmationis episcopus dicit : *Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum, benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona quæ sunt in Hierosolim omnibus diebus vitæ tuæ.* <sup>378</sup> Hic enim orat, ut in illa futura Hierosolim cælesti videat gloriam Dei per vitam, quæ æterna sine fine erit. <sup>379</sup>
3. Et septem<sup>eeeeeee</sup> dona Spiritus Sancti, quæ in confirmatione omnes baptizati accipiunt, ipsa oratio episcopi demonstrat dicentis : « *Emitte in eos, quesumus, Domine, septiformem Spiritum Sanctum tuum paraclitum de cælis, spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ et pietatis ; adimple eos, quesumus, Domine, spiritu timoris tui !* » <sup>380</sup>

---

<sup>377</sup> Luc. 24, 36 ; Ioh. 20, 19.

<sup>378</sup> Ps. 127, 4 : b. te d.

<sup>379</sup> cf. Hebr. 12, 22 : accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis Hierusalem celestem.

<sup>380</sup> *Sacr. Greg.* 332 (col. 90<sup>D</sup>).

## [XLIV

1. Hæc profecto septem<sup>fmfmfm</sup> dona apostoli iam baptizati a Domino acceperunt in confirmatione, qua *dictum est eis* : « *Accipite Spiritum Sanctum !* »<sup>381</sup> Non enim, sicut quidam dicunt, adhuc sine baptismo erant apostoli, eo quod non narrat Evangelium eos baptizatos, sed quidam baptismo Iohannis, omnes autem baptismo Christi ab ipso Domino vel ab eis quos Dominus baptizavit, baptizati erant, sicut **Marcialis** adolescens, ille discipulus, **a Petro baptizatus erat iubente Domino.**<sup>382</sup> Vere est predicandus, vere beatus ille discipulus, quem Petrus baptizavit, sed Dominus confirmavit simul cum aliis apostolis quando dixit : « *Accipite Spiritum Sanctum !* »
2. Illa confirmatio, quasi secundus baptismus, id est baptismus Spiritus Sancti, sine aqua erat. **Qui bis datus est apostolis, semel in terris, et iterum semel de cælis.**<sup>383</sup> De quo baptismo Spiritus Sancti, qui in confirmatione fuit, Dominus dixerat discipulis : *Iohannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto.*<sup>384</sup>
3. Plus tamen in illa confirmatione prima apostolis datum est, eo quod episcopi constituebantur a Domino, et pastores sive iudices Ecclesiæ et totius mundi, quam his quos episcopi confirmant, hoc est potestas ligandi et solvendi, dicente Domino : *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.*<sup>385</sup>
4. Sicut autem apostoli bis confirmati sunt Spiritu Sancto, non tamen bis confirmari licet fideles, sicut nec licet confirmare ante baptismum. Et tamen Cornelius et qui cum eo audiebant Verbum prius confirmati sunt Spiritu Sancto, quam

---

<sup>381</sup> Ioh. 20, 22 : dicit e.

<sup>382</sup> *Vita Martial. II* 1 : baptizati sunt.

<sup>383</sup> HRABAN., *Inst. cler. (PL, 107, col. 314<sup>B-C</sup>)* : cum idem spiritus b. sit ipsis a. ; d., id est i. terra s., quando post resurrectionem suam dominus insufflavit in eos, (...) e. ; s., quando post ascensionem domini in die Pentecostes in linguis igneis super apostolos venit, et omnium gentium linguis eis loqui concessit.

<sup>384</sup> Act. 1, 5 (*et* 11, 16).

<sup>385</sup> Ioh. 20, 23 : r. detenta s.

baptizarentur. Predicante enim Petro cecidit Spiritus Sanctus super eos qui *audie*-[fol. 81]-*bant* Verbum. Et erant *loquentes linguis, et magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus* : « *Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos ?* » *Et iussit eos baptizari in nomine domini Iesu Christi.*<sup>386</sup> Illi profecto gentiles prius confirmati sunt Spiritu Sancto, quam baptizati fonte, quia prius acceperunt Spiritum Sanctum, quam baptizarentur. Verumtamen illud fuit gratiæ Dei solius, sicut et gratiæ fuit bis dedisse apostolis Spiritum Sanctum ad confirmandos eos, qui tamen ante per baptismum Spiritu Sancto mundati erant ab omni peccato, sicut et hi qui confirmantur ab episcopis prius per baptismum Spiritu Sancto mundantur ab omni peccato.

5. Quod enim apostoli per baptismum iam mundati erant, ait eis Dominus in cæna : *Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.*<sup>387</sup> Apostoli iam per baptismum mundi erant, quia post baptismum Iohannis, quod remissionem peccatorum non dabat, baptismo Christi, quo omnia peccata laxantur, baptizati erant, ipsique iubente Domino alios baptizaverant, sicut Iohannes ait : *Ut cognovit Iesus quia audierunt Pharisei quia Iesus plures discipulos facit et baptizat quam Iohannes – quamquam Iesus non baptizaret sed discipuli eius –, reliquit Iudeam et abiit iterum in Galileam.*<sup>388</sup>

---

<sup>386</sup> Act. 10, 46-48 : a. enim illos l.

<sup>387</sup> Ioh. 13, 10.

<sup>388</sup> Ioh. 4, 1-3 : u. ergo c.

## [XLV]

1. Unde arguuntur mendacii, qui Historiam Marcialis ideo dubiam putant, quia dicitur ibi eum baptizatum fuisse a Petro.<sup>389</sup> Dicunt enim, quod probare non possunt, quia apostoli non baptizaverant, usque post adventum Spiritus Sancti, quando primum predicare coeperunt. Sed nobis teste est Evangelium Iohannis, quod testatur quia apostoli baptismum aliis dederint ante passionem Domini. Nempe in hoc articulo quo Iohannes commemorat Dominum fecisse multos discipulos, et testatur quia discipuli baptizaverint, refert quoque quod reliquerit Dominus Iudeam,<sup>390</sup> indubitanter constat ibi Marcialem fuisse baptizatum, et Domini discipulum primitus factum, quippe quod patrem et matrem relinquens Domino adhæserit, ætate adolescens, videlicet quindecim<sup>ggggggg</sup> annorum ævi.<sup>391</sup>

2. Consentaneum enim est quod Iohannes ait quia discipuli Domini ibi baptizaverint,<sup>392</sup> et Dominus *relicta Iudea abierit in Galileam*,<sup>393</sup> illi testimonio Historiæ dicentis : *Prædicante Domino apud Iudeam in tribu Benjamin, confluebat ad eum multa turba Iudeorum ; et post pauca : Iubente Domino baptizati sunt a Petro Marcellus et Elisabeth filiusque unicus eorum Marcialis, multique alii Iudeorum.*<sup>394</sup>

3. Quia vero non parvum sed multum temporis commoratus ille fuerit cum Domino, ipsa Historia dicit : *Post multum, inquit, temporis, suscitavit<sup>hhhhhhh</sup> Dominus quatrduanum Lazarum, presente ipso Marciale cum Domino.*<sup>395</sup> Nam diligenter retractatum, quando ille beatus adolescens primitus coepit Domino adhærere, necdum Iohannes Baptista missus fuisse in carcere<sup>iiiiiii</sup> invenitur. Illud quoque<sup>iiiiiii</sup> de Samaritana

<sup>389</sup> cf. *Vita Martial. II* 1 : iubente Domino baptizati sunt a beato Petro apostolo.

<sup>390</sup> cf. Ioh. 4, 1-3.

<sup>391</sup> cf. *Vita Martial. II* 1.

<sup>392</sup> cf. Ioh. 4, 2 : quamquam Iesus non baptizaret sed discipuli eius.

<sup>393</sup> Ioh. 4, 3 : reliquit Iudeam, et abiit iterum i. ; sic VL.

<sup>394</sup> *Vita Martial. II* 1 : cum uxore sua ; et eximiæ indolis.

<sup>395</sup> *Vita Martial. II* 2 : ibique sanctissimus Martialis interfuit.



muliere postea factum reperitur, de Regulo etiam petente filio sanitatem, sed et de languido ad probaticam piscinam curato ; illud etiam de quinque panibus et duobus piscibus miraculum, sed et de multis discipulorum, qui abierunt retro et iam non cum Domino ambulabant. Deinde ascendit Dominus de Galilea in Iudeam in die scenophegiæ. Deinde factum est illud de adultera muliere, et de eo quod tulerunt lapides Iudei, ut iacerent in Iesum, sed et illud de cæco nato. Deinceps in *encenia* Dominus docuit, quando *hiemps erat et circumdederunt eum Iudei dicentes : « Si tu es Christus, dic nobis palam ! »*<sup>396</sup> Deinde imminente Pascha, miraculum de quadriduano resuscitato factum est, ubi Marcialis cum Domino interfuit, ut postea esset testis tantæ virtutis. Deinde in ipso Pascha, Dominus passus est. Post passionem vero Iohannis, invenitur electos esse alios septuaginta<sup>kkkkkkkk</sup> duos, et missos a Domino.

4. Sed quia pro baptismi testimonio hæc interserimus, quia apostoli baptizati fuerunt antequam eis Dominus pedes lavaret, illa pedum lavatio remissionem eis peccatorum quæ post baptismum Christi admiserant tribuit. Ergo postea bis confirmati sunt Spiritu Sancto apostoli, et Cornelius centurio prius confirmatus est Spiritu Sancto quam baptizatus baptismo Christi, quod tamen nobis non licet agere, id est nec bis confirmari, nec confirmationem ante baptismum accipere. Quia sicut homo constringitur lege, ita Deus nulla lege constringitur.

---

<sup>396</sup> Ioh. 10, 22-24 : facta sunt autem e. in Hierosolymis et h. ; e., et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis, c. ergo e. ; i., et dicebant ei, quousque animam nostram tollis, s.

## [XLVI]

1. Iam audite cur Spiritus paraclitus est septiformis gratiæ, id est quare sunt septem<sup>lllllll</sup> dona Spiritus Sancti ! Iste numerus, quem dicimus septenarium, mysterium habet summæ perfectionis, et per eum septem<sup>mmmmmmmm</sup> dies sunt in ebdomada, et septem cæli astra, quæ regunt cursum mundi. Iste numerus secundum arithmetica factus est ex eo qui appellatur totus primus impar – hi<sup>nnnnnnnn</sup> sunt tres, qui dividi non possunt æqualiter in duas partes –, et ex eo qui dicitur totus primus par – hi sunt<sup>oooooooo</sup> quattuor, quos dividere possumus æqualiter in duas partes.<sup>397</sup>
2. Tres significant mysterium sanctæ Trinitatis, quæ est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, qui a se dividi non possunt, quia Deus indivisibilis est secundum deitatem. Unus enim est Deus ipsa Trinitas. Quattuor vero significant quattuor<sup>pppppppp</sup> partes mundi, in quibus sancta Trinitas æqualiter adoratur et creditur ab omnibus catholicis. Significant etiam sancta quattuor<sup>qqqqqqqq</sup> Evangelia, quæ sanctam Trinitatem aperte nobis nuntiant.<sup>398</sup>
3. Sicut autem tres cum quattuor septem<sup>rrrrrrr</sup> sunt, ita his qui in Trinitate credunt, et quattuor Evangelia suscipiunt, vel qui catholicam fidem tenent, quæ per quattuor mundi partes dilatata est, septem dona Spiritus Sancti post baptismum in confirmatione tribuuntur.
4. Et quemadmodum si multiplicemus tres per quattuor<sup>sssssss</sup>, vel quattuor per tres, sunt duodecim, ita mysterium sanctæ Trinitatis et doctrina quattuor Evangeliorum per duodecim apostolos primitus predicata est in Hierosolim<sup>ttttttt</sup>, et postea in quattuor plagas orbis dirivata est. In oriente<sup>uuuuuuuu</sup> Thomas et Bartholomeus, Iacobus frater

<sup>397</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 236<sup>B</sup>) : qui s. ; s. etiam g. dicitur, propter septenarii numeri m., in quo summa perfectio intelligitur, e. enim compositus ex toto primo pari, et ex toto primo impari, e. toto primo pari qui dividi potest, e. ; e. toto primo impari, q. ; n. potest.

<sup>398</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 236<sup>B</sup>) : habet enim in ternario m. ; t., in quaternario evangelii.

Domini, Simon et Iudas, atque Mathias<sup>vvvvvvv</sup>, in occidente Petrus, in meridie Matheus, in septentrione Iohannes et Iacobus Zebedei, Andreas et Philippus predicaverunt.<sup>399</sup>

---

<sup>399</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 236<sup>B-C</sup>): sive enim t. ; q., sive q. ; t. multiplicentur, ad duodenarium numerum surgitur, quia m. ; d. evangelii p. ; q. mundi partes, orientem videlicet et occidentem, septentrionem et meridiem d.

## [XLVII]

1. Sicut autem duodecim<sup>wwwwwww</sup> apostoli sunt, ita sunt quidam alii apostoli eorum collegio iuncti, ut et ipsi sint apostoli tam potestate quam officio. Est enim Paulus apostolico officio functus, ita ut sit apostolus ; est Marcialis apostolorum coniunctus contubernio, ita ut et ipse sit apostolus. Nec enim Paulus et Marcialis, neque Barnabas et Silas contra duodecim<sup>xxxxxxx</sup> apostolos sunt, sed cum duodecim apostolis sunt, unum cum eis tenentes, unum sapientes, unum docentes.

2. Et sicut sunt septem<sup>yyyyyyy</sup> dona Spiritus Sancti, ita septem duodenæ sunt apostolorum ex his quos Dominus ante passionem elegit. Post unam quippe duodenam, designavit alias sex duodenas, id est septuaginta<sup>zzzzzzz</sup> duos, quibus dixit : « *Mensis multa, operarii autem pauci sunt. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam ! Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos !* »<sup>400</sup> Sicut prior duodena est quasi duodecim<sup>aaaaaaaa</sup> horæ diei unius, ita aliæ sequentes sex duodenæ [fol. 81v] sunt quasi septuaginta duæ horæ trium dierum perfectorum.

3. Sicut duodecim<sup>bbbbbbbbb</sup> electi sunt propter duodecim tribus Israël, ita septuaginta duo propter septuaginta duas gentes electi sunt. Sicut duodecim horas habet sol in die, ita Dominus duodecim elegit apostolos, qui Trinitatem per quattuor mundi partes predicarent, et predicando mundum inluminarent. Et veluti sol septuaginta<sup>cccccccc</sup> duas horas habet in tribus diebus integris, id est cum suis noctibus, ita elegit Dominus septuaginta duos alios apostolos, qui predicatione trinitatis septuaginta duas gentes et linguas inluminarent. Et sicut duodecim<sup>dddddddd</sup> apostoli designant episcopos, ita alii septuaginta duo figurant presbiteros sive corepiscopos.

4. Sicut autem primis Ecclesiæ temporibus omnes episcopi vocabantur simul et presbiteri, omnesque presbiteri itidem vocabantur episcopi, unumque erat nomen per maturitatem sapientiæ, aliud per laborem curæ pastoralis, ita duodecim<sup>eeeeeeee</sup> apostoli

<sup>400</sup> Luc. 10, 2-3 : m. quidem m.

vocabantur simul et discipuli, at<sup>ffffff</sup> vero septuaginta duo discipuli vocabantur simul et apostoli. Unde testis est Paulus, qui eos vocat apostolos, dicens quia apparuit Dominus duodecim<sup>gggggggg</sup>, *deinde apostolis omnibus*.<sup>401</sup> Sicut enim ipse Dominus in adiumentum duodecim<sup>hhhhhhhh</sup> apostolorum elegit eos et misit eos, ita apostoli sunt merito et officio ipsi septuaginta duo. Si enim non ab ipso Domino sed a duodecim<sup>iiiiiiii</sup> apostolis electi essent et missi, fortasse, ut quidam dicunt, diceremus eos non fuisse apostolos sed tantum discipulos.

5. Invenimus tamen ab his quos Dominus elegit alios fuisse electos apostolos, et esse quattuor<sup>jjjjjjjj</sup> genera apostolorum. Cum illis ergo duodecim<sup>kkkkkkkk</sup>, qui primi electi sunt, qui primi predicare coeperunt in Hierosolim, deinde in omnes gentes, alii quidam perfecti adhæserunt. Cum Thoma Taddeus, unus ex septuaginta<sup>llllllll</sup> duobus, in orientem<sup>mmmmmmmm</sup> abiit, et ab eo missus est ad Abgarum regem Ædissæ civitatis. Cum Petro Marcialis, qui potestatem ligandi atque solvendi a Domino cum aliis apostolis acceperat, venit usque ad urbem Romam, et inde a Petro, immo a Domino per Petrum, missus est ad Aquitaniæ provinciam. Cum Petro predicavit Paulus in occidente, qui, licet eo quod persecutus sit Ecclesiam Dei dixerit se minimum apostolorum, tamen in predicatione plus omnibus apostolis laboravit<sup>nnnnnnnn</sup>.<sup>402</sup>

---

<sup>401</sup> I Cor. 15, 7.

<sup>402</sup> *cf.* I Cor. 15, 9-10 : ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei ; (...) sed abundantius illis omnibus laboravi.

## [XLVIII]

1. Ergo iste numerus, id est duodecim<sup>oooooooo</sup>, qui est factus per tres quaternas, non solum duodecim apostolos, sed etiam alios apostolos, qui eis conlaboraverunt per quattuor partes orbis Evangelii fluentia dirivando, designat. Et hic numerus, hi sunt septem<sup>ppppppppp</sup>, in sacro eloquio significat perfectionem : *Septimo die Deus requievit, quia perfecta opera mundi consummavit.*<sup>403</sup> Et sicut Enoch,<sup>404</sup> qui septima generatione fuit ab Adam, cum Domino ambulavit vivus ad requiem,<sup>405</sup> ita eius translatio significavit nostram futuram perfectam æternam requiem.<sup>406</sup>

2. Et sicut septem septenæ faciunt quadraginta novem<sup>qqqqqqqqq</sup>, et cum monade faciunt quinquaginta, ita iubeleus, id est quinquagesimus annus, perfectam remissionem et requiem ab omni labore dabat Iudeis carnaliter, et nobis dat spiritualiter. Sicut in illo iubeleo computabant Iudei quinquaginta annos, et in toto quinquagesimo anno requiescebant, et festivitatem cotidie agebant, ita habemus septem<sup>ttttttttt</sup> ebdomadas a Pascha usque ad Pentecosten, et cum dominica Pentecosten sunt quinquaginta dies, in quo die Spiritus Sanctus tribuit nobis expectare<sup>sssssssss</sup> veram requiem animarum et corporum in futuro.<sup>407</sup>

3. Sicut dies quinquaginta<sup>ttttttttt</sup> pro annis quinquaginta computamus, sic totum tempus resurrectionis, id est omnes illi quinquaginta dies a Pascha usque ad Pentecosten, sunt quasi unus dominicus dies iubeleus, id est remissionis, in quibus luctum nec ieiunia licitum agere est. Triduanum tamen ieiunium ante Ascensionem Domini, et unum in sabbato sancto Pentecosten, non sunt extra auctoritatem lætitiæ,

<sup>403</sup> Gen. 2, 2 : complevitque (...) opus suum quod fecerat, et s. ; sic VL.

<sup>404</sup> Hénoch, 7<sup>ème</sup> patriarche, fils de Yared, arrière grand-père de Noé.

<sup>405</sup> cf. Gen. 5, 24 : ambulavitque cum Deo et non apparuit quia tulit eum Deus.

<sup>406</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 236<sup>c</sup>) : h. enim n. ; e. pro perfectione poni consuevit, consummatis enim d. operibus suis s. ; q. septimus est a. ; a., et e. ; t. spem nobis eterne requiei contulit.

<sup>407</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 236<sup>c</sup>) : unde et i. ; a., in quo plenaria requies signatur, s. hebdomadibus conficitur, septies enim s. fiunt q. ; n. qui m. addita nostre adunationis impletur.

quia unum pro sancta Ecclesia, alterum pro baptizandis agimus. Præter hæc sola, nec privatum nec generale licet in his quinquaginta<sup>uuuuuuuuu</sup> diebus fieri ieiunium.

4. Et pro illo triduo quod agimus ante Ascensionem Domini, pretermittimus in ebdomada Pentecosten ieiunium triduanum de quattuor<sup>vvvvvvvvv</sup> temporibus, usque in secundam ebdomadam quarti mensis post octabas Pentecosten, nisi in ipso loco occurrerit ipsa ebdomada remissionis. Et sicut ad peragenda ieiunia quattuor<sup>wwwwwwwww</sup> temporum secundum regulam, in primo mense primam quartam sabbati observamus, sic in quarto secundam quartam sabbati, et in septimo terciam quartam sabbati custodimus. Nam propter Nativitatem Domini, quæ semper occurrit in quarta ebdomada decimi mensis, in tertia quarta sabbati eiusdem mensis ieiunium hiemalis temporis regulariter agimus, sicut scriptum est : **Octava decima die decimi mensis ieiunabitis, dicit Dominus, et mittam vobis salvatorem.**<sup>408</sup> Tercia enim quarta sabbati octava decima dies est a prima dominica de adventu Domini.

5. Antiqui autem, qui mox in ipsa ebdomada Pentecosten secundum traditionem apostolorum ieiunabant ieiunio æstivi temporis, in quinquaginta<sup>xxxxxxxxx</sup> diebus paschalibus unum tantum solum in sabbato sancto Pentecosten propter baptismum Ecclesiæ ieiunium agebant, sicut et in sabbato sancto Paschæ.

---

<sup>408</sup> PS. GREG. M., *Resp.* (col. 730).  
= CAO 7886.

## [XLIX

1. Tanta dignitas est in septenario numero, per quem ipsum tempus paschale perfectum est. **Perfectionem huius septenarii** nobis **propheta** confirmat sive **commendat**, **in eo quod ait** : « *Septies in die laudem dixi tibi.* »<sup>409</sup> **Ipse in alio psalmo exponit** nobis et **aperit** quomodo intelligamus, **dicens** : « *Semper laus eius in ore meo.* »<sup>410 411</sup>

2. Non enim tantum septies debemus in die laudare Deum, sed semper et omnibus momentis ; septies, id est omni tempore quo vivimus, debemus laudare Deum. Et sicut cotidie septem<sup>yyyyyyyy</sup> laudes, id est septem horas regulares, Deo persolvitis, ita omnibus momentis vitæ vestræ debet esse laus Dei in cordibus vestris. Et sicut apostolus ait : « *Sive manducemus sive bibamus, sive aliud quid faciamus, omnia in gloriam Dei agamus* », <sup>412</sup> et sic Deo semper laudem reddemus in hac fragilitate carnis nostræ, de qua perveniemus ad illas laudes sanctorum angelorum, qui facie ad faciem Deum conlaudant sine fine.

3. **Porro sicut Iohannes in Apocalipsi scribit ecclesiis septem<sup>zzzzzzzz</sup>**, sic **omnibus ecclesiis mundi**, quæ per septem dona Spiritus Sancti confirmatæ sunt **in fide catholica**, scribit, sicut ipse ait : « *Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.* »<sup>413 414</sup>

4. Et sicut per septem<sup>aaaaaaaa</sup> proprias ecclesias omnes ecclesiæ mundi significatæ sunt, ita per duodecim proprios apostolos omnes alii sancti apostoli in duodenario numero significati sunt, qui genere Hebrei apostolatus officium per diversas mundi

---

<sup>409</sup> Ps. 118, 164.

<sup>410</sup> Ps. 33, 2.

<sup>411</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 236<sup>C</sup>) : h. numeri p. ; c. cum dicit, s. ; t., quod i. ; p. quasi exponens a. cum dicit, s.

<sup>412</sup> I Cor. 10, 31 : s. ergo manducatis s. bibitis vel a. ; q. facitis, o. ; d. facite.

<sup>413</sup> Apoc. 2, 29 : h. aurem a.

<sup>414</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 236<sup>C-D</sup>) : nam et I. ; a. sua, quod s. ; e., generaliter universe catholice creditur scripsisse ecclesie, unde et i.



[fol. 82] partes, obtemperantes et collaborantes illis duodecim apostolis, compleverunt. Qui profecto cum illis duodecim<sup>bbbbbbbbb</sup> apostolis sunt in illo duodenario numero, quo dicuntur esse duodecim portæ Hierosolim, duodecim margaritæ in fundamentis supernæ civitatis, duodecim menses anni, duodecim horæ diei, duodecim signa cæli, duodecim boves sustinentes mare in templo Domini, duodecim panes propositiones in altari. Et sicut sunt patriarchæ plus quam duodecim<sup>ccccccccc</sup>, et prophetæ plus quam duodecim, ita sunt apostoli plus quam duodecim.

[[L

1. Septenarius autem numerus quomodo in multis sanctæ Scripturæ locis universitatem et perfectionem, in multis vero Spiritum septiformis gratiæ, qui baptizatis traditur per manus impositionem episcoporum, designat<sup>ddddddddd</sup>, longum est omnia in Veteri et Novo Testamento persequi.<sup>415</sup>
2. Nunc videte quia, sicut episcopus orat baptizatis advenire Spiritum paraclitum, spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ et pietatis, et spiritum timoris Domini, sic Isaias propheta eiusdem Spiritus septiformis dona enumerat ! Cum enim de sancta Virgine Maria matre Domini prophetaret, quæ, sicut virga Aaron in templo sine aqua germinavit, ita illa sine semine Dominum genuit, sic ait : Exiet virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.<sup>416 417</sup>
3. Iesse fuit pater David regis, de cuius genere extitit Virgo Maria mater Domini, qui genuit florem, id est Christum Iesum dominum nostrum. Super hunc florem, qui de illa virga Iesse, id est de beatæ Mariæ semper virginis partu, egressus est, id est super dominum nostrum Iesum Christum, requievit spiritus Domini, id est Spiritus Sanctus, quia, sicut ait apostolus, omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitavit et mansit in ipso domino nostro Iesu Christo,<sup>418</sup> qui, cum esset filius Dei ante initium, propter nos filius hominis factus est in fine temporum. In prophetis et ceteris sanctis, non totam gratiam suam sed per partes tribuit Spiritus Sanctus<sup>eeeeeeeeee</sup>, dans uni quod alteri non

<sup>415</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 236<sup>D</sup>) : de septenario interea numero, qui i. quibusdam s. ; u. sive p. ; i. quibusdam v. ; s. significat, multa et i. ; e. in n. ; t. habentur, que p.

<sup>416</sup> Is. 11, 1-3 : egredietur v.

<sup>417</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 236<sup>D</sup>-237<sup>A</sup>) : n. videamus qualiter I. ; d. enumeret, c. ; d. christo, qui est v. virtutis d. ; a., egredietur v.

<sup>418</sup> Col. 2, 9 : i. inhabitat o.

dedit, sicut apostolus ait : *Alii datur per Spiritum Sanctum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia virtutum.*<sup>419 420</sup>

4. Unicuique de sanctis, dat secundum mensuram prout vult. In dominum vero Iesum Christum, *non ad mensuram datus est Spiritus Sanctus,*<sup>421</sup> sed totus plenissime in corpus eius, quod de virgine assumpsit, habitavit, sicut ait propheta in persona Dei Patris : « *Ecce puer meus quem elegi, electus meus in quo complacuit animæ meæ ! Ponam spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet.* »<sup>422</sup> Et Iohannes Baptista ait : « *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo, et mansit super eum, et ego nesciebam illum ; sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : “Super quem videris Spiritum descendentem et manentem in eo, ipse est qui baptizat in Spiritu Sancto.”* »<sup>423 424</sup>

5. Spiritus Sanctus, sicut dicitur spiritus Domini, id est spiritus Dei Patris, sic etiam dicitur spiritus sapientiæ, id est spiritus filii Dei, quia amborum spiritus est, quia a Patre et Filio ante omne initium processit. Christus enim est sapientia Dei Patris, sicut ait David : « *Omnia in sapientia, id est in Filio, fecisti.* »<sup>425</sup> De Filio enim ait Iohannes : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nichil.*<sup>426</sup> Et in alio loco, ubi sancta Trinitas est aperte demonstrata, ait psalmista : *Verbo Domini, id est per filium Dei, caeli firmati sunt, et spiritu oris eius, id est spiritu filii Dei, omnis virtus*

<sup>419</sup> I Cor. 12, 8-10 : a. quidem p. ; a. autem s. ; s. secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu a. ; g. sanitarum in uno spiritu, alii operatio v., alii prophetatio alii discretio spirituum alii genera linguarum alii interpretatio sermonum.

<sup>420</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 237<sup>A</sup>) : i. complacuit omnem plenitudinem d. habitare c., nequaquam p. ; p., ut i. ; s., quibus a. ; v., et cetera.

<sup>421</sup> Ioh. 3, 34 : n. enim a. ; m. dat deus spiritum.

<sup>422</sup> Is. 42, 1 : e. servus m., suscipiam eum, e. ; c. sibi i. illo anima mea, dedi s.

Matth. 12, 18 : e., dilectus m. ; q. bene placuit a. ; e. et i. ; g. nuntiabit.

<sup>423</sup> Ioh. 1, 32-33 : n. eum, s. ; m. super eum, hic e.

<sup>424</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 237<sup>A-B</sup>) : quibus u. datur s. ; p., unde et apostolus a. ; m. dat deus spiritum, et p. ; p., ut enim in eo perpetua habitatione requiesceret, ad eum venit, iuxta Iohannis Baptiste testimonium, qui a. : m. super eum, i.

<sup>425</sup> Ps. 103, 24.

<sup>426</sup> Ioh. 1, 3.

*eorum.*<sup>427</sup> Et sicut ‘verbo Domini’, id est Christo, de quo Iohannes ait : *In principio erat Verbum,*<sup>428</sup> et<sup>hhhhhhhhhh</sup> ‘cæli’ superni visibiles ‘firmati sunt’, ita per ipsum verbum Domini apostoli sunt firmati, qui sunt *cæli* spiritales *enarrantes gloriam Dei,*<sup>429</sup> *diversis linguis loquentes magnalia Dei.*<sup>430 431</sup>

6. Numquid Marcialis non erat cælum enarrans gloriam Dei, qui per orbem terræ usque ad urbem Burdegalam advexit noticiam Dei, adnuncians regem seculorum, ut tota Aquitania provintia salvaretur ? Sicut enim Petrus usque ad urbem Romam, ita Marcialis usque ad Burdegalam enarravit gloriam Dei. Et sicut occidentis pars obscurior erat cæteris partibus mundi, sic Petrus potentior lux mundi eam inluminavit, et potentior radium secum ab Antiochia deduxit, qui suo potentiori fulgore extremam et obscuriorem plagam mundi inluminaret. Fuit enim Marcialis unus ex eis qui ‘lux mundi’ a Domino sunt vocitati,<sup>432</sup> et cum eis ad inluminacionem gentium in mundum missus. Qui sicut carne consanguineus, et discipulatu Domini condiscipulus Petro fuit, ita iure apostolus fuit.<sup>433</sup>

7. Et sicut ‘spiritu oris eius’, id est Spiritu Sancto filii Dei Patris – est enim Spiritus Sanctus *consubstantialis eorum quia ab utroque processit* –, firmata est ‘*omnis virtus*’ *cælorum* supernorum, ita apostolorum virtus Spiritu Sancto firmata est, quando in igneis linguis super eos descendens, omnem scientiam linguarum et omnem veritatem eos docuit.<sup>434</sup>

<sup>427</sup> Ps. 32, 6.

<sup>428</sup> Ioh. 1, 1.

<sup>429</sup> Ps. 18, 2 : c. enarrant g.

<sup>430</sup> Act. 2, 11 : nostris l. ; sic VL.

<sup>431</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 237<sup>B-C</sup>) : qui s. ; d. appellatur et s. ; d. christo, qui e. ; d., scriptum est, o. ; n., et in psalmis canitur, quam magnificata sunt opera tua, domine, o. ; a. monstratur, scriptum est, v. ; e., quia per christum, qui est verbum d. ; e. patris, d. ; q. scriptum est, i. ; c., videlicet sancti predicatorum, qui enarrant g. ; d., facti s.

<sup>432</sup> cf. Matth. 5, 14 : vos estis lux mundi.

<sup>433</sup> cf. *Vita Martialis. II* II-III.

<sup>434</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 237<sup>C</sup>) : s., qui e. ; c., qui a. ; u. procedit, o. ; v. eorum.

8. Nisi enim virtus Marcialis a Spiritu Sancto firmata esset, nisi Spiritus Sanctus ipsum cælum cum aliis cælis, id est apostolis, ornasset,<sup>435</sup> non totidem mortuos resuscitasset, non tantis miraculis choruscasset, non tam potenter dæmonibus imperasset, non primus obscuriorem occidentis provinciam Aquitaniam inlustrare tam valide potuisset. Nonne virtus ligandi et solvendi a Spiritu Sancto ei firmata est, ut accepto a Domino Spiritu Sancto cum aliis apostolis, quorum remitteret peccata remitterentur eis, et quorum retineret retenta essent ? Nonne spiritus Dei ornavit eum, quando variis linguis magnalia Dei eum loqui fecit,<sup>436</sup> quando omnem veritatem eum docuit, quando eum in Galliis primum predicatorem adscivit ?

9. Non autem tantummodo apostolorum, sed etiam omnium sanctorum virtus et ornatus Sancti Spiritus inspiratione subsistit. Item quia dominus Iesus Christus sapientia est, ait apostolus : Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.<sup>437</sup> Et Salomon testatur : Deus in sapientia sua fundavit terram, in prudentia sua paravit cælos.<sup>438</sup> Sicut autem idem filius Dei vocatur sermo Dei, id est verbum Dei, lux et vita et resurrectio est<sup>kkkkkkkkkk</sup> nostra, sic Spiritus Sanctus vocatur spiritus sapientiæ, id est spiritus filii Dei. Et sicut filius Dei est lux vera, quæ inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum,<sup>439</sup> ita Spiritus Sanctus est sapientia vera, intellectus verus, consilium verum, fortitudo vera, scientia vera, pietas vera<sup>llllllllll</sup>, timor verus, quia homini dat sapientiam et intellectum, consilium et fortitudinem, scientiam et pietatem, et timorem Dei, qui est initium sapientiæ, sicut scriptum est : *Initium sapientiæ timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus eum.*<sup>440 441</sup>

<sup>435</sup> cf. *Vita Martial. II II.*

<sup>436</sup> cf. Act. 2, 11.

<sup>437</sup> I Cor. 1, 24.

<sup>438</sup> Prov. 3, 19 : dominus s. ; t., stabilivit c.

<sup>439</sup> Ioh. 1, 9.

<sup>440</sup> Ps. 110, 10.

<sup>441</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 237<sup>C</sup>) : quia o. ; s., et a. scribit, christus d. virtus e. ; d. sapientia, e. in proverbii legitur, d. ; p., et quomodo i. ; s. domini v. ; i., consilii et fortitudinis, et scientie et pietatis

10. Non autem Spiritus Sanctus in semetipso **diversus est**, sicut diversa sunt hęc nomina septem<sup>mmmmmmmmmm</sup> donorum, **sed unus atque idem fons et principium est** **cunctorum**<sup>nnnnnnnnn</sup> **virtutum.**<sup>442</sup>

---

ac timoris domini nuncupatur.

<sup>442</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 237<sup>C-D</sup>): non quod d. sit iuxta differentias nominum, s. quod u. ; f. sit atque p.

## [LI]

1. De his enim septem virtutibus, omnes aliæ virtutes procedunt. Et in his septem<sup>oooooooo</sup> donis, quattuor sunt principales virtutes, quæ omnes alias virtutes creant, si simul inter se concordant. Sapientia prima, ipsa est prudentia, quia omnis sapiens prudens est, et nullus imprudens vere sapiens est. Tercia virtus consilium, ipsa est temperantia, quia omnis prudens consiliator [fol. 82v] temperate tractat consilium, et omne consilium, si rectum est, per temperantiam est. Quarta virtus est fortitudo. Sexta virtus est pietas, ipsa est iustitia, quia nullus vere est pius nisi per iustitiam. Iustum est enim Deum proximumque diligere, et reddere Deo quæ Dei sunt, et homini quæ hominis sunt.

2. Sicut ergo dominus Iesus Christus æque ut Spiritus Sanctus est fons atque principium cunctarum virtutum, ita sine ipso Christo nullus potest habere sapientiam, qua vere sit sapiens, nec intelligentiam, qua vere sit intelligens, nec consilium, quo vere sit consiliarius, neque fortitudinem, qua vere sit fortis, nec scientiam, qua vere sit eruditus, nec timorem Domini, qua vere sit timens Deum. Ideo qui vere in Christum credit, necesse est post baptismum ut haec septem<sup>ppppppppp</sup> dona Spiritus Sancti per impositionem manus episcopi accipiat.<sup>443</sup>

3. Cuius auctoritatem rei sicut vobis protulimus de aliis apostolicis Romanis, ita auctoritatem sancti Clementis<sup>444</sup> papæ, qui discipulus fuit beati Petri, qui ab ipso episcopus consecratus est in sua sede post se,<sup>445</sup> proferemus. Ita ipse Clemens papa et martyr scribit : Omnibus festinandum est renasci Deo, et sine mora demum consignari ab episcopo, id est septiformem gratiam Spiritus Sancti percipere, quia incertus est uniuscuiusque vitæ exitus. Cum autem regeneratus fuerit per aquam, et postmodum

<sup>443</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 237<sup>D</sup>) : f. sit a. ; p., absque c. igitur nec s. quis esse p. ; n. plenus timore d.

<sup>444</sup> Clément, pape (91-100).

<sup>445</sup> *cf.* Sermo in conc. XXXII 1.

septiformi Spiritus gratia ab episcopo, ut memoratum est, confirmatus, quia aliter perfectus esse christianus nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate sed incuria aut voluntate remanserit, ut a beato Petro accepimus, et ceteri sancti apostoli precipiente Domino docuerunt, demum ex operibus bonis ostendat in se similitudinem Dei.<sup>446</sup>

4. Scitote quia has septem<sup>qqqqqqqqqq</sup> virtutes sive septem dona Spiritus Sancti Zacharias propheta septem oculos vocat, quos vidit in uno lapide,<sup>447</sup> id est in domino Iesu Christo, de quo ait apostolus : *Petra autem erat Christus* !<sup>448</sup> Sicut enim per oculos corporis nos observamus, ita per istos septem<sup>mmmmmm</sup> spiritales oculos, id est per septem dona Spiritus Sancti, observamus vias rectas, quibus animæ nostræ caventes peccata properent ad civitatem Dei futuram. Et sicut Spiritum Sanctum, qui a Patre Filioque procedit, idem dominus Iesus Christus apostolis tribuit, ita tunc per apostolos, et postea per successores apostolorum, id est per episcopos, videlicet per ministerium episcoporum, omnibus filiis sanctæ suæ Ecclesiæ tribuit.<sup>449</sup>

<sup>446</sup> PS. ISID., *Clementis quarta* (PL, 130, col. 56<sup>C-D</sup>) : o. ergo f. ; docuerunt, et d. ; s. eius, qui eum genuit, patris.

*cf. infra Sermo in conc. II L 1.*

<sup>447</sup> *cf. Zach. 3, 9* : quia ecce lapis quem dedi coram Iesu super lapidem unum septem oculi sunt.

<sup>448</sup> I Cor. 10, 4.

<sup>449</sup> THEODULF., *Bapt. 17* (col. 237<sup>D</sup>) : et hoc sciendum est quod s. domini, sapientie et intellectus, consilii et fortitudinis, scientie et pietatis, ac timoris domini, id est septenarius numerus, qui s. oculi i. ; l. dicuntur Zacharie, requiescat super virgam et florem qui de Iesse, ac per hoc stirpe David surrexit. Hunc enim s. ; a., et p. ; e. eorum successorum m.



## [LII]

1. Et hæc septem<sup>ssssssssss</sup> dona Spiritus Sancti, sicut ex uno fonte Spiritus Sancti procedunt, ita habent suas proprietates. Aliud enim est sapientia, aliud intellectus, aliud consilium, aliud fortitudo, aliud scientia, aliud pietas, et aliud timor. Sapientia est, per quam discernimus bonum et malum. Intelligentia est, per quam invenimus puram veritatem. Consilium est, per quod omnia cum ratione agimus, sicut ait apostolus : « *Omnia probate, quod bonum est tenete !* »<sup>450</sup> Fortitudo est illa virtus, per quam adversa pro Deo sustinemus. Scientia est, per quam voluntatem Dei agnoscimus. Pietas est illud donum, per quod bonum diligimus, malum odimus. Timor Domini est, per quem inlicita fugimus, et bona non negligimus.<sup>451</sup>
2. Multi per sapientiam id<sup>tttttttt</sup> quod cælestia et æterna sunt sapiunt, sed hæc intelligere sicut sunt non possunt. Et sicut sapientia eum in quo est consolatur de veritate futuræ gloriæ, ita intellectus, cum intrat in secreta, inluminando tenebras cordis consolatur hominem in quo est. Consilium consolatur eum in quo est, dum ratione non permittit eum esse precipitem ad ea quæ agere vult. Fortitudo consolatur eum in quo est, cum facit eum adversa non metuere, cum confidentiam prebet in mente trepidante. Scientia hominem in quo est consolatur, cum lumine suo ignorantiam fugat ab eo. Pietas eum in quo est consolatur, cum facit eum exuberare operibus misericordiæ. Timor hominem in quo est confortat, dum premit cor ne de presentibus gloriatur vel superbiat, et dum de futuris bonis mentem sperare facit.<sup>452</sup>

<sup>450</sup> I Thess. 5, 21 : o. autem p.

<sup>451</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 237<sup>D</sup>-238<sup>A</sup>) : cuius d., quanquam e. unius s. ; f. procedant, videntur quodammodo quasdam habere p. ; e. sapere, a. intelligere.

<sup>452</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 238<sup>A-B</sup>) : quia m. ; e. quidem s. ; i. minime p. ; s. ergo mentem, quam insederit, d. eternorum spe et certitudine replet, et i., eo quod s. penetrat, cor quod tetigerit, reficiendo eius t. illustrat, c. ; e. aliquem p. prohibet, r. animum replet, f. vero, c. ; n. metuit, trepidanti menti c. ; s. quem repleverit illustrat, p. ; e. quem repleverit e. concedit, t. ; p. mentem n. ; f. illam spei refectione c.

*cf. etiam* GREG. M., *Moral.* I 32.

3. Et sicut fortis amicus alteri amico forte prebet adiutorium, ita hæ septem<sup>uuuuuuuuuu</sup> virtutes adminiculantur sibi invicem et succurrunt. Et dum alia aliam adiuvat, decentissime ornant hominem in statum et ordinem presentis et futuræ vitæ. Quippe sapientia parum prodest, nisi habeat intellectum. Et nihil prodest intellectus, nisi habeat sapientiam, quia, sicut intrat in profundiora vel altiora<sup>vvvvvvvvv</sup> sine sapientia, ita gravius ruit. Sicut enim sapientia pondus habet, quia non est vacua, sic intellectus sine sapientia levitatem habet, quia vacuus est. Vile est consilium, quando non habet fortitudinem, quia quod invenit per considerationem perficere non potest, carens viribus. Et fortitudo valde est destructa, nisi eam consilium adiuverit, quia, quo plus potest virtus, eo plus deterius cadit, nisi sit moderata per rationem consilii. Scientia nihil prodest sine pietate, quia, dum non curat facere bona quæ scit, artius sese stringit ad iudicium.<sup>453</sup>

4. Scienti enim bonum et non facienti, maius peccatum est, quam illi qui nescit. Et gravius illi pereunt qui Deum cognoverunt et contempserunt, quam qui de eo non audierunt. Et maius iudicium habet Nero<sup>454</sup>, qui predicatores Dei audivit, et Deum cognoscere et credere potuit, et non credidit, quam imperatores qui ante eum fuerunt, et nullum predicatorem de agnitione veri Dei habuerunt.

5. Pietas vero nihil prodest sine scientia, quia dum nescit discretionem, dum per nullam scientiam inluminata est, nescit quomodo misereri debet. Timor nihil prodest, nisi habuerit secum istas sex virtutes quas auditis, quia sine illis non potest facere

<sup>453</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 238<sup>B-C</sup>) : sic enim quodam adminiculo suo i. ; s., ut d. ; a. alie suffragatur, v. ordo e. status d. componatur, minor q. est s. si intellectu careat, e. valde inutilis i. est si ex sapientia non subsistat, q. cum a. ; s. sapientie pondere penetrat, sua illum levitas g. ruiturum levat, v. ; c. cui robor fortitudinis deest, q. ; q. tractando invenerit, c. ; v. usque ad perfectionem operis n. perducit, e. ; f. destruitur, n. per c. fulciatur, q. ; p. se posse conspicit, e. ; v. sine rationis moderamine d. in preceptis ruit, nulla est s., si utilitatem pietatis non habet, q. ; b. cognita exsequi negligit, s.

*cf. etiam* GREG. M., *Moral.* I 32.

<sup>454</sup> Néron, empereur († 68).

surgere hominem **ad aliquod bonum opus**. **Et dum ad cuncta facit** hominem trepidare, per ipsum timorem est homo torpens et vacans a bonis omnibus.<sup>455</sup>

6. **Itaque unusquisque observare summopere debet**, et adiutorium Spiritus Sancti implorare, **ne sapientia elatum faciat** hominem, **ne intellectus ducat** hominem in errorem, **dum subtiliter intelligit et currit**, **ne consilium, dum se multiplicat, trahat in confusionem**, **ne fortitudo precipitet** hominem, cum prebet ei fiduciam, **ne scientia inflatum et superbum reddat** hominem, **dum dilectionem non habet**, **ne pietas intorqueat** hominem, **dum eum facit extra rectitudinem inclinare**, **ne timor in foveam desperationis mergat** hominem, **dum nimis eum trepidare facit**.<sup>456</sup>

---

<sup>455</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 238<sup>c</sup>) : et valde inutilis est p., si scientie discretione careat, q. ; d. nulla hanc scientia illuminat, q. misereatur ignorat, t. quoque ipse, has etiam v. si non h. ; a. nullum opus procul dubio bone actionis surgit, qui d. ; c. trepidat, ipsa sui formidine a ; t. vacat.

<sup>456</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 238<sup>c</sup>) : i. observandum est, e. ipsius s. ; a. implorandum, n. ; s. elevet, n. ; c., aberret, n. ; m., confundat, n. ; p. dum p. ; d. novit et n. diligit, inflet, n. ; d. se e. ; r. inclinat, i. ; d. plus iusto trepidat, i.  
*cf. etiam* GREG. M., *Moral.* I 35.

## [LIII]

1. Ita, fratres, nihil prosunt hæ virtutes septem una sine altera, vel si nimis sunt parvæ, vel si nimis sunt magnæ. Et omnia dona spiritalia quæ Spiritus Sanctus distribuit in corpore Christi, quod est sancta Ecclesia, per septem<sup>wwwwwwwww</sup> hæc dona sustinentur et corroborantur. Et sicut omnes gradus et omnes ordines tocius Christianitatis per hæc septem<sup>xxxxxxxxx</sup> dona Spiritus Sancti sunt corroborata, ita in domino Iesu Christo, qui est vere fons luminis et origo bonitatis, plene et perfecte, atque incomparabiliter et ineffabiliter sunt.<sup>457</sup>

2. Ipse namque dominus noster Iesus Christus, sapientia Dei Patris, quæ et in utero virginis corpus verum sibi assumpsit, et in mundo Ecclesiam sanctam sibi ædificavit, habet ineffabiliter spiritum sapientiæ, quia omnia sapienter agit, intelligentiæ, quia cuncta archana considerat et secreta rimatur tam tocius creaturæ [fol. 83] <quam cor>dium<sup>yyyyyyyyy</sup> nostrorum. Habet ineffabiliter spiritum consilii, quia cuncta cum magna dispensatione regit : ipse est enim magni consilii angelus a propheta vocatus.<sup>458</sup> Habet perfecte spiritum fortitudinis, quia attingit omnia a fine usque ad finem fortiter,<sup>459</sup> et a nullo vinci potest. Habet spiritum scientiæ, quia omnia scit tamquam creator, et nihil ignorat. Eos autem quos ignorat reprobat, sicut ipse ait dicturum se in fine : « Nescio vos, discedite a me operarii iniquitatis ! »<sup>460</sup> Habet spiritum pietatis, quia pietate redemit hominem, quem creaverat bonitate et damnaverat per iustitiam. Habet spiritum timoris Domini, non ut ipse aliquid timeat, qui perfectus Deus est cum Patre et Spiritu Sancto, quem tremunt virtutes et potestates, sed ipse dat timorem

<sup>457</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 238<sup>C-D</sup>) : sciendum sane quod he donorum spiritalium distributiones i. ; e., his fulciantur adminiculis, i. eo vero q. ; p. atque p. ; i. atque i. regnent.

<sup>458</sup> Is. 9, 6 : (vocabitur nomen eius) admirabilis consiliarius ; *sic* VL.

<sup>459</sup> Sap. 8, 1.

<sup>460</sup> Luc. 13, 27 : vos unde sitis d.

parvulis, sicut ait psalmista : « *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos !* »<sup>461</sup> *Qui enim sine timore est, non poterit iustificari.*<sup>462 463</sup>

3. Ille autem beatus est, qui semper timoratus est, et *beatus vir, qui timet Dominum.*<sup>464</sup> Et beatus est, cui datum est timorem Domini habere. Sicut ergo sapientia Dei, *ad infirma nostra descendens, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, et humiliavit semetipsum usque ad mortem,*<sup>465</sup> et, ut nos iacentes ad se erigeret, *inclinavit semetipsum*, ita recte et convenienter primus gradus septem<sup>zzzzzzzzzz</sup> virtutum, quæ super eum requiescunt, a maiori, id est *sapientia, incipit, et per gradus aptissimos usque ad* minorem gradum, id est *timorem, descendit*, per quem gradum timoris ad passionem coepit pavere et tedere secundum humanitatem, dicens : « *Tristis est anima mea usque ad mortem.* »<sup>466 467</sup>

4. Nos autem, qui puri homines sumus<sup>aaaaaaaaaaaa</sup>, a minori gradu usque ad maiorem ordinabiliter ascendimus, et a timore ad sapientiam elevari debemus, quia *initium sapientiæ timor Domini.*<sup>468</sup> Unde et apostoli de timore, dum propter metum Iudeorum in unum congregati essent, ad sapientiam pervenerunt descendente super eos Spiritu Sancto et omnem veritatem eos docente.<sup>469</sup> Nam deinceps cum timore salutem suam operantes, timorate egerunt, pie laboraverunt, scienter oboedierunt, fortiter certaverunt,

---

<sup>461</sup> Ps. 33, 12.

<sup>462</sup> Eccli. 1, 28 : nam q.

<sup>463</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 238<sup>D</sup>-239<sup>A</sup>) : s. quo o. ; i., qua c. ; a. secretorum r. ; c., quo c. ; d. gerit, quia e. ; i., exceptis his quibus dicturus est, n. ; b. creavit, iustitia damnavit, p. ; t., propter eos qui timore domini indigent quia parvuli sunt, quibus per prophetam dicit, v.

<sup>464</sup> Ps. 111, 1.

<sup>465</sup> Phil. 2, 7-8 : accipiens ... humiliavit ; s. factus oboediens u.

<sup>466</sup> Matth. 26, 38 ; Marc. 14, 34.

<sup>467</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 239<sup>A</sup>) : quia e. ille a. ; e., non inconvenienter spiritus domini, qui s. ; e. requiescit, a ; p. decentissimos g.

<sup>468</sup> Ps. 110, 10 ; Eccli. 1, 16.

<sup>469</sup> cf. Ioh. 20, 19 : cum esset ergo sero die illo una sabbatorum, et fores essent clausæ ubi erant discipuli propter metum Iudæorum, venit Iesus et stetit in medio et dicit eis pax vobis.

cum consilio gubernaverunt, cum intelligentia tractaverunt, sapienter predicaverunt, quousque ad veram sapientiam, quæ Christus est, de presenti seculo pervenirent.

## [LIV

1. A timore enim Marcialis incipiebat, cum a Domino et Petro mitteretur in sortem sui apostolatus. Cum enim Petrus legationem Domini ei proferret, sicut Historia narrat, **coepit graviter flere, quia timebat longinquam regionem** ad quam primus predicator accedere debebat, **ubi omnes homines prorsus veritatem ignorabant.**<sup>470</sup> Sed de timore illo, quem *foras caritas misit*,<sup>471</sup> pervenit ad timorem castum,<sup>472</sup> quo voluntatem et iussum Domini ac beati Petri aggressus est.
2. De timore pervenit ad pietatem, cum misericordia compassus pro fratre exanime ad conpropinquum apostolum recurrit, et tam Petri quam suis meritis et fide ut mortuus postea diu vivus perduraret optinuit. Nimirum cuius cadaver sine vita per septem<sup>bbbbbbbbb</sup> dies iacuerat apud locum Italiae qui Elsa vocatur,<sup>473</sup> deinceps cum apostolo per viginti octo annos in labore pastoralis permansit, et post eum qui se resuscitaverat, post ipsum quoque consacerdotem suum Alpinianum<sup>474</sup>, dormivit in Christo apud Lemovicam, ibique resurrectionem generalem futuram expectat.
3. De pietate ascendit ad scientiam, quia per spiritum scientiae ubique per viam ducentem ad Lemovicam seminarium verbi Dei predicans erat.
4. Per spiritum fortitudinis fortiter egit, cum propter predicationem unius Dei diversis suppliciis maceratus et in carcere missus, ipsam barbariem leni iugo redemptoris subiecit, et idola ac templa daemonum diruit, et sub una die aliquotiens multa milia gentilium fonte salutari diluit, et sponsam regis Aquitaniae virginem Christo consecravit, non timens futuras prepotentis principis minas.<sup>475</sup>

---

<sup>470</sup> *Vita Martial. II V* : et h. ; v. nescientes.

<sup>471</sup> I Ioh. 4, 18 : f. mittit timorem.

<sup>472</sup> cf. Ps. 18, 10 (VL).

<sup>473</sup> cf. *Vita Martial. II VI* : in loco qui Else vocatur.

<sup>474</sup> Alpinien, compagnon de Martial (III s.).

<sup>475</sup> cf. *Vita Martial. II XI-XII*.

5. Per spiritum consilii primam totius Galliae ecclesiam christianorum fecit non a novo opere constructam, ne ipsa dilatio novi operis occasionem regno diaboli faceret, et triumphus Christi retardare videretur, sed de vetusto templo gentilium sub una die perfecit basilicam fidelium, ut ipsa celeritas sacræ ecclesiæ incitamentum credendi incredulis prestaret. Itemque possessiones sanctarum mulierum in dominio ecclesiæ deputavit, ut communis vita sine indigentia a ministris ecclesiæ observaretur, sicut scriptum est : *Dividebatur singulis prout cuique opus erat.*<sup>476</sup> Itemque regi suasit ut per omne regnum suum legem proponeret, ne quis Deum vivum blasphemaret, et ut templa idolorum subruerent, et famulatus veri Dei sese subderent.<sup>477</sup>

6. Per spiritum intelligentiæ secreta conscientiarum rimabatur, sicut matrona nobilis ex Burdegala ad eum veniens dicebat : « *Scio, domine, non te latere petitionem meam, quia, ut audio, conscientias hominum perfecte intelligis.* »<sup>478</sup> Item omnibus indigne ad eucharistiam venientibus, conscientias mentium reserabat, et sanctorum communionem eis dare nolebat, dicens : « *Non debet quisquam communionem altaris nisi accipere mundus.* »<sup>479</sup>

7. Per spiritum sapientiæ ita sapienter egit, ut, fundata omni Ecclesia per Aquitaniam universam, ipsam sapientiam Dei Patris visibiliter haberet visitatricem sibi, et invitantem ad regnum paratum, cum qua in splendore immenso de terris ad gloriam abiit perpetuam, virgo et plenus Spiritu Sancto.<sup>480</sup>

8. Et sicut illis temporibus per apostolos proprie tribuebatur Spiritus Sanctus, sic ipse hæc septem<sup>cccccccccc</sup> dona Spiritus Sancti omnibus quos baptizabat procul dubio tribuit, sicut de sanctis mulieribus scriptum est : Cum eas baptizasset apostolus,

<sup>476</sup> Act. 4, 35 : dividebantur autem s.

<sup>477</sup> cf. *Vita Martial. II XIII.*

<sup>478</sup> *Vita Martial. II XVII* : h. evidenter i.

<sup>479</sup> *Vita Martial. II XXIII* : q. corpus Christi.

<sup>480</sup> cf. *Vita Martial. II XXVI* : post hanc vocem ab omnibus auditam, simul cum omni splendore perrexit in celum.



imponens eis manum oravit pro eis Dominum, et repletæ sunt ambæ Spiritu Sancto.<sup>481</sup>

Quod enim mulieribus, profecto viris tribuebat tantum donum Spiritus Sancti.

---

<sup>481</sup> *Vita Martial. II X* : baptizavit eam cum unica filia sua Valeria ; orante p.

## [LV

1. Nos itaque, fratres, qui membra Christi sumus, primum si<sup>ddddddddd</sup> intramus in timorem, quem foras caritas mittit,<sup>482</sup> deinceps possumus pervenire ad timorem castum, qui permanet in seculum seculi.<sup>483 484</sup>
2. Primus timor est, dum propter metum Gehennæ bona agimus. Sanctus timor est, dum pro amore gloriæ æternæ bonis operibus intendimus. Sicut autem dicitur repletus spiritu timoris Domini dominus noster Iesus Christus, in quo nullus timor potest esse – sed nos timentes se facit, ut iustificemur –, ita Spiritus Sanctus dicitur postulare pro nobis, sicut ait apostolus: *Ipse Spiritus postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus.*<sup>485</sup> Qui tamen non postulat, quia Deus est perfectus cum Patre et Filio, sed dat nobis et unicuique gratiam suam prout vult, sed ideo dicitur postulare, quia illos quos replet et visitat, postulantes et gementes pro reatibus suis facit.
3. Si timorem Dei habemus, de timore pervenimus ad pietatem. Ille autem qui pietatis operibus est exornatus venit ad scientiam, per quam inluminatur, ut omnia per rationem faciat. Et dum per pulchritudinem scientiæ est exornatus, venit ad fortitudinem, per quam dimicet contra vitia. Nam peius multos timoratos et pios ad seculum videtis, et dum didicerint scientes ordinem cælestem, per fortitudinem agere festinant bonum quod a magistris didicerunt. De fortitudine veniunt ad consilium, quia ea quæ fortiter agunt consilii gravitate temperant et muniunt, secundum consilium maiorum. Et dum sunt optemperantes in actibus suis bonorum consilio, intran ad secreta intellegentiæ, quia per semetipsos multa intelligunt quæ per ma-[fol. 83v]-gistros non didicerunt. De intelligentia veniunt ad perfectam sapientiam, quæ inchoata est a timore Domini. Et sapienter omnia complentes ut perfecti magistri, et in actibus

---

<sup>482</sup> I Ioh. 4, 18.

<sup>483</sup> Ps. 18, 10 : timor sanctus, permanens i. ; sic VL (AUG.).

<sup>484</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 239<sup>A</sup>) : n. vero a timore, q. ; m., venientes a.

<sup>485</sup> Rom. 8, 26.

suis **intellectum bonum habentes, adiunguntur illi veræ sapientiæ, per quem omnia facta sunt**, domino nostro Iesu Christo.<sup>486</sup>

4. Quia alia vobis de sinodo et pace et aliis rebus dicere habemus, hic sermonem terminamus. Oremus Deum Patrem et filium eius et Spiritum Sanctum ut, in testificatione purissimæ veritatis, nos iugiter perseverare concedat, et concordēs in sua voluntate custodiat, cui est gloria in secula seculorum. Amen.

---

<sup>486</sup> THEODULF., *Bapt.* 17 (col. 239<sup>A-B</sup>) : p., ut p. ; o. exornati veniamus a. ; s., non que inflat, sed quam charitas edificat, a scientia a. ; f., ut s. decore exornati fortiter c. ; v. dimicemus, a f. ; c., ut e. ; f. agimus, c. ; g. muniamus, ut a. nostris c. obtemperatis, a. arcana intellectus intrantes, a. eam veniamus s. ; q. initium habet timorem d., ut s. ; b. faciendo h. ; s. admitti valeamus, p. quam f.

**SERMO AD SINODUM DE CATHOLICA FIDE.****[LVI]**

1. PASTORES SANCTAE ECCLESIAE SUAE dilectos in tantum Dominus diligit et honorat, ut eos constituat luminaria seculi, ut ipsi totam sanctam Christianitatem inluminent et exemplis sanctis, et maxime de ea principali dignitate, per quam totum seculum subsistit, hoc est de vera fide, quam confessus est Petrus dicens : « *Tu es Christus, filius Dei vivi.* »<sup>487</sup> Tantum autem prodest vobis, qui sacerdotes et pastores a Domino estis in sancta Ecclesia constituti, ut fidem catholicam, per quam omnes homines salvantur, audiatis et sciatis atque predicetis, quantum prodest vita et salus et sanitas corporum et animarum, pax et securitas et defensio de morte et de adversitatibus hujus mundi. Quamdiu enim vera fides in pastoribus Domini fuerit, tamdiu Christianitatem diabolus subruere non poterit. Et dignitas sacerdotii ad damnationem vobis erit, si ante omnia in vera fide non perstiteritis, sicut perstiterunt qui ante nos fuerunt. Tantum prodest vera fides, quia per eam virgines et aliæ mulieres credentes vicerunt diabolum ; per eam confessores sancti regnant cum angelis ; per veram fidem martires habuerunt victoriam ; per eam apostoli provincias mundi salvare potuerunt, et de diaboli potestate eripere.

2. Et quia vera fides super omnia et ante omnia prodest in sancta Ecclesia, ideo episcopi et sancti patres qui ante vos fuerunt multas persecutiones sustinuerunt, tam de diabolo quam de hæreticis, qui tunc potestates seculi optinebant, ne vera fides de Ecclesia eradicaretur, quam sancti apostoli plantaverant et docuerant. Et non propter aliud nisi propter catholicam fidem perpetualiter firmiter tenendam et defendendam, constituta sunt a sanctis patribus concilia, et duæ sinodi omnibus annis apud sedes omnium episcoporum, ubi generaliter omnes presbiteri diocesis sedis occurrant ad

---

<sup>487</sup> Matth. 16, 16.

episcopum suum, propter consilium et unitatem verę<sup>eeeeeeee</sup> fidei, et ut pax et dilectio inter eos regnet, sicut ait propheta : « *Veritatem tantum et pacem diligite !* »<sup>488</sup> Et sicut canones apostolorum precipiunt ut episcoporum concilia bis in anno fiant (unum in quarta septimana a Pentecosten ; alterum in duodecimo die mensis octubris)<sup>489</sup>, ut inter se invicem dogmata pietatis, id est catholicæ fidei, explorent et emergentes ecclesiasticas contentiones amoveant, ita post apostolos constitutum est a sanctis episcopis qui in locis eorum successerunt ut bis in anno concilium minorum episcoporum, id est presbiterorum, cum majore episcopo, id est qui eis preest, celebretur, maxime propter catholicam fidem, ut ab omnibus firmissime teneatur.

3. Ideo quia magna utilitas est vobis, vestro sinodali conventu, primum recitare de fide sanctæ Trinitatis, quæ est vera et catholica fides, sicut in alio sinodo exposuimus vobis de Sinbolo apostolorum, prout Dominus dedit, ita nunc, prout Dominus largitus fuerit, breviter exponemus de eo psalmo qui proprie appellatur ‘Psalmus sanctæ Trinitatis’. Quem sicut cotidie ad horam primam psallitis, ita credere firmiter debetis. Nam dictante Spiritu Sancto, in magno concilio Niceno primum scriptus est.<sup>490</sup> Fuerunt in illo concilio trecenti decem et octo<sup>ffffff</sup> episcopi catholici, qui cum sancto Athanasio, patriarcha Alexandrie<sup>egggggggg</sup>,<sup>491</sup> uno ore et corde hunc Psalmum confirmaverunt et constituerunt sua auctoritate, cum auctoritate sancti Silvestri papæ,<sup>492</sup> qui jussit adgregari illud concilium Constantino imperatori,<sup>493</sup> ut perpetualiter cotidie per omnes ecclesias ille Psalmus ad horam primam psalleretur publice. Et sicut nullus dies prætermitti debet quo non recitetur secrete bis apostolorum Sinbolum, id est mane et claudente die, ita singulis diebus hic Psalmus sanctæ Trinitatis, sicut psalmi

---

<sup>488</sup> Zach. 8, 19.

<sup>489</sup> cf. PS. ISID., *Concilium Antiochenum* 20 (PL, 130, col. 283<sup>C</sup>-284<sup>A</sup>).

<sup>490</sup> Concile de Nicée (325).

<sup>491</sup> Athanase, patriarche d’Alexandrie, exilé en Occident (328-372).

<sup>492</sup> Sylvestre, pape (314-335).

<sup>493</sup> Constantin, empereur († 337).

David, semel omnibus audientibus mane decantari institutus est. Itaque tantum vobis prodest omnibus intelligere hunc Psalmum, quantum liquet quia *nemo erit salvus, nisi crediderit* secundum fidem sancti Petri apostoli, quæ est *catholica fides*.<sup>494</sup>

---

<sup>494</sup> *cf. Symb. Athan.* (dernier verset).

## [LVII]

1. Ideo autem exponimus hunc Psalmum, quia fortasse aliqui in hac synodo sunt sacerdotes, qui non ita sicut debent intelligunt verba hujus Psalmi, qui ita incipit : *Quicumque vult salvus esse, ante omnia*, id est in primis, *opus est ut teneat*, id est cognoscat et credat, *catholicam fidem*. Impossibile enim est ut nullus judeus, sarracenus, paganus, hæreticus, umquam salvus fiat, nisi tantum illi qui in fide sancti Petri credunt. Et si innumera bona opera facit aut dicit aliquis, et si aliis virtutibus plenus sit et recte non credat in fide sanctæ Trinitatis, impossibile est eum salvum fieri. Et si omnibus diebus vitæ suæ aliquis recte credat et omni sanctitate plenus sit, in ultima tamen hora, quando mori debet, negaverit fidem sanctæ Trinitatis, sicut in Sinbolo et in hoc Psalmo est, nullo modo salvus esse potest, nec aliquis orare pro eo presumit. Cum enim negat fidem catholicam, negat verum Deum, et juste cum diabolo deicitur. Qui enim fidem catholicam negat, baptismum Christi negat. Et si quis flagitiosus sit, tamen in fide catholica moriatur, de ejus ereptione spes magna est in divina misericordia, quia licet multa peccaverit, tamen in Deo speravit et credidit, et Deum non negavit. Etiam si quis pessimus Judeorum aut paganorum in extrema hora vitæ crediderit et baptismum susceperit, procul dubio salvus est. Si quis autem baptismum suscipit et non credit, nullo modo salvus est. Sed<sup>hhhhhhhhhh</sup> qui credit et baptizatur, ille salvus est, sicut Dominus ait : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui autem non crediderit, condemnabitur.*<sup>495</sup> Videte quantum prodest vobis catholicam fidem intelligere, sine qua nemo salvus esse potest !

2. Fides catholica est credulitas universalis, generalis et recta, quam universa Ecclesia Dei, omnis populus christianus per totum mundum generaliter uno corde credit, uno ore confitetur, uno modo [fol. 84] et una doctrina, quam docuerunt sancti apostoli, qui Dominum in carne viderunt et audierunt et secuti sunt, et ab eo in mundum missi sunt.

---

<sup>495</sup> Marc. 16, 16.

Omnis autem conventus et omnis congregatio populorum christianorum, qui catholice credunt, cujuscumque linguæ sint et gentis, Ecclesia catholica est.<sup>496</sup>

---

<sup>496</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 587<sup>A</sup>).



## [LVIII

Et fides catholica tam preciosa est ut, nisi eam firmiter<sup>iiiiiiiiiii</sup> teneamus, absque dubitatione in æterna damnatione peribimus, sicut dicit hic versus : *Quam*, id est istam fidem catholicam, *nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.* Omnes hæretici neque integram neque inviolatam fidem tenent, quia violant eam et dirumpunt, quando plus auferunt aut plus adiciunt, aut minuunt aut supermittunt, sicut in Sinbolo aut in hoc Psalmo est scriptum. Ideo nullum bonum opus eos juvare poterit, ut absque dubio non pereant, quia sanctam majestatem Dei blasphemant.

## [LIX

1. Dicit tercius versus quod est fides catholica : *Fides autem catholica*, hoc est generalis et recta, *hæc est ut unum Deum in trinitate, et trinitatem in unitate veneremur*. Nos, Christiani, non credimus nisi unum Deum. Sed ipsum unum Deum, credimus quia non est solus in semetipso, sed est in trinitate, et ipsa trinitas est unus Deus. Et mentiuntur Judei et Sarraceni, qui dicunt se credere unum Deum, et dicunt quia nos, Christiani, credimus tres deos, dum audiunt trinitatem Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Sed in veritate nos non credimus nisi unum Deum, quia credimus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, quia unus est Deus. Judei autem et Sarraceni, qui dicunt non se credere in sanctam Trinitatem, sed in unum Deum, ideo nullum Deum credunt, quia in sanctam Trinitatem non credunt. Et magis ipsum verum Deum blasphemant, et ad iracundiam provocant, quia tollunt ab eo trinitatem.

2. Judei tamen in suis libris inveniunt trinitatem, sed credere nolunt, sicut nativitatem et passionem et resurrectionem atque ascensionem Domini, et omnia quæ de domino Jesu Christo credimus, ipsi inveniunt predicta a prophetis in suis libris, sed non credunt, quia non sunt predestinati ad vitam æternam. Innumera sunt testimonia, in libris Judeorum, de trinitate, quia unus est Deus, et unus Deus trinitas sit, sed unum nunc dicamus. Sic dixit David propheta, de trinitate et unitate : « *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ !* »<sup>497</sup> Videtis quia tercio dicit 'Deus' propter trinitatem, et singulariter dixit 'metuant eum', non 'eos', propterea quia ipsa sua trinitas non sunt tres dii sed unus Deus. Et sicut credimus et veneramur, et colimus et confitemur quia unus Deus est in sancta Trinitate, et ipsa sancta Trinitas est in unitate, quia unus est Deus, ita credimus quia tres personæ sanctæ Trinitatis non sunt mixtæ, non confuse in semetipsis.<sup>498</sup>

---

<sup>497</sup> Ps. 66, 7-8.

<sup>498</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 587<sup>A</sup>) : dicit « sanctus » p.

## [LX

1. Ideo dicitur : *Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* Sunt hæretici, qui dicuntur non catholici, sed Sabelliani, qui credunt male ut una sit tantum persona in Deo, et non tres, sicut est una persona in uno homine. Nam tres homines tres personæ sunt. Et quot sunt homines, tot sunt personæ in numero et in diversitate. Et sicut aliquis sine intellectu credat Petrum et Paulum et Andream unum hominem fuisse, qui tres homines sive tres personæ fuerunt et in numero et in dissimilitia, et stulte credat ipsum fuisse Petrum qui et Paulum et Andream, quasi una persona tria nomina habuerit, et ipse Petrus vocetur Paulus aliquando, et Andreas aliquando, quod stultum et sine sensu est ita cogitare, ita sabelliani hæretici credunt ut ille qui est Pater, ipse sit Filius, et ipse sit Spiritus Sanctus, et de tribus personis, quæ sunt secundum numerum trinitatis, credunt unam solam personam, et ita in sua stulta credulitate confundunt, hoc est permiscent, tres personas, quæ tres personæ in veritate sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus.<sup>499</sup>

2. Proprie enim gignens est, et proprie genitus est, et proprie procedens est. Gignens : hoc est Pater Deus, qui genuit filium suum verum Deum. Genitus : hoc est filius Dei Deus, quem genuit Deus Pater. Procedens : hoc est Spiritus Sanctus, qui a Patre et Filio procedit verus Deus.<sup>500</sup>

3. Et Deus Pater et filius ejus et Spiritus Sanctus ideo sunt unus Deus, quia unam coæternitatem habent, unam coæqualitatem, unam cooperationem. Et Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt semper sibi coæterni et coæquales et cooperatores, sicut scriptum est : *Verbo Dei cæli firmati sunt*, id est filius Dei cælos creavit, *et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*<sup>501</sup>, id est

<sup>499</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 587<sup>B</sup>).

<sup>500</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 587<sup>B</sup>).

<sup>501</sup> Ps. 32, 6 : Verbo Domini c.

Spiritus Sanctus creavit omnem virtutem cælorum.<sup>502</sup> Tres ergo personæ sunt distinctæ in Deo, et tres unus est Deus, et unus Deus tres personæ sunt.

---

<sup>502</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 587<sup>B</sup>) : Verbo Domini c. ; est a Filio cæli creati, et.

## [LXI

1. Et sicut tres personas in uno Deo dividimus per proprietatem trinitatis, ita non separamus substantiam in Deo, sicut prohibet veritas Psalmi dicens: *neque substantiam separantes*. Sunt hæretici Arriani, qui bene credunt tres personas distincte, sed non credunt unam substantiam, et illam substantiam separant. Et sicut Sabelliani non dividunt tres personas, sed de tribus personis unam personam esse credunt, ita Arriani unam substantiam Dei separant in tres substantias. Intelligitis quia tres substantiæ sunt frumentum et vinum et oleum, quia magnam diversitatem habent inter se. Et ita Arriani male credunt ut Deus Pater de altera substantia sit, et filius Dei de altera, et Spiritus Sanctus de altera, sicut si aliquis insensatus videat Abraham, Isahac et Jacob, qui sunt tres personæ et sunt de una substantia (sunt enim de substantia carnis ipsi tres), et putet Abraham esse de carnis substantia, et Isahac putet non de carne, sed de substantia ligni esse, tertium vero cogitet non de carne, non de ligno, sed ex tertia diversa substantia ferri esse. Si videremus aliquem ita esse affirmare, pro insensato haberemus et in ridiculum verteremus talem cogitationem ejus falsam. Arriani ergo bene credunt tres personas, sed non bene credunt unam substantiam.

2. Et dicunt (et mentiuntur) quia filius Dei minor sit quam Pater, et non sit Deus sed creatura. Et adhuc istam blasphemiam dicunt quia Spiritus Sanctus minor sit quam Filius, et in loco ministri vel famuli sit ad Patrem et Filium, et non sit de illa substantia de qua est Filius et Pater.<sup>503</sup> Et dicunt quia filius Dei non est de illa substantia de qua Deus Pater.

3. Et iterum dicunt Arriani quia Deus Pater ante fuit quam filius Dei, et Filius fuerit antequam Spiritus Sanctus; et sic assimilant Deum ad legem carnalem, secundum quam omnes patres sunt ante filios suos, et non credunt esse potuisse ut filius Dei et Spiritus Sanctus semper essent cum Deo Patre.

<sup>503</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 587<sup>c</sup>).

## [LXII]

1. Et propter tam magnam blasphemiam istam Arrianorum, qui dividunt Deum in tres substantias dissimiles, sanctus Silvester, apostolicus Romæ,<sup>504</sup> et sanctus Alexander, patriarcha Alexandriæ,<sup>505</sup> et sanctus Athanasius, qui post eum fuit patriarcha,<sup>506</sup> et imperator Romæ Constantinus,<sup>507</sup> congregaverunt illud magnum et sanctum concilium Nicenum,<sup>508</sup> ubi fuerunt sancti episcopi [fol. 84v] catholici numero trecenti decem octo<sup>iiiiiiiiiii</sup>, cum innumeris litterarum peritissimis.
2. Propter istam blasphemiam Arrianorum ita erat Deus iratus, ut sancto Alexandro patriarchæ in visu appareret dominus noster Jesus Christus, quasi ploraret et quasi indutus esset velut sacerdos ad celebrandum sacrificium. Quem cum sanctus Alexander adorans interrogaret causam, ostendit ei casulam qua erat indutus valde conscissam et dilaniatam, dicens : « Quia Arrius, presbiter tuus, ita vestimentum meum habet conscissum. » Erat enim Arrius presbiter de sede Alexandria. Evigilans patriarcha intellexit tunicam Domini esse Ecclesiam, quæ per hæreticos Arrianos ab integritate fidei erat turbata : multi enim episcopi et principes et clerici et laici jam ita credebant et fidem catholicam negabant, et baptizabantur baptismo illo quem Arrius invenerat.
3. Non enim similis erat ille baptismus nostro vero baptismo, quem Dominus apostolis et apostoli sanctæ Ecclesiæ tradiderunt. Hic enim est verus et catholicus baptismus, quando homo baptizatur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et credit quia Pater et Filius et Spiritus Sanctus tres personæ est unus Deus et una substantia, et quia Filius æqualis est per omnia Patri, et Spiritus Sanctus æqualis est per omnia Patri

---

<sup>504</sup> Sylvestre, pape (314-335).

<sup>505</sup> Alexandre, patriarche d'Alexandrie (313-328).

<sup>506</sup> Athanase, patriarche d'Alexandrie, exilé en Occident (328-372).

<sup>507</sup> Constantin, empereur († 337).

<sup>508</sup> Concile de Nicée (325).

et Filio, et tempore et deitate et voluntate et substantia. Dominus dixerat apostolis suis quomodo deberent baptizare : « *Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti !* »<sup>509</sup> Arriani autem hæretici non sic baptizabant, sed perverse ita baptizabant : « In nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto » ; et per talem baptismum hæreticorum tota Ecclesia per orientem erat turbata et habebat in se magnam discordiam, et omnes qui sic erant baptizati nullo modo poterant esse salvi.

4. Et talia prodigia aliquando Deus ostendebat super ipsum hæreticum baptismum, ut, cum episcopus arrianus vellet hominem mergere in fontem, aliquando disparebat aqua, ut nec una gutta in fonte videretur. Et cum secundo et tercio et sæpius replerent Arriani fontem de alia aqua, tocies cum deberet homo inmergi, disparebat aqua. Hoc fiebat sæpius in sabbato sancto Paschæ publice coram omnibus. Quod videntes populi fugiebant ab Arrianis et ad catholicas ecclesias revertebantur agentes poenitentiam, et baptizabantur ab episcopis catholicis in baptismo catholico, hoc est in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

5. Si quis autem de catholicis, qui jam baptizatus esset baptismo Christi, seductus esset ab Arrianis, baptizabant eum Arriani episcopi in baptismo arriano. Et si talis postea reverteretur ad catholicam fidem, non suscipiebatur ab episcopis catholicis nisi per poenitentiam. Et non baptizabatur ultra, quia prius fuerat baptismo Christi baptizatus.

6. Et accidit in quodam sabbato sancto Paschæ ut episcopus quidam arrianus apud suam sedem, tenens parvulum ad fontem, cum jam deberet inmergere et diceret : « Baptizo te<sup>kkkkkkkkkk</sup> in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto », mox eadem hora fulmine de cælo percussus interiit. Quod videntes qui aderant detulerunt illum

---

<sup>509</sup> Matth. 28, 19.

parvulum ad episcopum catholicæ fidei, et baptizatus est ab eo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

7. Et in illo tempore ostendit Deus tale signum, ut nullus baptismum Christi iteret, qui tam preciosus est, ut hominem totum ab omnibus peccatis mundet. Et si post acceptum semel Christi baptismum statim migrat, statim in regno cælorum recipitur. Quidam catholicus erat pauper, et catholice credebat et catholice erat baptizatus. Sed lucri causa venit ad alium episcopum catholicum ad aliam civitatem, dicens se esse adhuc paganum et velle se baptizari in catholica fide. Episcopus cum gaudio pauperem suscepit et ditavit de muneribus ecclesiasticis tamquam concivem et cohæredem Christi, et dum fons repletus esset aqua et vellet episcopus benedicere aquam, aqua repente disparuit. Episcopus hominem mittit in magnam questionem ; didicit ab eo sicut erat. Et gaudens populo predicavit virtutem catholicæ fidei, et ut nullus baptismum Christi iteraret. Castigatum verbis dimisit hominem cum pietate. Ille autem causa lucri ad alias civitates abiit, et eodem modo eveniebat ei de baptismo, quousque ab omnibus divulgatum est, et tanta virtus baptismi non potuit latere.



### ¶LXIII

1. Sed quod de concilio Niceno dicere coeperam, Arrius ita erat loquax et in arte dialectica ita acutus, ut ignorantibus faceret recipere fallaciam pro veritate. Et quidam ex Arrianis loquacissimus cum graviter resisteret episcopis catholicis coram imperatore defendens Arrii blasphemiam, et episcopi catholici et viri orthodoxi quasi jam victi apparerent ad nimiam verborum illius dialectici et calliditatem, repente quidam simplex laicus ex Catholicis senex coram omnibus dixit : « Christus et apostoli dialecticam nos non docuerunt, sed rectam fidem, sicut in Evangeliiis scriptam audivimus. Et sicut ego recta fide credo quia tres personæ sunt unius substantiæ, et Pater et Filius et Spiritus Sanctus est unus Deus, ita in nomine Christi, qui æqualis Deo Patri est, jubeo te, o philosophe, obmutescere. » Mox sine voce et lingua ille Arrianus factus est, et mutus usque ad mortem permansit.

2. Et illud concilium per dimidium annum duravit, et episcopi catholici et episcopi Arriani inter se jugiter certaverunt, quousque episcopi catholici per apertam rationem evidenter superaverunt Arrianos et ostenderunt quia in veritate filius Dei semper fuit cum Patre et Pater numquam fuit sine Filio, et quia filius Dei æqualis est Deo Patri secundum divinitatem, et quia Spiritus Sanctus semper fuit et est et erit cum Patre et Filio æqualis Deus, et quia Pater et Filius et Spiritus Sanctus tres personæ sunt unius substantiæ, et quia quod est Pater, hoc est Filius, hoc est et Spiritus Sanctus, sed in personis tribus alius est Pater, alius est Filius, alius est Spiritus Sanctus.

3. Et ipsi trecenti decem et octo<sup>iiiiiiiiiii</sup> catholici episcopi excommunicaverunt Arrium et omnes Arrianos, et omnes qui ita credebant et qui ultra crederent sicut Arriani credebant. Et cum non possent convertere Arrium a sua blasphemia, misit eum imperator in exilium si forte poeniteret. Tunc sciens quia, eo absente, catholica fides confirmabatur, sicut vas diaboli erat, Ecclesiam Dei catholicam amplius volens

conturbare per suam blasphemiam, finxit se esse conversum ad orthodoxam fidem et ita credere sicut Nicenum concilium probaverat. Et habuit talem imprecationem, ut rogaret patriarcham ut eum absolveret et susciperet inter suos clericos. Patriarcha requisivit ab eo jusjurandum ut ita crederet sicut concilium testificatum erat. Ille putans se Deum decipere, scriptam tenuit sub ala blasphemiam suam, et dum putaret imperator et patriarcha eum jurare ita se credere, sicut in carta scripta erat confirmatio concilii de fide sanctæ Trinitatis, ille juravit ad eam cartam quam latenter suam tangebatur. Et sic homines ludificavit, sed Deum irridere non potuit. Patriarcha misit indutias pro absolute usque in crastinum, et vigilias nocte illa in ecclesia egit, ut Deus testis conscientiarum consilium ei salubre daret pro ea absolute quam pro imperatore invitus erat facturus in hæretico quem perturbatorem et nimis callidum sciebat. Crastino cum essent ambo ante imperatorem jamque vellet patriarcha Arrium absolvere, Arrium accepit subita passio ventris et non potuit se continere, quin secessum peteret. Secuti sunt magistrum multi Arriani [fol. 85] ex principibus. Et dum sederet in publico campo ad secessum, ultra non potuit levare, et cecidit ei totus venter cum stercore, et hunc finem turpissimum habuit ille qui substantiam sanctæ Trinitatis separavit.

4. Et in concilio Niceno compositus est hic Psalmus de sancta Trinitate, et ibi primum inventus est versus ‘Gloria Patri’, et ut in fine omnium psalmorum adjungeretur. Hic enim versus gloriam æqualem sanctæ Trinitatis demonstrat nobis, quia una est gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio gloria, quando ante omne initium erat cum Patre Filius, et Spiritus Sanctus cum Patre et Filio, et nunc est ipsa gloria, et semper erit ipsa gloria sanctæ Trinitatis, et in secula seculorum, hoc est sine fine, erit una et æqualis gloria sanctæ Trinitatis. Et ideo omnes Catholici sunt simul orthodoxi, hoc est rectam gloriam credentes in Patre et Filio et Spiritu Sancto.

5. Hunc versum sanctæ Trinitatis nec sedes Romana nec ecclesiæ occidentis solebant psallere usque ad tempus sancti Hieronimi, qui Damaso papæ<sup>510</sup> per litteras a Hierosolimis direxit ut hanc consuetudinem in occidente faceret suscipere quam tenebant in oriente, secundum traditionem Niceni concilii. Quod Damasus auctoritate sua per totum occidentem fieri mandavit.

6. Hoc concilium Nicenum tam magnæ auctoritatis est per Spiritum Sanctum, ut omnem heresem destruat et omnia concilia recta, quæ postea fuerunt et usque in finem erunt, de isto concilio trahant sibi auctoritatem firmam, et quisquis huic concilio vel quantulumcumque repugnauerit hæreticus est.

---

<sup>510</sup> Damase, pape (366-384).

## [LXIV

1. Et hæresis Arrianorum postea tam fortiter crevit, ut multi ex imperatoribus arriani essent, et usque in Hispaniam illud malum dogma extenderetur. In Gallia autem, et precipue in Aquitania, non facile ista hæresis excrevit sicut in oriente. Nam Christianitas Italiæ, cui primo Petrus, et Christianitas Galliæ, cui primo Marcialis apostoli predicaverunt, semper ferventiores et firmiores in fide catholica sicut ab apostolis acceperunt permanserunt. Nam si aliquotiens ipsa maledicta hæresis in Aquitania germinavit, non tamen diu nec radicare nec florere potuit, quia intercessione illius patroni, qui eam primus in vera fide catholica plantavit, et quam in pace deficiens in pace dimisit, de tali veneno liberata est misericorditer saepius. Nullusque in ea adhuc episcopus nisi catholicus extitit.

2. Pro hac perpetua custodia ipsius provintiæ, Marcialis in fine Dominum orabat, quando ante mortem per universas civitates hujus provintiæ misit ut ad eum congregarentur, ut corroborationem catholicæ et apostolicæ fidei, et absolutionem peccatorum, sicut a Domino acceperat cum aliis apostolis, et benedictionis perpetuæ munus ab eo acciperent.<sup>511</sup> Unde et in benedictione suprema quam eis dedit, de catholica fide, de perseverantia fidei, de conversione ab errore, de sapientia salutari, per quam fides orthodoxa predicatur, commemorat: «Sensum, inquit, sapientiæ salutaris infundat vobis!»<sup>512</sup> Nam sapientia hæreticorum non est salutaris, non est desursum sed terrena, animalis, diabolica. Et item mentionem faciens de catholica fide: «Catholicæ, inquit, fidei vos documentis enutriat, gressus vestros ab errore convertat!»<sup>513</sup> Et, sicut scriptum est, populus Pictavensium ac

<sup>511</sup> *Vita Martial. II XXIV*: universas regiones ac provintias galliarum m.; sicut cum Petro a.; benedictionis eos daturus.

<sup>512</sup> *Vita Martial. II XXV*.

<sup>513</sup> *Vita Martial. II XXV*: gressus nostros ad vitam dirigat.

Bituricensium, et Arvernorum seu Wasconum atque Gothorum et aliarum gentium vicinarum ad eum convenerunt. Quos ipse Domino in extremis commendare curavit dicens : « Commendo tibi, Domine, populum tuum, ut sit tibi peculiaris populus et tu sis ei custos et pastor indeficiens. »<sup>514</sup> Profecto illa commendatio apostoli ad Dominum provinciam Galliarum ab hæreticis tutam usque in finem custodiet.

3. Nam et Martinus Turonensis<sup>515</sup>, longe post Nicenum concilium ab Arrianis de Mediolano ejectus, in Aquitaniam fugit, quam sciebat melius pollere in fide catholica, et eum in Aquitania Dominus intercessorem Gallorum populis dedit. Et Hilarius Pictavensis<sup>516</sup>, plus pro orientalibus seu pro Italia, quam pro Aquitania cum hæreticis contendit. De concilio enim Italiæ damnatus est exilio ab hæretico imperatore, sed postea Christus eum Aquitaniæ reddidit.

4. Post cujus excessum longe postea gens Gothorum, tenens maledictam hæresim Arrianorum cum rege suo, Aquitaniam diu tenuit, sed episcopos catholicos vincere non potuit. Exierat autem illa hæresis ab Hispania in Aquitaniam, et rex eorum apud Tholosam sedem regiam sibi fecerat. Sed rex Francorum, qui primus Christianus fuit cum sua gente, quo etiam tempore sanctus Leonardus<sup>517</sup>, qui apud Lemovicenses quiescit,<sup>518</sup> virtutibus et vita et exemplo vivens erat, mox ut baptizatus est a sancto Remigio Remorum episcopo<sup>519</sup> in fide catholica, supervenit in Aquitaniam cum sua gente catholica noviter baptizata, rogantibus episcopis catholicis, et facile in bello vicit regem Gothorum et expulit omnem Arrianam gentem ab Aquitania. Et mundata Aquitania ab hæreticis, reversus est in pace in terram suam, et ex illo tempore coepit

<sup>514</sup> *Vita Martial. II XXV* : et defensor i.

<sup>515</sup> Martin, évêque de Tours († 397).

<sup>516</sup> Hilaire, évêque de Poitiers († 367).

<sup>517</sup> Léonard, ermite (VI s.).

<sup>518</sup> *cf.* Saint-Léonard de Noblat, ch.-l. cant., arr. Limoges, Haute-Vienne.

<sup>519</sup> Rémi, évêque de Reims († c. 530).

appellari ‘Francia’ ipsa terra propter gentem Francorum christianam et victoriam de hæreticis habentem, quæ prius ‘Gallia’ generaliter dicebatur. Ille rex Francorum, Clodoveus<sup>520</sup>, Arrianorum vero, Atalaricus<sup>521</sup> vocatus est. Quo etiam tempore sanctus Junianus<sup>522</sup> erat apud Lemovicenses virtutibus clarus, cui habitationem episcopus Lemovicensis Roricus<sup>523</sup> secretam in quodam suo jure dederat ad serviendum Deo.<sup>524</sup>

---

<sup>520</sup> Clovis, roi des Francs (481-511).

<sup>521</sup> Sans doute pour Alaric, roi des Wisigoths (484-507), défait par Clovis à Vouillé ; confusion possible avec Athalaric, roi des Ostrogoths d’Italie (526-534).

<sup>522</sup> Junien, ermite (VI s.).

<sup>523</sup> Plutôt Roricus I, évêque de Limoges († c. 507), que Roricus II, évêque de Limoges (535-553).

<sup>524</sup> cf. *Vita Juniani*, III.

## [LXV]

1. In Hispania vero hanc virtutem Arriani hæretici optinuerunt, ut rex eorum in sabbato sancto Paschæ filium suum in carcere occideret, eo quod esset catholicus et nolebat communicare de manu episcopi Arriani. Mox ille juvenis, pro catholica fide interfectus, miraculis multis choruscare coepit, nec sic tamen pater ejus hæreticus conversus est, sed in ipsa hæresi mortuus est.

2. In oriente denique ecclesiæ consecratę a catholicis, aliquando clausę catholicis venientibus sponte aperiebantur, nullo homine reserante. Hæreticis vero aliquando apertę sponte claudebantur, ut nemo posset intrare. Aliquando duo episcopi, unus catholicus, alter hæreticus, contendebant coram imperatore de quadam ecclesia, quę sedes episcopalis in una civitate erat. Imperator autem volebat proicere catholicum et introducere hæreticum, quia ipse imperator arrianus erat. Episcopus catholicus dixit Arrianis coram imperatore et omni populo : « Si Deus vult ut hanc sedem civitatis habeatis vos, Arriani, magis quam nos, Catholici, Deus demonstret signum ! Facite vos, Arriani, triduanum jejunium et vigiliis – ecclesia vero sit cum clavibus obserata – ! Et si post tres dies vobis venientibus fuerit sponte aperta, habete eam in æternum ! Et si non fuerit aperta, nos catholici una tantum nocte vigilabimus in oratione, et mane cum lætania ibimus ad ecclesiam. Et si ultro non fuerit nobis aperta, vos habete eam ! Si autem aperta nobis fuerit, nos habebimus eam. » Placuit hoc imperatori et omni populo, et factum est ita. Sed Arrianis non fuit aperta, Catholicis autem cum magno impetu omnes portę per semetipsas patuerunt.

3. Item cum unicus filius imperatoris langueret, voluit imperator mittere catholicos episcopos, ut eum orando sanarent. Et ipsi Arriani dixerunt imperatori : « Sicut melior est nostra fides, sic melior est nostra oratio. Nos orabimus Deum in nostra fide Arriana, et sanabimus filium tuum. » Dixit imperator : « Si hoc facere potueritis, tunc

sciam quia Deus orationes vestras magis quam catholicorum diligit et vestra fides melior est. » Et dum Arriani jejunarent et orarent pro filii sanitate, subita morte filius imperatoris mortuus est, quem habebant jam baptizatum in heretico baptisate. Non tamen imperator conversus est ad catholicam fidem, sed cum bellum fecisset cum paganis, victus est et solus fugit in quandam villam. Tunc exercitus Arrianorum, qui erat cum paganis, ipsam villam ipsa die succendit, et ipse imperator in ipsis flammis totus concrematus est.

4. Episcopi catholici illas ecclesias quas Arriani [fol. 85v] episcopi primum a novo consecraverant, cum expulsi postea ab imperatoribus catholicis essent omnes Arriani, in fide catholica consecrabant. Si autem primo essent consecratæ a Catholicis, et postea ab Arrianis consecratę vel possessę, cum aqua benedicta episcopali eas sollempniter reconciliabant.

5. Eodem modo de hæreticis convertentibus ad fidem catholicam, Catholici observabant in baptizando, ut supra diximus. Et accidit ut quandam ecclesiam, quam Arriani tenuerant, episcopus catholicus sollempniter consecraret. Et visi sunt porci ab ea exire et statim evanescere. Sequenti nocte strepitus bellatorum in ea auditus est, quia coactus diabolus ab angelis expellebatur, ne amplius teneret cum Catholicis eam quam inhabitaverat cum Arrianis. Alia die nubes placida de cælo super eam descendit cum miro suavitatis odore, et omnes lampades<sup>mmmmmmmmmmmmmmmm</sup> extinctæ ultro accensæ sunt, ut ostenderetur quia nulla fides Deo acceptabilis est, nisi sola catholica.



## ¶LXVI

1. Illis temporibus cum imperatores Arriani essent, congregabant de Arrianis episcopis multa concilia, ut concilium Nicenum et hunc Psalmum sanctæ Trinitatis destruerent. Et accidit ut quingenti episcopi arriani simul congregarentur, sed concilium eorum papa Romanus excommunicavit, quia sic Nicenum concilium statuerat ut nullum aliquando concilium stabile esset nec reciperetur, nisi per auctoritatem papæ Romani confirmaretur. Tunc sanctus Eusebius<sup>525</sup> Vercellensis episcopus et sanctus Athanasius<sup>526</sup> patriarcha, qui hunc Psalmum sanctæ Trinitatis maxime dictaverat per Spiritum Sanctum in concilio Niceno,<sup>527</sup> illis temporibus ab Arrianis interfecti sunt pro fide catholica, et martirio coronati sunt.

2. Et quia hoc erat magna destructio Arrianorum ut, siquando multitudo eorum concilium ageret et unus de Catholicis interesset, ab eo sic breviter confundebantur : « Sicut concilium Nicenum dictavit fidem, sic nos, Catholici, credimus et testificamur ipsum concilium verum et integrum esse, et qui ei contradicit anathema sit », ideo suaserunt imperatori hæretico ut apud Niceam congregaret unum concilium de Arrianis trecentis decem et octo<sup>nnnnnnnnnnnn</sup>, ut ipsum concilium destrueret sanctum concilium, quod prius a Catholicis fuerat factum, et ita malum esset, ut omnes blasphemiam omni tempore per occasionem nominis confirmarentur. Sed ita tenuit Deus inviolabile Nicenum concilium, ne contra ipsum aliud fieret, quod auctoritatem ejus foedaret : ipsa die qua congregari coeperunt episcopi Arriani ad civitatem Niceam, antequam imperator veniret, antequam episcopi arriani unus cum altero loquerentur<sup>oooooooooooo</sup>, repente media nocte tota illa civitas Nicea terre motu magno subversa est, et numquam ibi postea concilium factum est, et sic Spiritus Sanctus Niceni concilii auctoritatem, cujus ipse auctor fuerat, conservavit.

<sup>525</sup> Eusèbe, évêque de Verceil (340-371/5).

<sup>526</sup> Athanase, patriarche d'Alexandrie, exilé en Occident (c. 298-372).

<sup>527</sup> Concile de Nicée (325).

3. Ipsum imperatorem Theodosium postea Arriani seduxerunt,<sup>528</sup> ut ipse separaret substantiam Patris et Filii. Tunc antequam episcopi catholici hoc scirent (mox enim eum excommunicarent), Theodosius cuidam suo comiti palatii, qui valde catholicus erat, dixit : « Satis credo et fieri potest, sicut arriani episcopi mihi predicant, ut Deus Pater non injuriatur si non facimus filio ejus talem æqualem honorem, sicut ipsi Deo Patri ; et bonum est ut credamus quia Deus Pater major sit filio suo, et de alia substantia quam Pater est sit Filius. » Quod cum audisset amicus ejus comes palatii (erat enim valde sapiens), tacuit usque ad tempus, tristis valde de imperatore seducto, qui valde piissimus imperator in omni pietate et justissimus in omni justitia erat, et ita per suam sapientiam lucratus est eum. Accepit licentiam de eo<sup>pppppppppp</sup>, quasi longe abiturus, et post multum tempus, sciens quia unicus filius ejus Archadius consors in imperio ei erat,<sup>529</sup> exploravit diem quando ambos inveniret singulos juxta se in thronis regalibus, Archadium ad dexteram Theodosii sedentem.

4. Erat jam ætate adolescens Archadius, valde decorus facie et corpore dignus imperio, et valde pater eum diligebat et tamquam se ipsum honorari ab omni exercitu faciebat. Itaque ubi dux venit ante Theodosium, et sederet filius ejus ad dexteram in throno sublimi coæquali throno patris, et ambo dictarent populis jura, salutavit tantum patrem et osculatus est eum, noluitque osculari nec salutare filium ejus. Imperator putans eum oblitum, innuit ut osculum daret filio. Illo dissimulante et tacente, ait imperator : « Istum, qui imperator est sicut et ego, et filius meus est et voluntatem meam facit, debes honorare sicut et me honorasti, amice carissime. » Cui comes respondit : « Nescio imperatorem nisi te, non honorabo nisi te. » Cui imperator verecundatus et confusus respondit : « Injuriam mihi facis publicam et verecundiam

---

<sup>528</sup> Théodose I, empereur (379-395).

<sup>529</sup> cf. MARCELL., *Chron.* (PL, 51, col. 919<sup>A</sup>).

magnam, quia despicias filium meum. Hoc valde molestum est mihi, nec possum sufferre injuriam filii mei. »

5. Tunc potuit contra hæresim ejus congrue respondere dux, et cum magna constantia dixit imperatori : « O imperator, tu cum sis homo sicut et nos, non curas si quis te honorat, nisi et filium tuum honoraverit, et tristis es quia non æqualem honorem exhibui filio tuo sicut et tibi ; cur dicebas mihi quia Deus Pater vult soli sibi exhiberi honorem deitatis, et non filio suo ? Cur dicis et credis quia non injuriamus Deum Patrem, si non facimus filio ejus æqualem honorem, sicut facimus Deo Patri ? Modo intellige in te ipso quia tu magnam injuriam facis Deo Patri, dum filium ejus non honoras sicut et patrem ejus, dum credis quia filius Dei minor sit Patre secundum divinitatem ! » Imperator in ipsa voce respondit : « Non inveni amicum præter te ; tu me in hac hora extraxisti de inferno. Credo et confiteor quia vera est catholica fides, vera est orthodoxa credulitas, quæ credit filium Dei æqualem Deo Patri ; et omnes qui æqualem gloriam non reddunt filio Dei sicut et Deo Patri valde contristant Deum Patrem omnipotentem, et in nulla re placare eum valent ; et nihil eis prodest ille honor in solo Patre nisi in juditium et in mortem. Ego in me et in meo filio, qui mortales sumus et fragiles, non duas substantias sed unam substantiam video, et quia filius meus de mea substantia est, quia caro mea est et a mea carne genitus est, et qui illum contristat me contristat, qui eum honorat me honorat, sed qui me honorat et eum non honorat non me honorat sed injuriatur me, et nullus tam gravem offensionem contra me potest facere, de qua ei non indulgeam, si filius meus me pro eo rogaverit, in tantum diligo filium meum. Modo scio quia fides et doctrina Arrianorum, qui seductum me tenebant, ex diabolo est, quia substantiam separant, quia duas substantias credunt inter Deum Patrem et filium ejus et terciam substantiam credunt in Spiritum Sanctum, et quia credunt filium Dei minorem Patre et Spiritum Sanctum minorem

Filio. Ego, secundum orthodoxam et catholicam fidem et secundum auctoritatem Niceni concilii, scio et credo et confiteor in veritate quia Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus tres personæ sunt et una substantia, una gloria, una deitas, una æternitas, una voluntas ; et ab hac hora in antea omnibus Catholicis adjutor ero, omnibus Arrianis inimicus et persecutor ero. Et in toto orbe Romano nulla sit licentia amplius Arrianis vel unam ecclesiam tenere, sed ecclesiæ eorum aut claudantur aut catholicis reddantur, aut hoc fiant quod catholici de eis jusserint. »

6. Et dedit Deus talem victoriam et pacem huic imperatori, ut omnes gentes mundi, quæ antecessoribus suis arrianis imperatoribus fuerant rebelles et eos devicerant, illi subjugarentur aut sponte aut invite. Numquam ei victoria in preliis defuit. Accidit ei prelium facere cum fortissimis barbaris innumeræ multitudinis, et ad comparationem barbarorum paucos bellatores secum habebat. Et tamen habebat centum milia Christianorum in illo opere. Et barbari non reputabant eos nisi ad unum militem, nec eis plus opus esset, nisi Deus fuisset cum imperatore. Theodosius eos videns, timore perterritus est ; fugere non potuit ; armatus ab equo desiliit in terram ad orationem cum lacrimis [fol. 86] dicens : « Deus universorum, sicut te ego credo secundum catholicam fidem trinum in personis et unum in essentia divinitatis, ita hodie Christianis tuis da victoriam ! » Mox in primo junctu ventus tam validus a parte imperatoris venit, ut<sup>qqqqqqqqqq</sup> omnia spicula barbarorum, tam sagittas quam lanceas, quas Christianis projecerant, in barbaros retorqueret et ipsos prosterneret mortuos. Et sic tamdiu duravit ventorum vis, donec omnes barbari essent extincti, et tota victoria esset Christianis. Ideo omnes pagani ex omni mundo dicebant inter se quia, illo tempore, talis erat imperator Romanorum et de tali progenie deorum, ut non tantum homines sed etiam ventos et fulgura mandaret ad prelia sua. Et unus de sapientibus paganorum in libris suis de Theodosio scripsit dicens :

O nimium dilecte Deo, tibi militat aether.

Et conjurati veniunt ad classica venti.<sup>530</sup>

7. Hoc dicit quia ille catholicus imperator tantum erat amicus Deo, ut cælum faceret ei prelia sua, et venti fidelitatem jurassent ei contra multitudinem inimicorum. Iste orthodoxus imperator fecit in Constantinopoli illud concilium in quo centum quinquaginta episcopi catholici dictaverunt per Spiritum Sanctum istud magnum Sinbolum, quod omnibus dominicis diebus ad missas recitamus.<sup>531</sup> Congregavitque ipsum concilium propter illos hæreticos alios, qui sunt Macedoniani, qui in Patre et Filio bene credunt sicut et nos catholici, sed non credunt de Spiritu Sancto ut ipse sit Deus æqualis Patri et Filio, et separant substantiam ejus a substantia Patris et Filii. Ibi Macedonius hæreticus et omnes qui ita credebant excommunicati sunt. Sicut ergo illi qui confundunt, id est non dividunt, tres personas in sancta Trinitate hæretici sunt, ita illi qui unam substantiam de sancta Trinitate separant hæretici sunt. Nos autem orthodoxi non confundimus sed dividimus personas, et non separamus substantiam unam de sancta Trinitate, quia vere scimus et credimus totas tres personas unum Deum esse in una substantia deitatis.<sup>532</sup>

---

<sup>530</sup> CLAUD., *Paneg. Honor. III* 96-98 : Deo [cui fundit ab antris / Æolus armatas hiemes] cui m. cf. MILO ELN. *Vita Amandi* 4, 241.

<sup>531</sup> Concile de Constantinople (381).

<sup>532</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 587<sup>c</sup>).

## [LXVII]

Propterea hic Psalmus dicit : *Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.* Sicut est alia persona in Deo Patre, quia Pater ingenitus est, eo quod non est genitus de alio, ita est alia persona Filii, quia filius Dei a solo Patre genitus est, et ita est alia persona Spiritus Sancti, quia Spiritus Sanctus est procedens a Patre et Filio.<sup>533</sup>

---

<sup>533</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 587<sup>c</sup>) : quod a nullo e.

¶LXVIII

*Sed Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.* Una est divinitas, hoc est una deitas, quia Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus est Deus ; unam æqualem gloriam habet, unam claritatem æqualem, unam æqualem potestatem, unam æqualem coæternam majestatem, hoc est dignitatem et auctoritatem.<sup>534</sup>

---

<sup>534</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 587<sup>D</sup>).

## ¶LXIX

***Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.*** Hoc est : qualem deitatem et qualem omnipotentiam habet Deus Pater, talem deitatem et talem omnipotentiam habet filius Dei, et talem deitatem et talem omnipotentiam habet Spiritus Sanctus.<sup>535</sup>

---

<sup>535</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 587<sup>D</sup>).



¶LXX

***Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.*** Hoc est : Deus Pater a nullo creatus est, sed ipse omnia creavit ; et filius Dei a nullo creatus est, sed ipse omnia creavit cum Patre ; et Spiritus Sanctus a nullo creatus est, sed ipse omnia creavit cum Patre et Filio. Deus Pater non est creatura, sed Deus, qui omnem creaturam creavit. Filius Dei non est creatura, sed Deus, cum Patre omnia creans. Spiritus Sanctus non est creatura, sed Deus, creator omnis creaturæ cum Patre et Filio.<sup>536</sup>

---

<sup>536</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 587<sup>D</sup>).

## [LXXI

1. *Inmensus Pater, inmensus Filius, inmensus Spiritus Sanctus.* Sicut mare oceanum, quod arcuit in giro totum mundum, est inmensum, hoc est inmensurabile, et absque mensura nobis (non enim possumus mensurare illud cum mensuris, quam longum et quam latum et quam profundum et quam magnum est, sed neque cogitare possumus quot miliaria vel quot dies habet in mensura sua propria ; solus tamen Deus, qui ipsum mare creavit, mensuram ejus novit, quam longum et latum est et profundum est), ita Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum nullus cogitator in cogitatione sua mensurare potest, quia ultra omnem mensuram nobis est. Nullus potest cogitare mensuram ejus, quam magnus est. Et illi qui dicere solent : « Tam magnus est Deus sicut totus mundus », nec dicere nec cogitare possunt mensuram magnitudinis ejus. Salomon cum omni sapientia sua non poterat cogitare mensuram magnitudinis Dei, sed tantum sciebat quia ultra omnem mensuram quam cogitare poterat ipse, tantum Deus major erat. Ideo dicebat Deo : « *Si cælum et cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi ?* »<sup>537</sup> Et David, qui dicebat : « *Magnus Dominus noster et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus* », <sup>538</sup> et item : « *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis* », <sup>539</sup> ipse etiam dicebat : « *Si ascendero in cælum, tu illic es ; si descendero ad infernum, ades.* »<sup>540</sup>

2. Solus ipse Deus novit mensuram magnitudinis suæ, sicut numerum capillorum omnium hominum et numerum harenæ maris et numerum guttarum pluviarum novit, et sicut solus novit mensuram altitudinis cæli et mensuram latitudinis terræ et mensuram profunditatis abissi. Et filius Dei dominus noster Jesus Christus secundum

---

<sup>537</sup> III Reg. 8, 27.

<sup>538</sup> Ps. 146, 5.

<sup>539</sup> Ps. 144, 3.

<sup>540</sup> Ps. 138, 8.

humanitatem mensurabilis erat, quando in utero Virginis erat, quando in presepe jacebat, quando in cruce pendebat. Sed secundum divinitatem, per quam æqualis Deo Patri est, immensus erat. Quando enim in utero Virginis erat, et totus erat in utero Virginis secundum divinitatem, et totus in cælo cum Patre. Quando in presepe jacebat, secundum divinitatem in cælo fulgebat. Quando secundum humanitatem in cruce pendebat, secundum divinitatem cælum et terram gubernabat. Quando secundum humanitatem mortuus in sepulchro quiescebat, secundum divinitatem infernum spoliabat. Et in terra erat totus et in cælo erat totus secundum divinitatem, quando Nichodemo dicebat : *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit : filius hominis qui est in cælo.*<sup>541</sup> Et quando secundum humanitatem ad cælos, videntibus apostolis, ad Patrem ascendit, secundum divinitatem et totus erat cum Patre in cælo, et totus remansit in terra cum apostolis. Et modo in hac hora dum sedetis in hac synodo, dominus noster Jesus Christus secundum divinitatem et totus est in cælo, et totus est inter nos in hac synodo, et totus est per omnem terram, et totus est ubicumque sunt in terra sancti ejus, et erit usque in finem, sicut ipse ait apostolis suis : « *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consumationem.* »<sup>542</sup> Et quando Petrus apostolus predicabat Deum apud Romanos, totus erat cum eo dominus Jesus Christus ; et quando Marcialis apostolus predicabat veritatem apud Aquitanos, totus erat cum eo dominus Jesus Christus. Et quando Marcialis Petrum reliquit Romæ, totus remansit cum Petro, et totus venit ad Galliam cum Marciale.<sup>543</sup> Ita ultra omnem mensuram immensus est Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus in sua natura secundum divinitatem.

3. Et sicut est immensurabilis, quia ultra omnem mensuram quam cogitare possumus major est, ita est inlocalis, quia ultra omnes locos vel cæli vel terræ vel maris quos

<sup>541</sup> Ioh. 3, 13.

<sup>542</sup> Matth. 28, 20 : consumationem seculi.

<sup>543</sup> cf. *Vita Martialis. II v.*

cogitare possumus major et transcendens est. Sicut littera circumscripta et collecta est in libris, et ideo mensurabilis est, ita nos circumscripti et collecti manemus in locis propria mensura mensurabiles. Sed Deus incircumscriptus, hoc est incomprehensibilis, est, quia ipse locos omnes capit et tenet, sed nullus locus eum capere et comprehendere et circumscribere potest, sicut ista ecclesia nos capit et comprehendit et circumscribit. Omnes enim qui in hac synodo sumus, in hac ecclesia manemus ; quamdiu hic sumus, in nullo alio loco sumus nisi in isto, neque actu neque possibilitate. Deus autem ita immensus est, ut inter nos in hac synodo in hac ecclesia totus sit, et per alias ecclesias et per omnem terram et per omnes cælos simul totus sit. Quia ubique, hoc est per omnem terram, totus est, in omnibus locis presens est, ubique totus perfecte est.<sup>544</sup>

---

<sup>544</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 588<sup>A</sup>) : totus, ubique presens, ubique potens.

## [LXXII]

Item sequitur : *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres* [fol. 86v] *æterni, sed unus æternus.* Hoc dicit quia, sicut Deus Pater est Deus æternus, quia æternitatem habet, quia numquam inchoavit et numquam finiet sed semper est ante omne principium, et ipse est initium et ipse est finis, et ipse est primus sine fine, et ipse est novissimus sine initio, ita filius Dei eandem æternitatem possidet cum Patre, et Spiritus Sanctus eandem æternitatem habet cum Patre et Filio, quia Deus æternus est sicut Pater et Filius. Et tamen non sunt tres dii æterni, quia non sunt tres æternitates sed una æternitas in Patre et Filio et Spiritu Sancto, et in tribus personis est unus Deus æternus, hoc est : qui permanet æternaliter sine initio et sine fine.<sup>545</sup>

---

<sup>545</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 588<sup>A</sup>).

## [LXXIII]

1. *Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus. Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.* Hoc dicit quia, sicut est una æternitas, ita est una omnipotentia in Patre et Filio et Spiritu Sancto. Et numquam potest Pater sine Filio et Spiritu Sancto, nec Filius potest sine Patre et Spiritu Sancto, nec Spiritus Sanctus potest sine Patre et Filio. Et nihil potest facere Pater sine Filio et Spiritu Sancto, nec facere aliquid potest Filius sine Patre et Spiritu Sancto, sicut Dominus ipse Dei filius dicit in Evangelio : *Non potest Filius a se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Sed quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit.*<sup>546</sup> Et item : « *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* »<sup>547</sup> Et item : « *Qui me videt, videt et Patrem.* »<sup>548</sup> Et alibi : « *Ego et Pater unum sumus.* »<sup>549</sup> Et omnipotentia Spiritus Sancti numquam est separata ab omnipotentia Patris et Filii. Et omnia quæ Spiritus Sanctus inluminat, Pater et Filius inluminat. Et cum sint tres personæ, non tamen sunt tres dii omnipotentes, sed unus Deus omnipotens, quia non sunt tres omnipotentia in Deo sed una omnipotentia in Deo Patre et Filio et Spiritu Sancto, sicut non sunt tres substantiæ sed una substantia in tribus personis.
2. Et sicut sancta Trinitas ideo unus Deus omnipotens est, quia omnia quæ vult potest, et nichil est quod non possit si vult, et cælestium, terrestrium et infernorum omnium optinet potestatem,<sup>550</sup> quia omnia creavit, ita mentiri non potest, quia non vult mendacium ; mori non potest, quia *Deus mortem non vult nec lætatur in perditione morientium,*<sup>551</sup> et quia mors non a Deo, sed a diabolo creata est, sicut omne mendacium

---

<sup>546</sup> Ioh. 5, 19 : Quæcumque enim ille fecerit, h.

<sup>547</sup> Ioh. 5, 17.

<sup>548</sup> Ioh. 14, 9.

<sup>549</sup> Ioh. 10, 30.

<sup>550</sup> cf. Phil. 2, 10 : omne genu flectat cælestium et terrestrium et infernorum.

<sup>551</sup> Sap. 1, 13 : non fecit n. ; perditione vivorum.

cf. PETR. CHRYS., *Serm.* 112, 26 : nemo sine piaculo existimat tam pium, tam bonum deum mortem creare potuisse.

ex diabolo est : *Invidia diaboli, mors intravit in orbem terrarum.*<sup>552 553</sup> Deus mori non potest, quia vita est, quia immortalis est, et angelos et animas nostras immortales creavit ; Deus mentiri non potest, quia ipse veritas est.<sup>554</sup> Verumtamen dominus noster Jesus Christus secundum humanitatem pro nobis mortuus est, non secundum divinitatem. Deus numquam mortuus est, quia Deus mori non potest. Sed quia Deus voluit fieri homo propter nos, mortuus est homo propter nos. Deus et homo est ; filius Dei et filius hominis est. Homo mortuus est ; Deus spoliavit infernum. Deus et homo, de sepulchro resurrexit et in cælum ascendit, et sedet ad dexteram Dei Patris. Et sicut Deus mori non potest, quia vera vita est, et mentiri non potest, quia veritas est, ita finiri non potest, quia vita est, qui infinitus, inmensus et perennis, hoc est sempiternus, est.<sup>555</sup>

3. Et sicut Deus omnipotens est, quia omnia que<sup>xxxxxxxx</sup> vult potest, ita *vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.*<sup>556</sup> Et potest ‘omnes homines salvos’ facere, si tamen in eum fideliter crediderint, si veritatem ejus baptismi acceperint. Et potest omnes convertere ‘ad agnitionem veritatis’ suæ, si tamen homines propter iniquitates suas non clauserint se ipsos contra lumen et viam misericordiæ suæ. Nihil enim injustum vult Deus, quia ipse vere justus est. Et nihil prodest quod sæpe auditis dicere illis qui ignorant occulta juditia Dei, de aliquibus qui in damnationem pergunt : « Si, inquit, Deus voluisset, ille homo salvus esset, aut ille homo non esset malus, aut ille homo non esset interfectus, aut illa civitas non esset flammis consumpta, aut omnes gentes et omnes Judei jam essent boni Christiani. » Qui hoc dicit Deum accusat, quasi non velit omnes homines salvare ; Deum accusat, quasi velit

---

*cf. Lib. sacram. Eng. 2200, 1 : (deus) non vis mortem peccatorum, nec lætaris in perditione morientium.*

<sup>552</sup> Sap. 2, 24 : m. introivit i. ; *sic* VL.

<sup>553</sup> *cf. AUG., Symb. 1 : deus omnipotens est, et cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, et, quod ait apostolus, negare seipsum non potest.*

<sup>554</sup> *cf. Ioh. 14, 6 : ego sum via et veritas et vita.*

<sup>555</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei (PL, 88, col. 588<sup>A</sup>).*

<sup>556</sup> 1 Tim. 2, 4.

malum. Sed scimus quia juste ille homo damnatus est, justum est ut illa civitas succensa sit, justum est ut illi pagani non sint Christiani, quia propter suas malitias indigni sunt venire ad veritatis agnitionem, ille homo propter suam iniquitatem excommunicatus mortuus est, illa civitas propter suam superbiam incensa est. Et Deus quod est injustum non vult. Et si Deus vellet injustitiam, justus non esset. Et si justum esset ut illi Sarraceni jam cognoscerent veritatem, Deus voluisset, jamque Christiani essent.

4. Deus voluit ut unus latro salvus esset, quia justum fuit. Et quia Deus in cruce pendens latronem salvare voluit, ideo potuit. Est enim omnipotens.

5. Deus voluit ut alter blasphemans latro non esset salvus, quia justum erat ut non esset salvus. Et quia Deus voluit eum non salvare, ideo potuit eum non salvare. Est enim omnipotens.

6. Si justum esset ut illa civitas bonum regem haberet, Deus vellet, et haberet illa civitas bonum principem. Sed quia propter culpas suas justum est ut illa civitas habeat malum principem, qui eam disperdat, qui eam affligat, ideo Deus vult ut non sit bonus princeps. Et quia justitiam vult Deus, potest juste preponere indignæ civitati malum principem. Est enim Deus omnipotens, qui omne quod vult potest, et vult omne quod justum est.

7. Itaque scimus vere quia, sicut reges et principes hujus seculi non possunt omne quod volunt, et ideo omnipotentes non sunt, ita sancta Trinitas unus Deus, quia omne quod vult potest, ideo omnipotens Deus est. Et sicut non sunt tres increati nec tres immensi, sed unus increatus et unus immensus, ita non sunt tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Nam velut Deus Pater est increatus, quia non est creatus, et Filius est increatus, quia non est creatus, et Spiritus Sanctus est increatus, quia non est creatus, ita Deus Pater est immensus, quia magnitudo ejus mensuram non habet sed ultra



omnem mensuram quam cogitare possumus est, et Filius immensus est, quia magnitudo ejus ultra omnem mensuram quam cogitare possumus est, et Spiritus Sanctus immensus est, quia inmensurabilis et ultra omnem mensuram quam cogitare possumus magnitudo ejus est ; non tamen sunt in sancta Trinitate tres dii increati, sed unus increatus et creator Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, nec sunt tres dii immensi, sed est unus Deus immensus.

## [LXXIV

1. Et sicut sancta Trinitas est unus Deus æqualis, et increatus, et immensus, et æternus, et omnipotens, *ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres dii, sed unus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres domini, sed unus est Dominus.* Hoc demonstrat de uno solo Deo quem credimus, hoc est sancta Trinitas, quia sicut tres personæ Pater et Filius et Spiritus Sanctus non sunt tres æquales dii, sed unus Deus æqualis, sicut non sunt tres increati dii, sed unus increatus Deus, sicut non sunt tres immensi dii, sed unus Deus immensus, sicut non sunt tres omnipotentes dii, sed unus omnipotens Deus, ita non sunt tres dii, sed unus est Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus, nec sunt tres domini, sed unus Dominus cæli et terræ Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

2. Intelligite itaque quia in sancta Trinitate sunt<sup>ssssssssss</sup> quidem tres personæ, sed non sunt tres qualitates nec tres æqualitates, sed una qualitas et una æqualitas ! Non sunt tres increationes, sed una in creatio, quia non tres creatores, sed unus est creator Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Nec tres immensitates, sed una est immensitas. Nec tres omnipotentia, sed una omnipotentia. Nec tres divinitates sunt, sed una divinitas. Nec tres gloria sunt, sed una est gloria. Nec tres majestates, sed una majestas est. Nec tres naturæ, sed una est natura. Nec tres substantiæ sunt in sancta Trinitate, sed una tantum substantia. Et vere sunt tres personæ divisæ per trinitatem Pater et Filius et Spiritus Sanctus, sed non sunt in trinitate tres deitates, sed una deitas, nec sunt tres dominationes, sed una dominatio.

3. Videtis quia nulla alia gens credit vere unum Deum nisi Christiani, qui secundum fidem catholicam credunt quia sancta Trinitas Pater et Filius et Spiritus Sanctus est vere unus Deus. Illi hæretici, qui in solo Patre credunt, sicut illi dicunt : « in sola paterna et in solo creatore », in nullum deum credunt nec in ipsam ‘paternam’

credunt, quia credunt eum totum esse solum et derelictum, ut non habeat in se sapientiam, hoc est Filium, ut non habeat in se virtutem, hoc est Spiritum Sanctum. Ideo contra eos qui eum solitarium esse credunt sine Filio et Spiritu Sancto, Deus Pater loquitur per prophetam Isaiam dicens : « *“Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam ?”*, dicit Dominus. *“Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero ?”*, ait dominus Deus tuus. »<sup>557</sup> Itaque a Deo Patre, ‘qui alios parere’ facit, genitus est Dei filius inenarrabiliter ; ab ipso Deo Patre, ‘qui generationem cæteris’ tribuit, Spiritus Sanctus processit ineffabiliter.

4. Sed si qui vestrum ignorent cur dicitur hoc nomen quod est ‘Deus’, scitote quia Deus dicitur a dilectione, qua diligere magis quam timere nos, rationabilis creatura, eum debemus, sicut [fol. 87] scriptum est : « *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tuo !* »<sup>558</sup> Et sicut ‘Deus’ hoc nomen vocabulum est quod significat potestatem, non solam proprietatem, ita ‘Pater’ et ‘Filius’ et ‘Spiritus Sanctus’ hæc tria nomina proprietatem personarum significant. Nam sicut propter potestatem deitatis dicitur Pater Deus, et Filius dicitur Deus, et Spiritus Sanctus dicitur Deus, et tamen non sunt tres dii, sed unus est Deus, ita<sup>tttttttttt</sup> hæc tria<sup>uuuuuuuuuuuu</sup> nomina quæ sunt ‘Pater’ et ‘Filius’ et ‘Spiritus Sanctus’ propter proprietatem trium personarum dicta sunt. Quia hoc nomen quod est ‘Pater’ proprie significat personam Patris, non Filii neque Spiritus Sancti. Et hoc nomen quod est ‘Filius’ proprie facit nobis intelligere personam Filii, non Patris neque Spiritus Sancti. Et hoc nomen quod est ‘Spiritus Sanctus’ proprie demonstrat personam Spiritus Sancti, non Patris neque Filii.<sup>559</sup>

---

<sup>557</sup> Is. 66, 9.

<sup>558</sup> Luc. 10, 27 : mente tua.

<sup>559</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 588<sup>B</sup>).

## ¶LXXV

1. Et nos qui orthodoxi sumus, qui sanctam Trinitatem credimus esse unum Deum, quando proprie oramus ad personam Dei Patris, tantum nobis prodest quantum si oramus ad personam filii Dei, vel proprie adoramus ad personam Spiritus Sancti. Et quando proprie oramus<sup>vvvvvvvvvv</sup> ad filium Dei, tantum nobis prodest quantum si oramus ad Patrem vel ad Spiritum Sanctum. Et quando proprie oramus ad Spiritus Sancti personam, tantum nobis prodest quantum si oramus ad personam Patris vel ad personam Filii, quia Spiritus Sanctus similiter est Deus sicut Pater et Filius, et Filius simili modo est verus Deus sicut Pater et Spiritus Sanctus. Et qualem potestatem et voluntatem habet Spiritus Sanctus, talem habet Pater et Filius. Et qualem voluntatem et potestatem habet proprie Filius, eandem et ipsam voluntatem habent proprie Pater et proprie Spiritus Sanctus.

2. Et quando proprie adoramus filium Dei, simili modo adoramus in eo Patrem et Spiritum Sanctum, quia nullam personam possumus honorare neque adorare sine aliis duabus personis. Et quando adoramus Patrem, simul adoramus in eo Filium et Spiritum Sanctum, quia tota sancta Trinitas unus Deus est. Et quando adoramus Spiritum Sanctum, non possumus eum adorare sine Patre et Filio, quia qui vere credit in Patrem vere credit in Filium et in Spiritum Sanctum. Dum enim dico : « Spiritus Sancte Deus, miserere mei ! », totam sanctam Trinitatem deprecor, in eo quod unus Deus est, sed proprie personam Spiritus Sancti deprecor. Et dum dico : « Filius Dei redemptor mundi Deus, miserere mei ! », in eo quod Deus est, totam sanctam Trinitatem deprecor. Credimus enim quia Filius in Patre et Pater in Filio est, et Spiritus Sanctus in Patre et Filio est. Et dum dico : « Pater de cælis Deus, miserere mei ! », totam sanctam Trinitatem deprecor, sed proprie personam Patris deprecor, in eo quod Patrem nomino. Et dum dicimus : « Sancta Trinitas unus Deus, miserere mei ! »,

proprie tres personas et unam deitatem deprecor. Et dum dicimus in Psalmis : « *Domine, libera animam meam !* », <sup>560</sup> vel dum dicimus : « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam ! », et ubicumque Deum invocamus, sicut est : « *Domine, dominus noster* », <sup>561</sup> « *Deus noster refugium et virtus* », <sup>562</sup> et multa alia, totam sanctam Trinitatem proprie invocamus, in eo quod unus Deus est. Et quando dicimus : « *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus ; et metuant eum omnes fines terrę* », <sup>563</sup> aut quando dicimus : « *Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* », <sup>564</sup> vel cum dicimus : « *Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus, Sabaoth* », <sup>565</sup> et <sup>www</sup> multa alia quæ sancta Ecclesia dicit, <sup>566</sup> proprie sanctam Trinitatem tres personas et unam divinitatem dicimus.

3. Et sicut est genitus Filius a Patre et Spiritus Sanctus procedens est a Patre et Filio, ita omnes orationes missarum ad sanctam Trinitatem dicitis, in eo quod Deus unus est. Sed proprie ad Patrem dicimus omnes illas ubi in fine dicimus : « per dominum nostrum Jesum Christum filium tuum », <sup>567</sup> ubi et personam Spiritus Sancti dicimus esse in unitate deitatis cum Patre et Filio, dum dicitis : « qui tecum vivit et regnat Deus », hoc est filius Patris, « in unitate Spiritus Sancti ». <sup>568</sup> Et illas proprie dicitis ad personam Filii ubi in fine dicitis : « qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti » <sup>569</sup>. De talibus est ista oratio : « Excita, Domine, potentiam tuam et veni, et quod Ecclesiæ tuæ promisisti usque in finem seculi clementer

---

<sup>560</sup> Ps. 114, 4 et 119, 2.

<sup>561</sup> Ps. 8, 2 et 8, 10.

<sup>562</sup> Ps. 45, 2.

<sup>563</sup> Ps. 66, 7-8.

<sup>564</sup> Ps. 32, 6

<sup>565</sup> Is. 6, 3 : Deus exercituum.

<sup>566</sup> *Ordo missæ : Præfatio*

<sup>567</sup> *Ordo missæ : De fractione hostiæ.*

<sup>568</sup> *Ordo missæ : De fractione hostiæ.*

<sup>569</sup> *Ordo missæ : Pax.*

operare ! Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus. »<sup>570</sup> De illis quæ sunt proprie ad personam Patris, est ista : « Deus, qui tribus pueris mitigasti flammam ignium, concede propicius ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum, per dominum nostrum Jesum Christum filium tuum ! »<sup>571</sup>

4. Scitote autem quia diligenter debetis in orationibus missarum dividere personas sanctæ Trinitatis sicut oportet ! Quia si per ignorantiam dicitis ad personam Filii : « per dominum nostrum Jesum Christum filium tuum »<sup>572</sup>, aut si per ignorantiam dixeritis ad personam Patris : « qui vivis et regnas cum Deo Patre », eritis confundentes personas, sicut sabelliani hæretici, qui dicunt ipsum esse Patrem qui Filium et ipsum esse Patrem qui Spiritum Sanctum. Et propter proprietatem personarum sanctæ Trinitatis, observate diligenter ubi in fine debetis dicere : « per Dominum », et ubi : « per eundem », et quando debetis dicere : « in unitate Spiritus Sancti », et quando : « in unitate ejusdem Spiritus Sancti » ! Quando invenitis personam Filii, debetis dicere : « per eundem », quia de ipso Filio relatio est, non de alio, sicut est in ista oratione paschali : « Deus, qui hodierna die per unigenitum tuum æternitatis nobis aditum, devicta morte, reserasti ! »<sup>573</sup> In ista oratione<sup>xxxxxxxxxxxx</sup> dicimus : « per eundem », id est : per ipsum qui superius nominatus est unigenitus Patris. Ubi autem personam Spiritus Sancti invenimus, debemus in fine dicere : « in unitate ejusdem Spiritus Sancti », sicut est in ista oratione : « Deus, qui hodierna die corda fidelium Sancti Spiritus inlustratione docuisti ! »<sup>574</sup> Nam et qui eam composuit relationem in ea misit dicens : « Da nobis in eodem Spiritu recta sapere ! » In hac oratione dicimus : « in unitate ejusdem Spiritus Sancti », id est : ipsius Spiritus Sancti qui superius dictus est inlustrare corda fidelium. Quando autem ambas personas Filii et

<sup>570</sup> Sermon dominical : vêpres du samedi de la troisième semaine de l'aveil.

<sup>571</sup> *Ordo missæ : Conclusio missæ.*

<sup>572</sup> *Ordo missæ : De fractione hostiæ.*

<sup>573</sup> Collecte du dimanche de Pâques.

<sup>574</sup> Collecte du dimanche de Pentecôte.

Spiritus Sancti invenimus, debemus duas relationes dicere, id est : « per eundem et in unitate<sup>yyyyyyyyyy</sup> ejusdem », sicut est in ista oratione : « Domine, Deus Pater omnipotens, nos famulos tuæ majestati subjectos per unicum filium tuum in virtute Sancti Spiritus benedic et protege ! »<sup>575</sup> Sicut autem sumus catholici, sic divisiones personarum sanctæ Trinitatis et relationes, ubi oportet, diligenter observemus, ut appareat intelligentia fidei nostra, sicut apostolus ait : *Quid nobis prodest orare,*<sup>576</sup> si quod oramus non intelligimus ?<sup>577</sup> Et sicut nulla est oratio quæ non sit de sancta Trinitate, quia in fine totę tres personæ dicuntur, ita proprie sunt orationes de sancta Trinitate, quæ unitatem et trinitatem demonstrant, quæ toto anno et maxime dominicis diebus frequentare debemus, ut appareamus esse vere orthodoxi.

---

<sup>575</sup> Samedi saint ?

<sup>576</sup> Job 21, 15 : prodest si oravimus.

<sup>577</sup> cf. Rom. 8, 26 : quid oremus, sicut oportet, nescimus.

## ¶LXXVI

1. Quidam de sacerdotibus narraverunt<sup>//////////</sup> nobis audisse se quosdam grammaticos dicentes non bene esse compositam nec prodesse missam sanctæ Trinitatis istam : « Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis... » Nos in veritate vobis dicimus quia recte et bene composita est hæc oratio secundum catholicam fidem, sicut hic Psalmus quem vobis exponimus recte et bene compositus est secundum catholicam fidem. Nam et de isto Psalmo sanctæ Trinitatis ego ipse quendam valde scitum grammaticum audivi dicentem non eum bene esse compositum. Statim intellexi illum grammaticum hæreticum esse pessimum, et eum pro stercore reputavi. Et postea apparuerunt maledictæ hæreses ejus, quousque a iudicibus seculi per iudicium catholicorum flammis crematus est.

2. Hæc autem oratio : « Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis... » recte stat, quam dicimus proprie ad personam Patris, qui dedit nobis agnoscere gloriam Trinitatis, quæ æterna Trinitas est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et est ista confessio et hæc testificatio veræ fidei catholicæ et orthodoxæ. Ideo dicit : « Qui dedisti<sup>aaaaaaaaaaaa</sup> famulis tuis, in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere. » [fol. 87v] Ipse omnipotens Pater dedit nobis ut per auctoritatem veræ fidei adoremus unitatem, hoc est unum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, in una potentia et in una majestate. Ideo dicimus : « et in potentia majestatis adorare unitatem ». Et orat hæc oratio personam Dei Patris ut, propter firmissimam ipsam fidem catholicam et orthodoxam, per quam vere credimus unum Deum esse tres personas et unam deitatem, ab omni adversitate nos defendat, per filium suum, qui est una persona, qui cum persona Patris vivit et regnat cum Spiritu Sancto, qui tertia persona est in sancta Trinitate.



3. Ideo dicimus ita : « Quesumus ut ejusdem fidei », id est catholicæ fidei, « firmitate », hoc est stabilitate, « super quam firmitatem quasi *super firmam petram* in Petro Christus *ædificavit Ecclesiam suam* », <sup>578</sup> hoc est sanctam Ecclesiam catholicam, « ab omnibus semper muniamur adversis. » Intelligere potestis quantum prodest illa res, propter quam nos liberat Deus ab adversitate, non una, non aliquantis, sed ab omni adversitate. Dum dicitis : « ab omnibus semper », concluditis omnia mala quæ in hoc seculo et futuro possunt evenire corporibus et animabus, et eis quæ vestra sunt.

4. Et sicut in ista oratione, in eo quod nominamus trinitatem et unitatem, comprehendimus simul tacite personam Patris et Filii et Spiritus Sancti, et unam in tribus personis deitatem, sed tamen non sic sicut in aliis orationibus aperte et separatim nominamus Filium neque Spiritum Sanctum, sicut aperte nominamus Patrem, ita non debemus dicere relationem ad Filium nec ad Spiritum Sanctum, sicut quidam perite putant se dicere : « per eundem », et « in unitate ejusdem », sed plane debemus dicere : « per Dominum », et « in unitate Spiritus Sancti ».

5. Et reprehendere cum caritate illos debetis, qui in fine hujus orationis nolunt plus dicere nisi : « per omnia secula seculorum », et putant docte dicere. Quia sicut est oratio proprie ad personam Dei Patris, et aperte et distincte dicta est persona Patris, hoc est « Omnipotens sempiterne Deus », sic in fine aperte dicta esse debet persona Filii et Spiritus Sancti. Verumtamen sicut dicimus ad personam propriam Patris : « Omnipotens sempiterne Deus », ita quando opus est, si volumus, possumus et debemus dicere ad propriam personam Filii : « Omnipotens sempiterne Deus », et eodem modo ad propriam personam Spiritus Sancti : « Omnipotens sempiterne Deus », in aliis tamen orationibus privatis, nam in ista, ad personam Patris est. Et item ad totam simul Trinitatem possumus dicere : « Omnipotens sempiterne Deus », quia sicut Pater est ‘omnipotens sempiternus Deus’, ita Filius est ‘omnipotens sempiternus

<sup>578</sup> cf. Matth. 16, 18.

Deus', et Spiritus Sanctus est 'omnipotens sempiternus Deus'. Et tamen non sunt tres omnipotentes sempiterni dii, sed tota sancta Trinitas est unus 'omnipotens sempiternus Deus'. Et ita sapienter est composita ista oratio, ut vere intelligamus eam ad propriam personam Patris esse, et in fine dicamus : « per Dominum », sicut in aliis.

6. Qui enim mox dicunt : « per omnia secula seculorum », si bene intelligerent quomodo est ad personam propriam Patris facta hæc oratio, et quid est : « semper muniamur », non amplius dicerent nisi relationem ; hoc enim adverbium sempiternitatem demonstrans, quod est 'semper', tantum significat quantum 'per omnia secula seculorum'. Dicimus enim : « Deus semper est. » Et hoc significamus : « Deus per omnia secula seculorum est. » Et qui dicit : « semper muniamur », idem est ac si dicat : « per omnia secula seculorum muniamur ». Et in versu 'Gloria Patri', dum dicimus : « et nunc et semper », et mox adjungimus « et in secula seculorum », non est aliud nisi una eademque repetitio sempiternitatis, sicut in Psalmis : « *fiat fiat* », <sup>579</sup> et in Evangelio : « *amen amen dico vobis* », <sup>580</sup> repetitio est unius confirmationis. Et ideo quia 'semper' et 'in secula seculorum' unum significat, talem consuetudinem tenetis de versu 'Gloria Patri', ut in terciis responsoriis sicut monachi in quartis<sup>bbbbbbbbbb</sup>, eum finiatis ad illam partem quæ est : « semper ». Et si, sicut illi intelligunt, fuisset hæc oratio ad totas tres personas, non ad Patris propriam personam, qui eam composuit non diceret : « semper muniamur », sed taceret « semper », et diceret : « ab omnibus muniamur adversis per omnia secula seculorum ». Et qui repetitionem sempiternitatis ibi faciunt, sicut in versu 'Gloria Patri', rectius dicerent si ita dicerent : « ab omnibus muniamur adversis, semper et per omnia secula seculorum », quam sicut dicere indocte solent.

<sup>579</sup> Ps. 40, 14 ; Ps. 71, 19 ; Ps. 88, 53 ; Ps. 105, 48.

<sup>580</sup> Ioh. 1, 51 et 6, 26, *inter al.*

## [LXXVII]

1. Et sicut Prefatio illa propria quam dicimus : « Qui cum unigenito filio tuo et Spiritu Sancto unus es Deus », est proprie ad personam Patris, sic est ista oratio proprie ad personam Patris. Et sicut in Prefatione, ita et in ista oratione trinitas et unitas aperte est. Et sicut Prefatio dicit quod Pater revelavit gloriam suam, ita oratio dicit quia Pater dedit agnoscere gloriam Trinitatis, hoc est revelavit, sicut Dominus ait Petro, dum Petrus confessus est veram catholicam fidem, dicens Domino : « *Tu es Christus, filius Dei vivi. Pater, inquit, meus, qui est in cælis, revelavit tibi* », <sup>581</sup> hoc est istam veram fidem. Et quando reversi sunt ad Dominum septuaginta duo<sup>cccccccccc</sup> apostoli, ipse Filius de apostolis suis omnibus ait ad Patrem : « *Confiteor tibi, id est laudo te, Pater domine cæli et terræ, qui abscondisti hæc sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* » <sup>582</sup> Hoc est : « Veram fidem catholicam istis apostolis humilibus meis, quos misi ad predicandum, revelasti. » In ipso sensu orationem in commemoratione Marcialis apostoli dicimus ad Patrem : « Deus, qui tui nominis agnitionem », hoc est veram fidem catholicam, « per beatum Marcialem apostolum tuum revelasti. »

2. Non habeatis hic hæsitationem cur ad Patris propriam personam dicimus esse apostolos suos, cum proprie persona Filii Petrum, Marcialem, ceterosque apostolos misit dicens : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, <sup>583</sup> et : *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, <sup>584</sup> quia omnia quæ sunt Filii, similiter et Patris sunt, sicut ipse filius Dei ad Patrem dixit de apostolis : « *Manifestavi nomen tuum hominibus, hoc est apostolis, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedisti.* » <sup>585</sup> Videte quam

---

<sup>581</sup> Matth. 16, 16-17.

<sup>582</sup> Matth. 11, 25.

<sup>583</sup> Ioh. 20, 21.

<sup>584</sup> Luc. 10, 3.

<sup>585</sup> Ioh. 17, 20.

magna concordia est inter Deum Patrem et filium suum ! Filius Dei manifestavit nomen Patris apostolis suis ; Pater revelavit filium Dei Petro et ceteris apostolis : « *Caro, inquit, et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui est in cælis, hoc est istam fidem catholicam, per quam dixisti mihi : Tu es Christus, filius Dei vivi* ». <sup>586</sup> Et item : « *Revelasti ea parvulis.* » <sup>587</sup>

3. Videte quam magna concordia sit inter personam Spiritus Sancti et Patrem et Filium ! « *Paraclitus, inquit, Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* » <sup>588</sup> Hoc est : « Ille revelabit vobis omnem veritatem catholicæ fidei. » Item filius Dei ad Patrem dixit : *Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt.* <sup>589</sup> Cum ergo omnia quæ habet Pater sunt filio ejus, et omnia quæ Filii sunt Patris sunt, ideo omnes apostoli Christi apostoli Dei Patris sunt, et apostoli Spiritus Sancti sunt, sicut in Actibus apostolorum de Paulo et Barnaba apostolis scriptum est : *Ministrantibus illis et jejnantibus, dixit Spiritus Sanctus : « Segregate mihi Paulum et Barnaban, in opus quod assumpsi eos ! »* <sup>590</sup> *Et illi quidem missi ab Spiritu Sancto abierunt Seleuciam.* <sup>591</sup> Tanta ergo est concordia inter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, ut sit in eis una volun-[fol. 88]-tas et una operatio, quia tres personae unus est Deus, unus est Dominus.

4. Sicut in Prefatione propria ‘sanctæ Trinitatis’ ad personam Patris proprie dicitis : « Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui cum unigenito filio tuo et Spiritu Sancto unus es Deus, unus es Dominus... », ita proprie ad personam ipsius Patris orationem dicitis : « Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis... » Et sicut hic dicitis gloriam æternæ trinitatis et unitatem majestatis, ita in Prefatione

<sup>586</sup> Matth. 16, 16-17.

<sup>587</sup> Matth. 11, 25 ; Luc. 10, 21.

<sup>588</sup> Ioh. 14, 26.

<sup>589</sup> Ioh. 17, 10.

<sup>590</sup> Act. 13, 2 : illis Domino e. ; mihi Barnaban et Saulum i.

<sup>591</sup> Act. 13, 4 : Et ipsi q.

dicitis trinitatem personarum et unitatem substantiæ. Non est enim una singularis persona in sancta Trinitate, nec tres substantiæ, sicut Prefatio dicit : « Non in unius singularitate personæ, sed in unius trinitate substantiæ. »

5. Quia istam Prefationem frequentissime dicere debemus, ideo vobis exponimus propter quosdam sacerdotes hic adstantes, ut bene eam intelligant, si adhuc non intelligunt : « Deus Pater omnis et Filius et Spiritus Sanctus unus est Deus, et unus Dominus. » Non ut sit Deus singulariter in una persona, sed est unus Deus trinitas in personis et unitas in una substantia. Dicit Prefatio ad personam Patris : « Quod enim de tua gloria revelante te credimus, hoc de filio tuo, hoc de Spiritu Sancto, sine differentia discretionis sentimus. » Deus Pater revelavit sanctæ Ecclesiæ suæ catholicæ, dum misit<sup>dddddddddd</sup> nobis in terram filium suum, revelavit etiam per scripta prophetarum ante adventum Domini in carnem, quia non tres gloriæ sed una est gloria in Patre et Filio et Spiritu Sancto. « Et qualem gloriam habet Deus Pater, talem habet Filius, talem habet Spiritus Sanctus ; et nulla differentia, nulla discretio est inter tres personas secundum deitatem, et voluntatem, et gloriam, et æternitatem et substantiam », ut in confessione veræ sempiternæque deitatis, « et in personis proprietas et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas, quem – id est Patrem, ad cujus proprie personam est hæc Prefatio – laudant angeli. »

## ¶LXXVIII

1. Hæc est vera confessio catholicæ et orthodoxæ fidei, ut credamus quia verus et sempiternus Deus ille est, qui proprie tres sunt personæ<sup>eeeeeeeeee</sup>, hoc est sancta Trinitas<sup>ffffffmf</sup> Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et una est essentia, hoc est una substantia. Ipsam sanctam Trinitatem adoramus et confitemur unum Deum in una majestate, et in una æqualitate. Istam constitutionem, qua omnes orationes missarum sunt vel ad propriam personam Patris vel ad propriam personam Filii, tradiderunt patribus nostris sancti apostoli, qui catholicam fidem sanctæ Ecclesiæ tradiderunt. Et ipsam vim habet oratio quam proprie facimus ad Filium, quam vim habet ea quæ proprie facimus ad Patrem. Ipsam fortitudinem habet oratio quam proprie facimus ad personam Spiritus Sancti, quam potestatem habet ea quam proprie dicimus ad Patrem. Æqualiter enim prestat nobis Spiritus Sanctus quæcumque eum rogamus, sicut Pater et Filius, quia æqualiter est verus Deus sicut Pater et Filius. *Spiritus enim, ubi vult, spirat.*<sup>592</sup> Sed sicut est proprium opus in personis, et proprie Spiritus Sanctus postulantes fideles facit, et nulla oratio potest exaudiri nisi per Spiritum Sanctum effundatur, et nulla consecratio non potest fieri nisi per Spiritum Sanctum, et omnes quos exaudit Pater exaudit simul et Filius, exaudit simul et Spiritus Sanctus, apostoli frequentius vel ad personam Patris vel ad personam Filii suam dirigebant orationem. Quam tamen vel voce vel sensu concludebant in unitate trium personarum.

2. Ad personam Patris est illa oratio quam dixit Marcialis pro filio Nervæ principis, quando eum resuscitavit. Sic enim est : « Deprecor, Domine, sit tibi per unicum filium tuum, cujus jussu ad istam longinquam regionem deveni, ut resuscites hunc adolescentem. »<sup>593</sup>

---

<sup>592</sup> Ioh. 3, 8.

<sup>593</sup> *Vita Martialis. II VIII* : tuum et per Petrum.

3. Ad personam Filii illa oratio pro spiculatore Stephani, qui Valeriam sponsam regis decollaverat, est hujusmodi : « Domine Deus omnipotens, qui ante mundi constitutionem fuisti cum Deo Patre et Spiritu Sancto, et venisti in mundum, ut qui erant in tenebris venirent ad lumen veritatis, deprecor gloriam tuam ut resuscites hunc hominem. »<sup>594</sup> Item ad personam Filii est illa oratio pro duobus idolorum pontificibus mortuis : « Domine, qui dixisti nobis discipulis tuis : “*Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : ‘Transi hinc !’ et transibit*”,<sup>595</sup> fides mea talis est, ut jubeas istos resuscitari. »<sup>596</sup> Doctrina ejus talis fuit, qua unum Deum docuit existere in tribus personis. Et imminente hora mortis, proposuit sermonem populis Aquitaniæ foris civitatem ad Portam Calcineam, ibique replicabat fidem veram non deserere, quam eos semper docuerat, ut verum Deum crederent trinum in personis, et unum in essentia divinitatis.<sup>597</sup> Illa quoque oratio quam in exitu suo fudit proprie ad personam filii Dei est. Et hujusmodi est : « Tu, Domine, qui dixisti mihi ut tibi serviens uxorem non acciperem, sed totus tibi vacarem, scis quia indigens in periculis hactenus sum conversatus ubi me venire jussisti. Dirige iter meum ad te, et circumda me gloria tua ! *In manus tuas commendo spiritum meum.*<sup>598</sup> »<sup>599</sup> Nam et ad personam propriam Filii, paulo ante, populum Aquitanicum

<sup>594</sup> *Vita Martial. II XIII* : v., deprecamur magnam clementiam tuam.

<sup>595</sup> Matth. 17, 19 : hinc illuc.

<sup>596</sup> *Vita Martial. II XI*.

<sup>597</sup> *Vita Martial. II XXV* : appropinquante die obitus sui, p.

<sup>598</sup> Luc. 23, 46.

<sup>599</sup> *Vita Martial. II XXVI*.

commendavit dicens : « Commendo tibi populum tuum, quem glorioso redemisti, Domine, sanguine. »<sup>600</sup>

4. Propterea proprie persona filii Dei, quæ jam quinto decimo<sup>oooooooooooo</sup> die apostolum suum invitaverat, in hora ultima luce ineffabili ad eum venit, cui et dixit : « Egredere, benedicta anima ; quia voci meæ oboediens secutus me fuisti et patriam dereliquisti, eris mecum in æternum ! »<sup>601</sup> Sicut Filius est in Patre et Spiritu Sancto, ita tota sancta Trinitas venit, quando proprie filius Dei ad eum remunerandum venit. Quis estimare potest quanta auctoritas, quanta dignitas est in illo apostolo, cui filius Dei non angelorum solam militiam ad eum misit, quæ animam justi ante conspectum Dei deduceret, sed semetipsum ipse *rex regum et dominus dominantium*<sup>602</sup> misit, tamquam ad karissimum non jam servum, sed amicum suum,<sup>603</sup> et ipse Dei filius in gloria divinitatis suæ presentavit et deduxit in conspectum gloriæ paternæ eum qui sibi attraxerat tanta, sicut est Aquitanicum regnum, qui suum adventum et suum sanctum Evangelium primus in provinciis Galliarum adnuntiaverat ?

---

<sup>600</sup> *Vita Martial. II XXV.*

<sup>601</sup> *Vita Martial. II XXVI* : in longitudine dierum.

<sup>602</sup> I Tim. 6, 15 ; Apoc. 19, 16.

<sup>603</sup> *cf.* Ioh. 15, 15.



**[LXXIX**

1. Sicut innumeras orationes ad personam Patris et ad personam Filii habetis, si forte aliquas ad personam Spiritus Sancti inveneritis, si tamen docte fuerint compositæ, ita eas bene potestis dicere, sicut illas quæ sunt ad Patrem vel ad personam Filii. Ad personam Spiritus Sancti invenimus illam quam episcopi dicunt in concilio suo, antequam de terra ab oratione surgant. Et est hujusmodi<sup>hhhhhhhhhh</sup> : « Adsumus, Domine Sancte Spiritus, in nomine tuo specialiter congregati ; quesumus<sup>iiiiiiiiiii</sup>, veni ad nos et esto nobiscum, doce nos quid agamus, ut te auxiliante, tibi in omnibus placere valeamus, qui solus cum Deo Patre et ejus filio nomen possides gloriosum per infinita secula seculorum ! »
2. Item ista est ad personam Spiritus Sancti : « Esto, Domine Sancte Spiritus, salus et suggestor cogitationum nostrarum, qui apostolos tuos omnem docuisti veritatem ; non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem ; junge nos tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum et in nullo deviemur a vero, qui solus cum Deo Patre et ejus filio vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum ! »
3. Ista etiam simili modo : « Quesumus, Domine Sancte Spiritus, dignare illabi cordibus nostris, ne in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio mu-[fol. 88v]-nerum corrumpat, qualiter in nomine tuo collecti sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut et hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur premia sempiterna, te prestante, qui solus cum Deo Patre et ejus filio vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum ! »
4. Hanc etiam orationem in concilio dicunt episcopi : « Tibi, Domine Sancte Spiritus, curvamus nostrorum genua cordium ; te quesumus ut bonum quod nobis a te requiritur, te adjuvante, exsequamur, prompta sollicitudine per viam mandatorum tuorum gradiamur, discretionis arduæ suptile juditium teneamus, ut misericordiam

diligentes tibi placita actione proficiamus, te auxiliante, qui solus cum Deo Patre et ejus filio nomen possides gloriosum per infinita secula seculorum. »

5. Ista etiam est simili modo : « Te, Domine Sancte Spiritus, interni clamoris vocibus obsecramur, ad te proclamamus, te unanimiter postulamus ut respectu gratiæ tuæ solidati precones virtutum efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui, te auxiliante, qui solus cum Deo Patre et ejus filio vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum. »

6. Ejusmodi est et illa : « Te, Domine Sancte Spiritus, in nostris principiis occursores poscimus, te in fine hujus concilii adesse precamur ; inlumina ignorantiam nostram, pelle errorem, perfectam veritatem et pacem largire ; nulla nos ignorantia trahat in errorem, nulla preceps voluntas impellat justitiam declinare ; et qui es procedens paraclitus a Patre et Filio, te poscimus, te rogamus ne aliquid offensionis in hac concilii celebritate attrahamus, sed omnia in tua voluntate peragamus, te inspirante et cooperante, qui solus cum ipso Deo Patre et ipso ejus filio vivis et regnas Deus per infinita secula seculorum. »

7. Et in solutione concilii est nihilominus oratio ad personam Spiritus Sancti : « Te quesumus<sup>iiiiiiiiiii</sup>, Domine Sancte Spiritus, ut quicquid<sup>kkkkkkkkkkkk</sup> offensionis in hac concilii celebritate<sup>iiiiiiiiiii</sup> attraximus condonare nobis ac remissibile facere digneris clementia tua ; tu enim scis, Domine, quia nulla est humane<sup>mmmmmmmmmmmm</sup> conscientiæ virtus, quæ inoffense possit tuæ voluntatis iudicia expedire ; et ideo quia imperfectum nostrum viderunt oculi tui, perfectioni deputa quæ perfecto æquitatis fine concludere preoptamus ; et sicut te in nostris principiis occursores rogavimus, ita in hoc fine iudiciorum nostrorum excessibus adesse te precamur, et cum conscientia remordente tabescimus ne forte aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps voluntas impulerit justitiam declinare ; ideo te poscimus : parce ignorantiae, errori indulge,

perfectis votis perfectam operis efficaciam largire, et in eo quod solvimus aggregatum in nomine tuo concilium, a cunctis nos primum absolve nostrorum nexibus delictorum, ut et transgressoribus venia, et confitentibus tibi subsequatur a te remuneratio sempiterna, te opitulante, qui solus cum Deo Patre omnipotente et ejus filio vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum ! »

8. Tales orationes, quæ proprie dicuntur ad personam Spiritus Sancti, ipsam virtutem habent tamquam ad Filii personam vel ad Patris personam dictæ sint, quia secundum deitatem non possumus orare ad unam personam sine aliis duabus personis, et omnia quæ qualiscumque ex tribus personis prestat, tota sancta Trinitas inseparabiliter omnia prestat.

## [LXXX

1. Sed regrediemur ad versiculum Psalmi : *Ita dominus Pater, dominus Filius, dominus Spiritus Sanctus*. Hoc est : « Una dominatio est in Patre, et ipsa equalis dominatio est in Filio, et eadem ipsa dominatio in Spiritu Sancto. » Et non sunt tamen tres dominationes, sed una dominatio. Ideo dicitur : *Et tamen non tres domini, sed unus est Dominus*. Tota enim sancta Trinitas est nobis unus Dominus. Et sicut ait apostolus : « *Si sunt dii multi et domini multi, nobis tamen est unus Deus et unus dominus* PATER ET FILIUS ET SPIRITUS SANCTUS. »<sup>604</sup>

2. Vos enim sacerdotes propter gradum sacerdotii sancta Scriptura appellat deos, sicut Moises de sacerdotibus Judeorum dixit : « *Dii non detrahas !* », <sup>605</sup> id est sacerdotibus, quia ipsi honorem sacerdotii ut rogent Dominum pro populo habent, et os eorum frequenter loquitur cum Deo. Et item : « *Applica illum ad deos !* », <sup>606</sup> id est : « Ostende eum sacerdotibus ! » Et Dominus ait in Evangelio : « *Nonne scriptum est in lege*<sup>nnnnnnnnnnnn</sup> *vestra, ego dixi : “Dii estis” ? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, id est ad sacerdotes, et non potest mentiri Scriptura, vos dicitis blasphemias, quia dico : “Filius Dei sum” ?* »<sup>607</sup> Et David ait : *Deus stetit in sinagoga deorum*, id est sacerdotum, *in medio autem Deus dijudicat*.<sup>608</sup> Summus enim Deus est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, sacerdotes autem mortales homines non propter aliud vocantur dii, nisi propter sanctificationem summi Dei, qua consecrati sunt in honorem sacerdotii, et quia eis potestas ligandi et solvendi per sanctificationem concessa est, ut inferiores ordines ligare et absolvere possint secundum justum iudicium. Ita sicut

---

<sup>604</sup> I Cor. 8, 5-6 : dii (...) et.

<sup>605</sup> Ex. 22, 28 : non detrahes.

<sup>606</sup> Ex. 22, 8 : Applicabitur ad.

<sup>607</sup> Ioh. 10, 34-36 : potest solvi S. ; quia dixi F.

<sup>608</sup> Ps. 81, 1.

omnes sacerdotes episcopi vocantur,<sup>609</sup> ita et majori nomine quod est 'deus' dii vocantur omnes sacerdotii gradu consecrati.

3. Considerate quanta dignitas est in vobis a Deo collata, quanta auctoritas est in vobis, qui sicut Deus immortalis, qui cuncta creavit, Deus vocatur, ita et vos, qui hodie estis et cras moriemini, dii estis appellati propter gradum sacerdotii ! Sed tamen sancta Trinitas vocatur Deus naturaliter, vos autem non naturaliter sed per gratiam Spiritus Sancti, cujus virtute per orationem episcoporum qui vos ordinaverunt estis consecrati, estis appellati dii.

4. Considerate quantum superiores estis laicis, quos ligatis et absolvitis, qui tantam auctoritatem nominis habetis, ut dii vocemini in Scriptura sancta ! Considerate quantum debetis esse sancti super laicos, quantum debetis virtutibus Deo esse proximi, ne, si propter aliquid grave delictum fueritis rei ordinis vestri, graviori lapsu de tanta dignitate cadatis ! Mementote quia Judas de apostolatu, et angelus clarissimus de principatu suo ceciderunt ! Considerent laici quantum periculum sibi generant, quando sanctos sacerdotes in sua culpa contristant !

5. Sicut autem multi sunt domini, quia servos habent, sed non sunt omnipotentes domini, quia non omnia possunt quæ volunt, ita sancta Trinitas naturaliter est unus dominus omnium, quia omnia serviunt ei, et omnipotens Dominus est, quia omnia quæ vult potest, sicut psalmista ait : « *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.* »<sup>610</sup> Et item : « *Omnia quaecumque voluit Dominus, fecit in cælo et in terra.* »<sup>611</sup> Et diabolus his qui peccato serviunt dominus est, sicut ait Dominus

---

<sup>609</sup> cf. ISID., *Orig.* VII 12, 21 : ideo autem et presbyteri 'sacerdotes' vocantur, quia sacrum dant, sicut episcopi.

cf. BEDA, *In Luc.* III 10 : tametsi primis ecclesie temporibus, ut apostolica scriptura testis est, utrique presbyteri utrique vocabantur episcopi, quorum unum sapientie maturitatem, aliud industriam cure pastoralis significat.

<sup>610</sup> Ps. 118, 91.

<sup>611</sup> Ps. 134, 6 : Omnia quæ v.

summus : « *Nemo potest duobus dominis servire.* »<sup>612</sup> Hoc est : « Nullus simul Deo potest servire et diabolo », *quia omnis qui facit peccatum servus est peccati.*<sup>613</sup> Non est tamen diabolus omnipotens de omni malo quod vult : nihil enim plus aliquid agere potest, quam quantum ei Dominus verus permittit. Ipsas bestias non potest nocere, nisi Dominus ei permiserit, sicut legimus in Evangelio quia legio dæmonum non est ausa intrare in porcos, nisi Dominus ei licentiam daret.<sup>614</sup>

6. Sola sancta Trinitas ita est unus dominus, ut nihil possit fieri sine ejus dominatione. Ipse est *dominus dominator*,<sup>615</sup> et sicut ait psalmista : *Regnum ipsius omnibus dominabitur.*<sup>616</sup> Vos, sancti sacerdotes, quanto plus ei servieritis, tanto plus erit *ipse dominus vester*, qui est vere *dominus dominantium.*<sup>617</sup> Et potentiores regibus estis, si vere servi Domini fueritis. *Jugum ejus suave est* ;<sup>618</sup> servitus ejus, vera libertas est.<sup>619</sup> *Serviamus Domino in lætitia,*<sup>620</sup> et cum apostolis ejus de servis amici erimus, sicut ipse dixit : « *Jam non dico vos servos, sed amicos meos.* »<sup>621</sup>

7. Ille apostolus vere de servo amicus Dei erat, de quo etiam ipsi demones compulsi terrore ante adventum ejus dicebant pontifici suo : « Ideo eum timemus, quos deos nos esse creditis, quia ille Hebreus amicus est Dei [fol. 89] omnipotentis, et semper cum illo pergunt angeli duodecim<sup>oooooooooooo</sup> ad suam custodiam ei a Domino deputati. »<sup>622</sup> Et Dominus ad ipsum apostolum veniens ait : « Pax tibi sit,

<sup>612</sup> Matth. 6, 24.

<sup>613</sup> Ioh. 8, 34.

<sup>614</sup> cf. Matth. 8, 30-32 ; Marc. 5, 11-13 ; Luc. 8, 32-33.

<sup>615</sup> Is. 10, 33.

<sup>616</sup> Ps. 102, 19.

<sup>617</sup> Deut. 10, 17 : e. deus deorum et d.

cf. etiam I Tim. 6, 15 ; Apoc. 19, 16.

<sup>618</sup> Matth. 11, 30 : jugum enim meum s.

<sup>619</sup> cf. ALCUIN., *Ench.* 101, 23 (col. 591<sup>B</sup>) : servitus domini vera libertas est hominis.

<sup>620</sup> Ps. 99, 2 : servite d. ; sic VL.

<sup>621</sup> Ioh. 15, 15 : non dicam v.

<sup>622</sup> *Vita Martialis. II XVII.*

fidelissime frater !»<sup>623</sup> Et item: «Quinto decimo die, karissime frater, veniam ad te.»<sup>624</sup>

---

<sup>623</sup> *Vita Martial. II XXIV.*

<sup>624</sup> *Vita Martial. II XXIV.*

## ¶LXXXI

1. Dominatio filii Dei manifesta fuit in ipsa humanitate. Dominum cælorum esse apparuit, quando angeli cælorum in ejus servitio decantabant eo nato de Virgine : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis !*<sup>625</sup> Et angelus ad pastores ait : *Adnuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie salvator mundi, qui est Christus dominus.*<sup>626</sup> In ejus famulatu, cæli stellam miserunt ;<sup>627</sup> in ejus passione, sol tamquam servus pro domino suo condoluit obtenebratus.<sup>628</sup>
2. Dominatio ejus in mare et terra apparuit, quando imperavit ventis et mari ut cessarent,<sup>629</sup> quando mare plantis ejus se calcabile prebuit,<sup>630</sup> quando, eo moriente, *terra mota est.*<sup>631</sup>
3. In inferno dominatio ejus apparuit, quando quos tenebat mortuos reddidit inferus : eo enim moriente, *multa corpora sanctorum surrexerunt.*<sup>632</sup> Ibi etiam satis dominatio ejus apparuit in inferno, quando solo jussu tamquam verus Deus imperabat mortuis ut resurgerent, et statim resurgebant. Nihil enim aliud Lazaro dixit, nisi tantum sicut Deus imperavit dicens : « *Lazare, veni foras !* »<sup>633</sup> Item alio dixit imperans : « *Adolescens, tibi dico : “Surge !”* »<sup>634</sup> Et tercio dixit : « *Puella, tibi dico : “Surge !”* »<sup>635</sup>
4. Apostoli etiam resuscitare mortuos non poterant, nisi in potestate et dominatione filii Dei. Sicut in Historia beati Marcialis legimus quia idem apostolus,

<sup>625</sup> Luc. 2, 14 : in altissimis D. ; sic VL.

<sup>626</sup> Luc. 2, 10-11 : Evangelizo vobis.

<sup>627</sup> cf. Matth. 2, 2.

<sup>628</sup> cf. Luc. 23, 45.

<sup>629</sup> cf. Matth. 8, 26 ; Marc. 4, 39 ; Luc. 8, 24.

<sup>630</sup> cf. Matth. 14, 25 ; Marc. 6, 48 ; Ioh. 6, 19.

cf. etiam GREG. M., *In evang. (PL, 76, col. 1111<sup>A</sup>)*.

<sup>631</sup> Matth. 27, 51.

<sup>632</sup> Matth. 27, 52.

<sup>633</sup> Ioh. 11, 43.

<sup>634</sup> Luc. 7, 14.

<sup>635</sup> Marc. 5, 41.



dum resuscitaret mortuos, proprie personam filii Dei, quem<sup>pppppppppppp</sup> solo jussu viderat Lazarum resuscitasse, invocabat dicens : « In nomine domini nostri Jesu Christi, quem Judei crucifixerunt et tertia die resurrexit a mortuis, resurge, homo ! », <sup>636</sup> et sicut ad hanc invocationem propriam filii Dei, qui Deus et homo est, mortui de morte ad vitam veniebant, ita propria dominatio filii Dei in inferno potens apparebat. Et aperte manifestum est dilectis quia apostolica fides, hoc est quam apostoli gentibus predicaverunt, illa sola vera est, illa catholica et orthodoxa est, quæ personam Filii æqualem Deo Patri predicat.

5. Ad filium Nervæ principis, solam Filii personam invocavit apostolus dicens : « In nomine domini nostri Jesu Christi, quem Judei crucifixerunt et tertia die resurrexit a mortuis, surge et sta super pedes tuos ! » <sup>637</sup> Ad flamines idolorum duos, eodem modo dixit : « In nomine domini nostri Jesu Christi, quem Judei crucifixerunt et tertia die resurrexit a mortuis, surgite et dicite huic populo quid illi expediat agere ! » <sup>638</sup> Item ad amicum Stephani regis, dixit : « Resuscitet te Dominus omnipotens, quem Judei crucifixerunt et tertia die resurrexit a mortuis ; in ipsius nomine sta super pedes tuos ! » <sup>639</sup> Item ad filium Archadii consulis Pictavensis, dixit : « Hildeberte <sup>640</sup>, in nomine domini nostri Jesu Christi, surge ! » <sup>641</sup> Et sicut hos quinque, sic et sextum, qui primus resuscitatus est Austriclinianus <sup>642</sup>, per invocationem personæ filii Dei resuscitavit. <sup>643</sup> De illo enim solo tacet Historia quam invocationem fecerit apostolus,

<sup>636</sup> *Vita Martial. II VIII* : m., surge ; *ib.* XI : m., surgite.

<sup>637</sup> *Vita Martial. II VIII*.

<sup>638</sup> *Vita Martial. II XI*.

<sup>639</sup> *Vita Martial. II XIII*.

<sup>640</sup> Hildebert, fils du comte de Poitiers, † à *Garricus*, près de *Jogenciacum*, sur la Vienne.

<sup>641</sup> *Vita Martial. II XV*.

<sup>642</sup> Austriclinien, compagnon de Martial, † à Else.

<sup>643</sup> *cf. Vita Martial. II VI*.

cum imponeret ei bacterium beati Petri apostoli, sive quia illa virtus æqualiter beato Petro, qui exortatus est, fuit sicut et beato Marciali, qui consiliis ejus optemperavit (amborum enim meritis et orationibus resurrexit), sive quia in subsequentibus de aliis resuscitatis sufficienter dicendum erat. Male enim putant qui sola fide Petri resuscitatum illum discipulum putant, et non æque fide Marcialis, qui condiscipulus Petri erat, quasi Petrus fidelis, et Marcialis esset infidelis, quod credere impium est. Si enim in Marciale aliqua infidelitas vel impossibilitas esset, nullatenus ad tactum bacterii mortuus suscitaretur, vel si sola oratione Petri suscitaretur, certe aut Petrus ad eum veniret, sicut venerat ad Tabitam puellam,<sup>644</sup> aut ante adventum ejus qui apostolus apostoli virgam gestaverat, suscitaretur.

6. Ceteri quoque apostoli proprie personam Filii invocabant, dum mortuos resuscitarent, ut dominatio ejus æqualis Deo Patri ostenderetur his quos ad fidem convertebant. Petrus ad propinquum Cæsaris dixit : *In nomine domini nostri Jesu Christi, surge, adolescens !*<sup>645</sup> Matheus ad filium regis dixit : « In nomine domini nostri Jesu Christi, surge, Eufronon ! » Et Johannes ait Drusianæ : « Dominus Jesus Christus excitet te, Drusiana ! » Et multa alia de hac re sunt testimonia, quæ ideo memoramus, quia apostoli docuerunt catholicam fidem et quia filius Dei æqualis est Deo Patri, et ejus dominatio in cælestibus et terrestribus et infernis est.<sup>646</sup>

7. Et de sex mortuis quos Marcialis resuscitavit ideo commemoravimus, ut sciatis quia, sicut Dominus per semetipsum solo suo jussu sex mortuos suscitavit, ita discipulus ejus imitator magistri meruit esse, totidem et ipse in nomine magistri resuscitando. Et sicut senarius in Scriptura sacra super alios numeros perfectus numerus dictus est,<sup>647</sup> et universitatem ac perfectionem demonstrat, quia in sex diebus

<sup>644</sup> cf. Act. 9, 39.

<sup>645</sup> Act. 3, 6 : Christi Nazareni, s.

<sup>646</sup> cf. Phil. 2, 10 : omne genu flectat cælestium et terrestrium et infernorum.

<sup>647</sup> cf. BOETH., *Arithm.* I, 19 (PL, 63, col. 1097<sup>A</sup>-1098<sup>A</sup>) : Sunt autem perfecti numeri, intra denarium numerum sex...

omnem mundum et mundi ornatum perfecit Deus, ita dominus universorum, idem cælestium, terrestrium et infernorum rex,<sup>648</sup> perfectam dominationem suam apud inferos per sex resuscitados mortuos ostendit his qui subtilius intelligere curant. Perfectamque virtutis suæ potentiam in discipulum suum per<sup>qqqqqqqqqq</sup> ipsum perfectum demonstravit numerum fuisse, dum totidem per ipsum orantem mortuos suscitavit, ne quis forte virum tantæ virtutis calumniari presumeret dicens : « Si Marcialis vere apostolus Dei fuisset, vere plures mortuos resuscitasset, vere predicationem suam apud extraneos barbaros per majora miracula, quæ sunt resurrectio mortuorum, commendaret. Sed cum non sit unus de duodecim<sup>mmmmmmmm</sup> discipulis, quomodo erit apostolus, quia quæ alii apostoli fecerunt miracula de resurrectione mortuorum, ipse aut in nullo aut in tribus vel duobus vel uno implevit ? » Quæ calumnia a tantæ auctoritatis viro penitus est abstersa, dum perfectum numerum in resurrectione defunctorum a Christo meruit accipere. Si enim ille perfectus discipulus Domini non esset, si non esset missus in Aquitaniam a Domino et beato Petro tamquam vere perfectus apostolus, sed simpliciter tamquam solummodo episcopus et tamquam vir apostolicus, hoc est non apostolus sed vice apostoli, esset missus, non posset solus vincere tantam paganitatem, quæ est totum Aquitanicum regnum. Quam provinciam nec ipse nec aliquis unus de duodecim<sup>ssssssssss</sup> apostolis, si ad eam venisset, convertere potuisset, nisi per sublimes virtutes presentium miraculorum, et maxime per multorum resurrectionem mortuorum.

8. Nec miremini quia diximus ipsum Dominum sex mortuos resuscitasse, et Evangelia non dicunt nisi de tribus solummodo ! Sed scitote in Evangeliiis non omnia esse scripta quæ in terra Dominus egit miracula, et quia illi tres mortui ideo rememorantur, quia in illis alia spiritualis intelligentia est, præter carnalem historiam ! De aliis tribus invenimus in ea scriptura, de qua nulla nobis dubitatio est, hoc est in

<sup>648</sup> cf. *supra* n. Erreur : source de la référence non trouvée p. 216.

Historia Johannis Evangelistæ, ipso Johanne sic dicente his qui dubitabant esse vitam futuram : « Dominus, inquit, et magister noster Jesus Christus sermones suos virtutum firmabat exemplis. » Nam cum dicerent ei Judeorum turbæ : « Quis de illo seculo venit, ut credamus ei ? », ille ait : « Deferte huc mortuos quos habetis ! » Cumque apportata fuissent coram illo tria corpora mortuorum, veluti dormientia excitata ab eo, dabant fidem cunctis sermonibus ejus.<sup>649</sup>

9. Hic quoque potestis intelligere trinitatem et unitatem quæ est in uno Deo. Quemadmodum tres mortui, de quibus Evangelium loquitur, non simul, non uno die, sed separatim et per tria tempora resuscitati sunt, sic in eo quem credimus Deo, non una persona sed tres personæ divisæ sunt, quia alius est Pater in persona, alius est Filius in persona, alius est Spiritus Sanctus in persona. [fol. 89v] Et quemadmodum tres illi, de quibus Johannes in Historia gestorum suorum dicit, simul in hora una resuscitati sunt, ita tres personæ sunt<sup>tttttttttttt</sup> unitas una.

10. Ipsam similitudinem trinitatis et unitatis in his quos apostolus suscitavit videmus. Tres divisim in locis suscitati, hoc est Austriclinianus et filius Nervæ atque filius Archadii, quasi trinitatem demonstrant. Alii tres in uno loco, hoc est in civitate Lemovica, suscitati, quasi unitatem demonstrant : duo enim flamines idolorum et carnifex Stephani, qui virginem decollavit, in una civitate suscitati sunt. Et unus locus unitatem in trinitate ostendit, sicut tres loci tres personas divisas exprimunt : si enim in tempore est differentia – quia duo in uno die et una hora simul suscitati sunt, tertius autem postea –, non tamen in loco uno est diversitas per unitatem.

11. Nimirum sicut antiquitus tunc exemplum resurrectionis mortuorum primitus ab illa urbe per totam Galliam exiit, ita nunc et usque in consummationem seculi decenter exemplum pacis et justitiæ Dei prodire ab ea<sup>uuuuuuuuuuuu</sup> debet. Et sicut primi mortui qui in tota Gallia surrexerunt<sup>vvvvvvvvvvvv</sup> in diocesi Lemovicę urbis surrexerunt vel in ipsa

<sup>649</sup> cf. PS. ABDIAS, *Ioh.*

urbe, ita ecclesia Lemovicensis sedis prudenter agere debet ut de se ceteris urbibus Galliarum exemplum et formam virtutis subministret, precipueque de inconcusso fundamento verę catholicę et apostolicę fidei, de multitudine pacis, de rectitudine justitię, de ordinibus sacris, de officiorum institutis, de perfectione humilitatis, de obsequiis pietatis, de regulis ecclesiasticis. Et quemadmodum ecclesia Lemovicensis prima in tota Gallia ab ecclesia Romana accepit initium verę fidei, ita, quasi a secundo Petro fundata, per firmam constantiam verę fidei semper fructificare debet. Et sicut ad illam specialiter inter omnes ecclesias Galliarum *de Sion exivit lex et verbum Domini de Hierosolim*<sup>650</sup> – Martialis enim ejus fundator legem et verbum Domini in Sion et in Hierosolim ab ipso Domino accipere cum aliis apostolis meruit, et a Sion et Hierosolim cum Petro Antiochiam, inde Romam, inde cum duobus discipulis Lemovicam venit –,<sup>651</sup> ita in illa et per illam ecclesiasticas regulas et observationem verę Christianitatis florere incessanter oportet, et ab ea expugnari omnes hęreses et ad nichilum redigi.

---

<sup>650</sup> Is. 2, 3 : S. exhibit 1.

*cf. etiam* Mich. 4, 2.

<sup>651</sup> *cf. Vita Martial. II* II-VI.

## [LXXXII]

1. Jam regrediamur ad expositionem susceptam. Dicit enim hic Psalmus de divisione personarum quia, sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confitemur, ita tres deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur. Singillatim, hoc est distincte, divise, credimus quia una persona Patris est Deus et Dominus, et persona Filii est Deus et Dominus, et persona Spiritus Sancti est Deus et Dominus ; non tamen sunt tres dii nec tres domini, sed totæ tres personæ sunt unus Deus et unus Dominus. Et hæc est vera religio catholica, quia, si viderimus aliquem qui propter tres personas dicat esse tres deos aut tres dominos, illum separemus a nobis quasi hæreticum, qui multos deos credit, quasi diabolum, qui primus pluraliter ‘deos’ dixit ad Adam et Evam : « *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* »<sup>652 653</sup>

2. Videte quia prohibet catholica fides ut nullus credat neque dicat esse tres deos nec tres dominos Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, sed unum Deum et Dominum in tribus personis ! Si quis vos interrogat : « Quid est Pater ? », dicite ei : « Deus est et Dominus est ! » Similiter si vos aliquis interrogaverit : « Quid est filius Dei ? », respondete ei : « Deus est et Dominus est ! » Et si de Spiritu Sancto vos aliquis interrogaverit : « Quid est Spiritus Sanctus ? », vos illi respondete ita : « Deus est et Dominus est ! » Et si vobis dixerit : « Sunt ergo tres dii et tres domini ? », vos dicite ei : « In his tribus personis, quæ sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus, non sunt tres dii nec tres domini, sed unus Deus et unus Dominus », quia una deitas et una dominatio est in hac sancta Trinitate !<sup>654</sup>

---

<sup>652</sup> Gen. 3, 5.

<sup>653</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 588<sup>B</sup>) : Dominum confiteri christiana veritate compellimur, id est.

<sup>654</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 588<sup>B</sup>) : Si me interrogaveris ; ego respondebo ; si me interrogaveris ; ego dicam ; si dicas ; ego dicam.

### ¶LXXXIII

1. Sequitur : *Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus a Patre et Filio est, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Non est alia differentia in tribus personis praeter istam.
2. Talis divisio est et differentia inter personam Patris et personam Filii, quia, sicut Deus Pater numquam fuit factus sicut factus est Adam de terra, numquam fuit creatus sicut creatus est mundus de nichilo, numquam fuit genitus sicut unus pater generat filium, ita filius Dei non fuit factus a Patre sicut Adam, non fuit creatus a Patre sicut mundus, sed genitus fuit a Patre ineffabiliter sine matre aeternaliter, sicut scriptum est : *Ex utero ante Luciferum genui te.*<sup>655</sup>
3. Persona vero Spiritus Sancti talem distantiam habet a persona Patris et persona Filii, quia Spiritus Sanctus est de Patre et Filio, sed numquam fuit factus a Patre et Filio sicut factus est Adam de limo terrae, numquam fuit creatus a Patre et Filio sicut creatus est mundus de nichilo, numquam fuit genitus a Patre et Filio sicut pater genuit filium, sed procedens fuit a Patre et Filio ineffabiliter, sicut procedit calor de splendore solis et de ipso sole.<sup>656</sup>
4. Et sicut nullus potest generationem filii Dei enarrare, quomodo genitus est a Deo Patre, ita nec homo neque angelus potest cogitare neque comprehendere quomodo processit Spiritus Sanctus a Patre et Filio. Et si quis vos interrogaverit : « Quae distantia est inter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum ? », dicite : « Pater est qui genuit Filium ; Filius est qui genitus est a Deo Patre ; Spiritus Sanctus est qui processit a Patre et Filio ! »

---

<sup>655</sup> Ps. 109, 3.

<sup>656</sup> cf. *supra Sermo de chrism.* I 5 ; *Sermo de euch.* VI 5 ; cf. *infra Sermo de fide* XXXII 2.

## [LXXXIV

1. Sequitur : *Unus ergo Pater, non tres patres ; unus Filius, non tres filii ; unus Spiritus Sanctus, non tres spiritus sancti.* Hoc dicit quia Deus Pater numquam Filius fuit, numquam Spiritus Sanctus fuit, sed semper proprie Pater est una persona. Et Filius nullo tempore fuit Pater, numquam fuit Spiritus Sanctus, sed semper est proprie Filius una persona. Et Spiritus Sanctus, numquam est Pater, numquam est Filius, sed semper est Spiritus Sanctus una propria persona.<sup>657</sup>

2. Hæc est proprietas personarum, *quia Deus Pater semper Pater est, et filius Dei semper Filius est, et Spiritus Sanctus semper Spiritus Sanctus est.*<sup>658</sup> Et hoc dicit propter hæreticos Sabellianos, qui dicunt Patrem ipsum esse aliquando Filium, aliquando esse Spiritum Sanctum, ut sint ipsæ tres personæ tres patres. Et dicunt ipsi hæretici quia filius Dei aliquando Pater est, aliquando Spiritus Sanctus est, ut sint ipsæ tres personæ tres filii. Et dicunt ipsi hæretici quia Spiritus Sanctus aliquando Pater est, aliquando Filius est. Sed apostolica fides est quia ‘unus Pater est, non tres patres’, quia ‘Pater semper Pater est’ ; et quia ‘unus Filius est, non tres filii’, quia ‘filius Dei semper filius Dei est’ ; et quia ‘Spiritus Sanctus unus est, non tres spiritus sancti’, quia ‘Spiritus Sanctus semper Spiritus Sanctus est’.

---

<sup>657</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 588<sup>C</sup>) : Pater non aliquando F. ; Filius non aliquando P. ; Sanctus, non aliquando P.

<sup>658</sup> *Manque dans* PS. VEN. FORT., *Expos. fidei*.



## [LXXXV]

1. *Et in hac Trinitate nichil prius aut posterius, nichil majus aut minus. Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales.* Hoc dicit quia in sancta Trinitate nulla persona est prior aliis duabus, et nulla posterior aliis duabus. Et sicut Filius numquam fuit sine Patre et Spiritu Sancto, et Pater numquam sine Filio et Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus numquam sine Patre et Filio, sic Pater numquam fuit prior tempore ante Filium, neque ante Spiritum Sanctum, et Filius et Spiritus Sanctus numquam fuerunt tempore posteriores post Patrem, sed tota sancta Trinitas et inseparabilis unitas est sibi coæterna, est sine initio et sine fine.<sup>659</sup>

2. Et in hac sancta Trinitate nihil est majus [fol. 90] aut minus, quia Deus Pater non est major Filio secundum divinitatem, nec filius Dei minor est Patre secundum divinitatem, quia filius Dei æqualis est Deo Patri in divinitate. Secundum humanitatem vero, Filius minor est Patre et Pater major est Filio, sicut ipse in Evangelio ait : *Pater major me est.*<sup>660</sup> Quod vero secundum divinitatem Pater non est major Filio, nec Filius minor Patre, ait ipse Filius in Evangelio : *Ego et Pater, unum sumus.*<sup>661</sup> Et item : *Qui me videt, videt et Patrem.*<sup>662</sup> Et sicut Pater non est major Filio, sic non est major Spiritu Sancto. Et sicut Filius non est minor Patre, ita Spiritus Sanctus non est minor Patre, sed æqualis est per omnia Patri et Filio. Nichil ergo est majus aut minus in sancta Trinitate, sed totum est æquale, quia nulla persona major aut minor est quam alia ; sed æqualitas una est in tribus personis, quia sancta Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, æqualis et una est deitas.<sup>663</sup>

---

<sup>659</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 588<sup>c</sup>).

<sup>660</sup> Ioh. 14, 28.

<sup>661</sup> Ioh. 10, 30.

<sup>662</sup> Ioh. 14, 9.

<sup>663</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 588<sup>c</sup>).

## [LXXXVI

1. *Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, et trinitas in unitate et unitas in trinitate veneranda sit.* Hoc dicit quia talis æqualitas est in tota sancta Trinitate per omnia, hoc est in potestate et gloria et voluntate et æternitate, et in omni honore quem recte possumus de Deo dicere et cogitare, ut nullus possit recte honorare nec adorare neque laudare neque obsecrare neque diligere neque credere unam aliquam personam de his tribus personis, sine tota sancta Trinitate. Similiter nullus potest venerari simul totas tres personas sine una deitate.

2. Qui recte honorat Patrem, cum eo simul honorat Filium et Spiritum Sanctum. Qui adorat Filium, adorat simul Patrem et Spiritum Sanctum. Qui glorificat Spiritum Sanctum, glorificat simul Patrem et Filium. Qui totas tres personas simul adorat, non adorat tres deos sed unum<sup>www</sup> deum, quia in tribus personis est una deitas.

3. Qui Spiritum Sanctum blasphematur, Patrem et Filium simul blasphematur. Qui filium Dei blasphematur, Patrem et Spiritum Sanctum simul blasphematur. Qui Patrem blasphematur, Filium et Spiritum Sanctum simul blasphematur.

4. Qui in filium Dei non credit, neque in Patrem neque in Spiritum Sanctum credit. Qui in Spiritum Sanctum non credit, neque in Patrem neque in Filium credit. Qui credit in solum Patrem, credere se putat in Patrem, sed nullo modo credit in Patrem, quia non credit in filium Dei et in Spiritum Sanctum ; et sine Deo est, sicut sunt Sarraceni, qui dicunt se credere in solum Patrem.

5. Fides eorum non est alia, sed in eo quod putant se credere in Patrem quasi in uno creatore, quasi solus Pater creator sit omnium, et non Filius neque Spiritus Sanctus simul cum Patre omnia creaverint, et quasi non sit unus Deus creator omnium, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, nullo modo credunt in Patrem ; sed dum dicunt se credere in solum Patrem, semper blasphemant ipsum Deum Patrem et filium ejus et Spiritum

Sanctum, et eum semper contristant et ad iracundiam provocant. Et peiores sunt et majorem damnationem habebunt quam pagani, qui colunt petras. Quia pagani, si Deum verum non colunt, non tamen eum blasphemant, quia nihil de sua divinitate presumunt. Sarraceni autem, qui idola non adorant, dum quasi terciam partem de Deo, id est terciam personam, quæ est Deus Pater, credunt, et non totum perfectum Deum, quæ est sancta Trinitas unus Deus, colunt, totum verum Deum blasphemant et ideo peiores sunt quam pagani.

6. Ipsi autem pagani, nisi propter nimia flagitia sua, quibus dæmonia adorant et servi dæmonum sunt, excæcati essent per ipsam creaturam quam adorant, creatorem Deum, hoc est sanctam Trinitatem, unum Deum intelligere possent, apostolo dicente : *Invisibilia Dei et sempiterna virtus ejus et divinitas a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*<sup>664</sup> Homo rationalis, qui intelligentiam habet, in creatura potest intelligere aliquam similitudinem, per quam potest intelligere creatorem verum Deum, quia est trinus et unus.<sup>665</sup>

---

<sup>664</sup> Rom. 1, 20.

<sup>665</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 588<sup>c</sup>).

## ¶LXXXVII

1. Videte in aqua et in sole similitudinem trinitatis et unitatis ! Sicut vena et fons et fluvius tria nomina sunt, sic Pater et Filius et Spiritus Sanctus tres personæ sunt. Et sicut vena et fons et fluvius unum sunt per naturam, quia aqua sunt, ita tres personæ unum sunt per naturam et substantiam, quia unus Deus est. Et sicut vena fontis generat fontem de sua substantia, ita Pater genuit Filium de sua substantia. Et sicut fluvius procedit de vena et fonte, ita Spiritus Sanctus processit de Patre et Filio. Et sicut fluvius est de substantia venæ et fontis, quia aqua est, ita Spiritus Sanctus est de substantia Patris et Filii. Itaque sicut vena et fons et fluvius tria vocabula sunt separata, et tria unum sunt in sua natura, ita trium personarum Patris et Filii et Spiritus Sancti substantia et deitas una est.<sup>666</sup>

2. Sol habet in se similitudinem trinitatis et unitatis. Videmus in sole formam solis rotundam, et videmus in sole splendorem et calorem. Sicut forma et splendor et calor tria vocabula sunt separata, ita Pater et Filius et Spiritus Sanctus tres personæ sunt divisæ. Et sicut illa forma cælestis et splendor et calor tria unum sunt, quia sol est, ita tres personæ unum sunt, quia Deus est. Et sicut forma solis generat splendorem, ita Pater genuit Filium. Et sicut calor procedit de forma et splendore solis, sic Spiritus Sanctus processit a Patre et Filio. Et sicut ex illa hora qua creator creavit solem, non fuit sol sine forma et splendore et calore, ita unus et verus Deus numquam fuit sine trinitate. Et sicut forma solis non fuit prior splendore et calore, ita Pater non fuit prior Filio et Spiritu Sancto. Et sicut forma solis numquam fuit sine splendore, ita Pater numquam fuit sine Filio. Et sicut forma solis numquam fuit sine calore, ita Pater numquam fuit sine Spiritu Sancto. Et sicut splendor solis et calor non fuerunt posteriores formæ solis, ita Filius et Spiritus Sanctus numquam fuerunt sine Patre. Tria itaque vocabula forma et splendor et calor, sicut sunt una res, id est sol, ita Pater et Filius et Spiritus Sanctus tres personæ

<sup>666</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 589<sup>A</sup>).

in deitate substantiæ unum sunt.<sup>667</sup> Et sicut in sole splendor et calor sunt de substantia formæ, ita Filius et Spiritus Sanctus de substantia et natura Patris sunt.<sup>668</sup>

3. Quidam de paganis forti intelligentia, nomine Plato, fuit ante adventum Domini longe, qui per similitudinem totius mundi intellexit creatorem Deum. Et per similitudinem solis, intellexit quia ille creator qui gubernabat mundum non poterat esse solus in sua deitate, sed habebat secum sapientiam æqualem, hoc est filium æqualem, cum quo omnia creaverat et gubernabat. Propterea scripsit ita de Patre et Filio in suo libro quem fecit de factura mundi, dicens<sup>xxxxxxxxxxxx</sup> in ipso principio libri : « Optimus erat ab optimo, porro invidia longe relegata est. »<sup>669</sup> Hoc dicebat : « Filius erat a Patre, æqualis ab æquale genitus, et inter Patrem et Filium nulla discordia, nulla invidia erat, sed una bonitas, una æqualitas, una voluntas inter eos erat. »

4. Et multi pagani similiter *per creaturam creatorem* intellexerunt,<sup>670</sup> sed, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt*, dicente apostolo, *sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum*;<sup>671</sup> *et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis et volucrum et quadrupedum et serpentium.*<sup>672</sup> Ideo erunt inexcusabiles in die iudicii, quia, cum ‘per creaturam cognovissent creatorem Deum’, pro creatore, qui est incorruptibilis Deus, adoraverunt imagines corruptibiles, adoraverunt creaturam : volucres, quadrupedes, serpentes, et cetera quæ suis peccatis obcæcati Deum esse putabant.

<sup>667</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 588<sup>D</sup>-589<sup>A</sup>) : Sol, candor et calor, et tria sunt vocabula, et tria unum, quod candit hoc calet, et quod calet hoc candit, t.

*cf.* PS. AUG., *Symb.* (col. 1195).

<sup>668</sup> *cf. supra Sermo de chrism.* I 5 ; *Sermo de euch.* VI 5 ; *Sermo de fide* XXVIII.

<sup>669</sup> CHALC., *Transl.* 29e (éd. J. H. Waszink, 22).

<sup>670</sup> Rom. 1, 20 : invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur ; VL : per creaturam poterant creatorem cognoscere.

<sup>671</sup> Rom. 1, 21.

<sup>672</sup> Rom. 1, 23 : corruptibilis hominis et.

## ¶LXXXVIII

1. Primi homines perfecte Deum cognoverunt, docente altero alterum, sicut acceperant a Patre suo Adam. Sed longe postea tanta peccaverunt, ut seque-[fol. 90v]-rentur cor suum, ut pro Deo adorarent creaturam. Alii post eos per creaturam intellexerunt creatorem et, faciente nequitia, pro Deo serviebant creaturæ ; et ideo in tantam ignorantiam submersi sunt, ut lapides et ceteras creaturas putarent esse deos, quousque filius Dei presentia sua inluminaret mundum et apostolos suos dirigeret ad predicandum per diversas provincias mundi.
2. Tunc enim venerunt Petrus ad Italiam, ut Romanos inluminaret, Marcialis ad Galliam, ut Lemovicenses inluminaret. Quos non solum, sed et omnem Aquitaniam ab errore ad veritatem convertit, a servitute creaturæ in servitutem creatoris, qui est Deus<sup>yyyyyyyyyyyy</sup> benedictus in secula. Amen.
3. Nam et populus Israhel, qui Deum cognoverat et in monte Sinai loquentem audierat, mox gloriam illius qui incorruptibilis Deus est in similitudinem idoli (hoc est in vitulum) mutavit, et pro creatore creaturam (vituli formam) adoravit dicens : « *Isti sunt dii tui, Israhel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* »<sup>673</sup> Et ille quem Deus regem elegerat super decem<sup>zzzzzzzzzz</sup> tribus, qui Deum cognoverat sicut omnis Judeorum gens, ita suis peccatis fuit excæcatus, ut gloriam Dei mutaret in speciem jumenti.<sup>674</sup> Vitulos aureos enim fabricavit, et ipse eos adoravit pro Deo, et gentem Judeorum, qui Dei agnitionem habebat, in ipsum facinus traxit.
4. Similiter pagani per universum mundum, cum primo ab antiquitate Deum creatorem cognovissent, nimiis peccatis involuti pro Deo coeperunt adorare dæmonia et idola mortuorum virorum et mulierum, dicente propheta : *Populus meus mutavit*

---

<sup>673</sup> Ex. 32, 8.

<sup>674</sup> cf. Rom. 1, 23 : mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium.

*gloriam suam in idola.*<sup>675</sup> Propterea tradidit eos Deus in passiones ignominiae ; et ita obscuratus est sensus eorum per universum orbem ut, quando adveniret ad eos lux mundi, hoc est apostoli Christi, qui ab eo ‘lux mundi’ vocati sunt,<sup>676</sup> totus mundus ab agnitione veritatis surdus et caecus erraret ac mutus, praeter paucos fideles in Judea. Dumque apostoli ad paganos venissent, pagani nil aliud de Deo sciebant quam sculptilia ; et ipsis cervices suae flectebant, quae nullum sensum viventis creaturae habebant. Et ita erant miseri ut, dum ipsos apostolos alterius gentis et alterius linguae in lingua suae gentilitatis predicare verum Deum creatorem omnium audirent, zelum pro creatura quam adorabant haberent, et ipsam foeditatem erroris sui in precones veritatis vindicarent.

---

<sup>675</sup> Jer. 2, 11 : in idolum.

<sup>676</sup> cf. Matth. 5, 14 : vos estis lux mundi.

## [[LXXXIX

1. Sic enim legimus de beato Marciale quia, cum in gentilitatem veniens contra simulacra muta disserere coepisset, a sacerdotibus idolorum graviter cędebat. Ille vero, qui velut agnus inter lupos missus erat a Domino,<sup>677</sup> nihil aliud quam innocentiam eis demonstrabat, et in passione sua Dominum benedicebat cum discipulis suis, quia pro nomine ejus dignus esset talia pati.<sup>678</sup> Videte, o sacerdotes veri Dei, quantum zelare debetis pro catholica fide contra omnes hæreticos, antichristos et pseudo-apostolos, si illi sacerdotes vilissimę creaturę zelum habebant pro pollutione erroris sui contra apostolos Christi !

2. Sicut autem ignoranter creaturam pro creatore adorabant, ita ad potentissimam predicationem apostolorum inluminati, mox agnoscentes veritatem, sequebantur eam. Velut illi sacerdotes, qui predicatorem veritatis obruere conati sunt, oculorum cęcitate percussi, ad imaginem mortui pro adjutorio recucurrerunt<sup>aaaaaaaaaaaaa</sup>, quem putabant esse Deum. Trahentes enim se manu ad manum, venerunt ad idolum Mercurii, qui in illo vico sacrificiis pro Deo honorabatur. Et cum secundum morem eum consulerent ut eis lumen oculorum redderet, diabolus qui in idolo latebat non est eis ausus dare responsa, quia gratia creatoris jam dæmonia apostolis subjecerat dicens : « *Ecce dedi vobis potestatem supra omnem virtutem inimici. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus subiciuntur vobis ! Gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cęlis !* »<sup>679 680</sup>

<sup>677</sup> cf. Luc. 10, 3 : ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

<sup>678</sup> *Vita Martial. II IX.*

<sup>679</sup> Luc. 10, 19-20 : potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones et super o.

<sup>680</sup> *Vita Martial. II IX* : consulerent, nullum dedit responsum.



3. Et sicut illa imago corruptibilis hominis muta est effecta cultoribus suis, quia qui in ea dæmon ludificare homines solebat religatus erat virtute apostoli ab angelis sanctis, qui eum comitabantur, ita alius dæmon, qui pro Deo colebatur, non ausus est veritatem cultoribus suis occultare, compulsus virtute Christi quæ cum beato Marciale erat. Cum enim hi qui pro vero Deo falsos deos ignoranter colebant venissent ad aliud simulacrum longe, coeperunt dicere errorem suum pro veritate, sicut Scriptura ait: « *Deus*, inquit, noster *iratus es nobis*,<sup>681</sup> in tantum ut nec dignetur nobis dare responsum; et ideo venimus ad te, ut indices nobis quid agendum sit. » Quibus invitus ludificator antiquus respondit, veritatem dicens: « Deus vester non potest vobis dare oraculum, quia captivus tenetur ab angelis, virtute illius peregrini qui vobis nova adnuntiat. » Ita falsorum deorum invito vero testimonio audientes cæci veritatem, illi externo homini, cui majorem quam in suis imaginibus cognoverunt inesse auxilium, venerationem divinam coeperunt impendere.<sup>682</sup>

4. Verum ille unius Dei veri prece eos a sua ad veri Dei venerationem promovit. Cum enim illi, sicut ante procidentes erant imaginibus corruptibilis creaturæ, procidissent pedibus discipuli Christi, ille, restituens eis visum, ostendit eis quam corruptibilitatem gentilitas illa pro vero Deo colebat. Et iussit eos cum omni populo ad imaginem creaturæ corruptibilis, coramque omnibus imperavit dæmoni qui in statua locutus fuerat, et dixit: « In nomine domini nostri Jesu Christi exi ab ea et confringe eam! » Mox jussa apostoli diabolus exsecutus est, et confracta ab eo statua facta est quasi pulvis.<sup>683</sup>

---

<sup>681</sup> Ps. 59, 3.

<sup>682</sup> *Vita Martial. II IX*: dare responsum, quia religatus est ab.

<sup>683</sup> *Vita Martial. II IX*: imaginem Jovis, c.

5. Tales similitudines imaginis corruptibiles adorabantur pro incorruptibili Deo in eo loco, de quo scriptum est : Venit Marcialis apostolus cum omni populo baptizato ad maximum templum idolorum, in quo erant statuæ Jovis, Mercurii, Dianæ et Veneris. Confractisque idolis, dedicavit ibi ecclesiam Domino<sup>bbbbbbbbbb</sup> in honore sancti Stephani protomartiris.<sup>684</sup>

6. Talis<sup>cccccccccc</sup> imaginis<sup>dddddddddd</sup> corruptibilis similitudo erat illa, de qua scriptum est : Abiit homo Dei ad quendam locum, ubi pagani statuam Jovis multum venerabantur. In quo loco multitudo magna languentium jacebat, quasi ut ab illo falso Deo sanaretur. Sed jussu apostoli, egressus de imagine diabolus stetit ante populum quasi niger puerulus, obscurior fuligine, per cujus oculos et nares et os ignis tetri odoris exhalabat. Et ad populum adstantem discipulus Domini dixit : « Homines rationabiles, considerate qualem Deum colebatis, qui sibimetipsi nullum adjutorium neque vobis præstare potest ! » Et imperavit dæmoni dicens : « Præcipio tibi in nomine Domini quem predico ut hanc statuam confringas usque ad pulverem, et recedas in locum desertum, ubi maneat usque in diem judicii et nullum ultra hominem lædas. » Mox jussum adimplevit, et virtute crucis omnes languidi ab apostolo sanitatem receperunt plenam.<sup>685</sup>

7. Tales similitudines imaginis corruptibilis erant, de quibus<sup>cccccccccc</sup> scriptum est : Vocavit ad se Benedicta (consulis Burdegalensis conjux) primum idolorum pontificem Burdegalę urbis, et precepit ei ut pergeret [fol.

<sup>684</sup> *Vita Martial. II XI.*

<sup>685</sup> *Vita Martial. II XXI* : perexit ad quendam vicum u. ; imagine cum foetido ardore s. ; odoris emanabat.

91] per omnia templa idolorum, quæ a Burdegalensibus colebantur, et minutatim templa ipsa et idola confringerent. Illa enim domina jam erat effecta christiana cum omni suo exercitu per predicationem Marcialis, et bacterium ejus pro signo apostoli secum gessit ad Burdegalam civitatem, et viro suo, qui paraliticus erat, qui ipsam ad apostolum miserat pro sibi impetranda sanitate, sanitatem operata est, ubi protinus bacterium Marcialis imposuit super eum.<sup>686</sup> Et ita omnia preparavit illa prudens mulier, ut, dum Marcialis abiret ad eandem urbem, nullo paganorum resistente, ecclesiam Deo ibi primam consecraret. Nec fieri poterat ut ipse, qui convertebat ad Deum Aquitaniam, non fundaret libere primus ecclesias per omnes ipsius regionis civitates, et episcopos in ea ordinaret. Antiquitas maxima et incuria scriptorum est, ignorare nos primas primorum sacerdotum ab eo ordinatas per omnes Aquitaniæ civitates personas.

8. Tales prorsus similitudines imaginis corruptibilis erant, de quibus scriptum est : Misit Stephanus rex, qui per Marcialem christianus erat, ad omne regnum suum et<sup>ffffff</sup> ad omnem terram maritimam et ad omnes gentes quæ in sua ditione erant, ut omnia idola et templa eorum diruerentur, et cuncti homines inhabitantes ejus regnum nullam ulterius legem religionis, nisi eam quam Marcialis illis a Deo apostolus directus predicabat, observarent.<sup>687</sup>

---

<sup>686</sup> *Vita Martial. II XVII* : est, baculo apostoli M.

<sup>687</sup> *Vita Martial. II XVI* : Stephanus dux ad ; gentes Galliarum q.

## [XC

1. Ergo et in paganis, quia creaturam adorabant, magnus erat error ; sed in Sarracenis, quia creatorem blasphemant, major est. Pagani figuras corruptibiles putabant esse deos ; Sarraceni, qui dicunt se credere in solum Patrem, semper blasphemant creatorem verum Deum, qui est Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Et facilius possunt converti pagani ad Deum quam Sarraceni. Paganus per predicatorem Christi facile intelligit quia nihil prodest quod adorat creaturam ; Sarracenus in tantum errorem blasphemiae ingurgitatus est, ut, quia quasi solum Patrem putat se credere, suam fidem meliorem omni credulitate putat esse. Paganus recognoscens quia illi quos adorat, Juppiter et Mercurius, mortui homines sunt et flagitiosi fuerunt, quamdiu vixerunt, et quia Diana et Venus meretrices impudicissimae fuerunt et mortuae sunt, cito apertum errorem fugit ad verum Deum, qui semper est vivus et immortalis ; Sarracenus, quia putat se credere in Deum inmortalem, aut numquam aut difficiliter potest deserere blasphemiam suam.

2. Videte quia ipsi Sarraceni, pro blasphemia sua in verum Deum, *recipiunt in semetipsos dignam mercedem erroris sui !*<sup>688</sup> Sua quippe blasphemia *tradit illos in reprobum sensum, ut faciant ea quae non conveniunt.*<sup>689</sup> Et sicut ait apostolus, *exardescunt in concupiscentiis suis in invicem, absque verecundia masculi in masculos, mulieres in mulieres quod turpe est nominare operantes,*<sup>690</sup> et cum bestiis abhominaciones faciunt, *quia, cum in honore essent, cum a Christianis verum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt,*<sup>691</sup> sed comparati et commixti sunt jumentis insipientibus, et similes facti sunt illis.<sup>692</sup> Et velocius pseudo-apostolo suo,

<sup>688</sup> Rom. 1, 27 : recipientes in semetipsis quam oportuit m.

<sup>689</sup> Rom. 1, 28 : tradidit illos deus in.

<sup>690</sup> Rom. 1, 27 : exarserunt in desideriiis s. ; masculos, turpitudinem o.

<sup>691</sup> Rom. 1, 21.

<sup>692</sup> cf. Ps. 48, 13 : homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis.

quem ipsi Bafumetum vocant, crediderunt quam non crederent alicui ex apostolis Christi, si ad eos accessisset.

3. Illorum pseudo-apostolus, quem porci devoraverunt pro digna mercede erroris sui, sicut ipse immundus fuit, sicut omnis gens Sarracenorum immunda semper est et in coeno flagitiorum volutata, illis hanc immundam legem predicavit quam ipsi observant. Unusquisque eorum plures uxores simul habet. Et tam turpe sacrificium faciunt, ut numquam permittant Christianis videre, ne ipsos derideamus pre nimia confusione. Et sicut in verum Deum (qui vera pax est) non credunt, ita alter alteri numquam dat osculum pacis. Neque cælabo vobis quod verum est sed turpissimum, quia in suo sacrificio omnes sacerdotem suum osculantur non in alia parte membrorum sed retro in fundamento stercoris.

4. Et quidam captivus Christianus, quem captivum tenebat unus ex nobilibus Sarracenis, sacrificia eorum sic vidit. Post longum tempus ipse Christianus captivus amabatur a domino suo et factus est ei consiliarius. Et cum diceret Christianus ei ut esset christianus, respondebat ei Sarracenus : « Quomodo deseram Deum meum, qui omni nocte comedit sacrificia nostra et immortalis est ? » Tunc nocte duxit eum secum, et ipse cum ceteris Sarracenis portavit in templo sacrificium suum in parapside, et unusquisque eorum vas suum pro recognitione signavit. Latenter Christianus in templo remansit et vas domini sui, ubi cibus erat et potus, signavit signo crucis. Et vigilans in angulo templi, vidit canes nigerrimos de subtus altari exire et in<sup>eeeeeeeeeeee</sup> vasculis<sup>hhhhhhhhhh</sup> aliquid comedere, deinde in ea mingere. Et cum vellent gustare de vasculo illo quod Christianus signaverat, repente evanuerunt, et intactum remansit quod erat intus. Diluculo reversi sunt Sarraceni videre vascula sua. Qui minus inveniebat in vase, plus gaudebat, quasi dignus esset Deo, qui de<sup>iiiiiiiiiii</sup> sacrificio suo plus comedisset. Ille solus Sarracenus in tantum tristis fuit, ut vellet se occidere, quasi

indignus esset Deo, qui sacrificium suum non acceperat. Christianus omnino retulit illi  
dicens : « Tu dignior omnibus es, quia sacrificium tuum dæmones timuerunt. » Et hac  
occasione factus est christianus.

## [XCI

Sed dimittamus abominationem virorum<sup>iiiiiiiiiii</sup> qui, propter suam blasphemiam in Deum Patrem, sunt ita turpissime projecti in immunditias et spurcitas diaboli, tam anima quam corpore, et dicamus de Psalmo quomodo fidem sanctæ Trinitatis confirmat. Dicit ita : *Qui vult ergo salvus esse, ita de trinitate sentiat.* Hoc est : « Nullus propter aliquam rem<sup>kkkkkkkkkkkk</sup> poterit esse salvus, nisi ita crediderit in fide sanctæ Trinitatis, sicut scripta est in hoc Psalmo. » Itaque nullus erit salvus, nisi tantum catholicus Christianus, qui Patrem et Filium et Spiritum Sanctum vere credit et confitetur esse unum Deum. Verumtamen qui adhuc non credit filium Dei incarnatum et passum et resurrexisse et in cælum ascendisse et inde ad iudicandum venturum esse, non est catholicus neque poterit esse salvus.





3. De Marciale siquidem legimus quia, cum advenisset in Aquitaniam, virtutem crucifixi primum dæmones in eo senserunt adesse. Unde et exterritus dæmon ad adventum apostoli ut puella exclamavit mox, ubi apostolus domum<sup>nnnnnnnnnnnnnn</sup> ingressus est, et dixit: « Per crucifixum quem predicas, rogo ne me in abissum mittas. » Cui Marcialis ait: « Per ipsum crucifixum, tibi precipio ut exeas ab ista puella; et vade in locum desertum, ubi neque avis volat neque habitatio hominum est! »<sup>694</sup> Item in alio loco, non a profunditate divinitatis sed a visibili baptismo initium predicationis fecit dicens: « *Nemo potest intrare in regnum Dei, nisi renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto.* »<sup>695 696</sup>

4. Item in theatro coepit predicare Evangelium regni Dei, hoc est quomodo filius Dei per incarnationem suam visitaverit mundum et per passionem salvaverit. Et dum propter credendum populum resuscitaret mortuos, virtutem crucifixi cunctis audientibus proclamabat dicens: « In nomine domini nostri Jesu Christi, quem Judei crucifixerunt et tertia die resurrexit a mortuis, in ipsius virtute precipio vobis surgere. »<sup>697</sup>

5. Et ideo quia gentiles in incarnationem et mortem Domini crediderunt primum, subsequenter roborati sunt in fide sanctæ Trinitatis, et baptizati in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Sarraceni autem, quia non credunt incarnationem Domini et mortem, nullo modo possunt pervenire ad misterium sanctæ Trinitatis, nec digni sunt recipere baptismum Christi. Ita quippe prodest nobis credere incarnationem Domini, et ita est necessaria nobis ad salutem æternam ipsa Credulitas, ut nullatenus salvi esse

<sup>694</sup> *Vita Martial. II VII* : adjuro te ; Marcialis dixit ; te adjuro ut exeas de corpore istius puelle.

*cf. etiam Vita Martial. I XV.*

<sup>695</sup> Joh. 3, 5 : Non potest introire in ; nisi quis r.

<sup>696</sup> *Vita Martial. II IX.*

<sup>697</sup> *Vita Martial. II XI* : theatro perrexit p.

possimus, nisi fideliter crediderimus incarnationem Domini. Et sicut nos salvi sumus, quia credimus jam esse factam incarnationem Domini, ita antiqui justii salvi facti sunt, quia credebant incarnationem Domini venturam, et passionem et mortem, resurrectionem quoque et ascensionem.

6. Et Judei ideo non credunt, quia incarnationem Domini, quam legunt in prophetis preannuntiatam, non credunt adhuc factam sed expectant futuram. Et tamen Judei, illo tempore quo incarnatio Domini facta est, cognoverunt et locum et tempus ipsum esse per prophetas predictum. Cum enim rex Hærodes *sciscitaretur a Judeis ubi Christus nasceretur*,<sup>698</sup> responderunt Judei : « *In Bethleem Juda.* » Sic enim scriptum est per prophetam : « *Et tu, Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda ; ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israël.* »<sup>699</sup> Tunc quoque tempus illud erat quod Jacob predixerat dicens : *Non auferetur sceptrum de Juda neque dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est ; et ipse erit expectatio gentium.*<sup>700</sup> Tunc enim sceptrum regni Judeorum primitus mutatum est de genere Judæ in genus extraneum. Nam Hærodes rex non erat de genere naturalium regum, nec de genere Judeorum. Joseph autem, sponsus sanctæ Mariæ, nutricius Domini, et ipsa Maria, mater Domini, de genere regali, de genere Judæ et David regis erant ; et ipse dominus noster Jesus Christus fuit de regali genealogia David, sicut vos bene nostis per Evangelia Mathei et Lucæ. Et nunquam hucusque fuerat ut de genere David et Judæ non haberent Judei principem. Sed tunc primitus defecerat eis, et tunc Dominus natus est, expectatio nostra, quam Martialis discipulus ejus patribus nostris Aquitanicis adnuntiavit.

7. Judei adhuc expectant incarnationem ejus venturam, ideo quia, propter peccatum quo occiderunt dominum nostrum, excecati sunt, et ira Dei est super illos, et

<sup>698</sup> cf. Matth. 2, 4.

<sup>699</sup> Matth. 2, 5-6.

<sup>700</sup> Gen. 49, 10.

pro Christo Antichristum recipient. Nos catholici, sicut ait ille qui, Domino jubente, propinquum et condiscipulum suum Aquitaniæ direxit in honorem et gloriam et officium apostolatus, per gratiam Domini credimus salvari ; sicut et illi antiqui justii, qui ideo salvi sunt, quia credebant venturam incarnationem Domini, et nos salvi erimus, quia vere credimus jam esse factam. Nisi enim incarnationem et mortem Domini ac resurrectionem crediderimus, rectam fidem in Deum nullo modo habemus.

## [XCIII]

1. Unde dicitur : *Est ergo fides recta ut credamus et confiteamur quia dominus noster Jesus Christus, Dei filius, Deus* pariter et *homo* est. Fides recta, hoc est catholica et orthodoxa, illa est ut de Dei filio nihil aliud credamus nisi veritatem quia verus Deus et verus homo est. Veram enim carnem habuit, sed sine peccato. Illum antiqui justii expectabant ; illum prophetæ prenuntiabant ; illum ipsi pagani ignoranter adorabant (ipsi templum fabricaverant inter suos falsos deos, et quia nomen ejus nesciebant, eum dicebant ‘ignotum deum’) ; ipsum et verum Deum et verum hominem credebant. Et tempus quo erat venturus nesciebant, sed certum illis erat quia, postquam veniret in carne, sine fine regnaret, et quia semper ante principium mundi Deus erat, latens tamen hominibus, et quia verus Deus et verus homo sceptrum regni perpetuum in cælo et terra possideret. Unde scriptum legimus in libro Actuum apostolorum, dicente Paulo apostolo paganis Atheniensibus : « *Viri Athenienses, præteriens vidi simulacra vestra et inveni aram in qua scriptum erat : “Ignoto Deo”. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego adnuntio vobis. Hic est Deus celi et terræ ; nec in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur.* »<sup>701</sup>

2. Item in libro Historiæ Marcialis apostoli sic scriptum legimus : In civitate Burdegala colebantur diversa idola dæmonum per diversa templa paganorum. Erant enim ibi consecrata templa in honorem Jovis, Mercurii, Dianæ et Veneris ; et erat ibi templum dei ignoti. Ignotum autem Deum dicebant gentiles, quia quando esset venturus nesciebant. Hoc tamen sciebant quod regnum ejus non esset finiendum, sed in secula seculorum permansurum.<sup>702</sup> Et quia conjunx principis Burdegalensis jussa ab apostolo fuerat

---

<sup>701</sup> cf. Act. 17, 22-25.

<sup>702</sup> *Vita Martial. II XVII.*

quid ageret, postquam regressa esset ad civitatem ipsam maritimam, et quia ignotus deus illi manifeste denuntiatus erat, eo quod ipse esset Christus, in cuius baptismo jam purificata cum suo exercitu apud Lemovicam urbem fuerat, scriptum est : Vocavit ad se nobilis Benedicta, antequam ingrederetur Burdegalam, primum pontificem idolorum ; et precepit ei ut pergeret per omnia templa idolorum et minutatim ea confringeret, excepto dei ignoti.<sup>703</sup> Ideo enim beatus Marcialis illud templum ignoti dei reservare jussit, quia in honore Christi, qui ignotus deus a gentilibus vocabatur, postea cum abiret Burdegalam, consecravit ipsum. Illud enim prima ecclesia in eadem civitate fuit.

3. Postque discessum apostoli reflorescente gentilitate, tam ibi quam per innumeras orbis<sup>oooooooooooo</sup> urbes, ecclesie<sup>pppppppppppp</sup> Christi antiquiores<sup>qqqqqqqqqqqq</sup> subversæ sunt. Et iterum redeunte pace christiani nominis, prima ecclesia Burdegalensis in honore Andreae apostoli consecrata est, et sic illa, quæ prima ab initio fuerat, a memoria civium oblitterata est. Prima quoque antiqua sedes Santonicensis urbis [fol. 92] non in honore sancti Petri apostoli, sicut nunc est, sed in honore sancti Stephani protomartiris ab initio fuit. Sedes Pictavensis semper in honore sancti Petri extitit, et ipsi clerici Pictavenses testimonium apertum hactenus ostendunt, in antiquissima<sup>tttttttttttt</sup> altaris corruptione<sup>ssssssssssss</sup> lapidea, quia sanctus Marcialis ipsam ab initio Christianitatis consecravit ecclesiam. Et sicut sanctus Petrus, per Stephanum principem Galliarum, condiscipulo suo Marciali magnum pondus auri direxit ad fabricandas ecclesias, sic pro certo liquet quia Marcialis cura et providentia tunc erat construere primas ecclesias per omnem Aquitaniam. Sic quippe scriptum est : Optulit princeps Galliarum Stephanus beato Petro auri libras ducentas, quas a Nerone imperatore dono acceperat. Beatus vero Petrus precepit principi ut ipsum aurum sancto Marciali deferret,

<sup>703</sup> *Vita Martialis. II XVII.*

quatinus exinde ecclesias per Aquitaniam construere deberet, vel etiam pauperibus erogaret.<sup>704</sup>

4. Observate, o sacerdotes, exemplum Petri, qui post Deum primus pastor est Ecclesiæ! Ostendit ipse quid episcopi, quid presbiteri pro sacris ordinibus et sacramentis dandis agere debeant. Non pro precio sacramenta tribuant; non exquirant a fidelibus precium; sed dum quisque sacramentum gratis acceperit ab eis, si eis sponte sua aliquid causa caritatis offerre voluerit, habent licentiam suscipiendi, si suscipere voluerint, non tamen in suos usus sed in usus Christi et Ecclesiæ et pauperum. Nec ad personas sed ad meritum adtendant eorum qui sacramenta accipere voluerint. Petrus non ad personam potentissimi principis, qui cum quattuor legionibus preliatorum, hoc est plus quam viginti octo milia militum electorum, a Galliis ad Neronem abierat, adtendit; non ad potentiam principis, cum quo erant duces et comites ac principes, respexit, ut absolutionis sacramentum ei tribueret; non ab eo exquisivit munus aliquod, sed gratia perfectæ humilitatis et conpunctionis, cernens in eo fontem lacrimarum et humilem vultum, absolvit eum.<sup>705</sup>

5. Sicut ergo apostoli gentibus dominum nostrum Jesum Christum verum Deum et verum hominem esse predicaverunt, et gentiles, hanc fidem fideliter recipientes, fidem totius sanctæ Trinitatis accipere meruerunt, ita Sarraceni et quicumque non credunt incarnationem et mortem ac resurrectionem Domini nullo modo pervenire merentur ut recte credant in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum.

---

<sup>704</sup> *Vita Martial. II XIV* : optulit dux b. ; per Galliam c.

<sup>705</sup> *Vita Martial. II XIV* : principem Galliarum cum.

## [XCIV

1. In aliis sinodis sæpius vobis dictum est quid interpretantur hæc duo nomina ‘Jesus Christus’ ; nunc tantum dicimus quia, sicut ‘jesus’ in hebreo et ‘salvator’ in latino eloquio unum est, eo quod salvat populum suum a peccatis eorum, ita ‘christus’ grece et ‘unctus’ latine unum est, quia Spiritus Sanctus Dominum incarnatum plena divinitate unxit, hoc est sacrauit, sicut propheta de Domino incarnato ait : *Spiritus Domini super me propter quod unxit me, ad adnuntiandum mansuetis misit me.*<sup>706</sup> Item David : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, hoc est suavitate Spiritus Sancti, pre consortibus tuis.*<sup>707</sup> Et ab isto nomine quod est ‘chrisma’ dictus est Christus ; et a Christo nos dicimur Christiani, quia uncti, hoc est sacraui, sacro<sup>tttttttttttt</sup> chrismate in baptismo et per episcopum in confirmando sumus.<sup>708</sup>
2. Ipse dominus noster Jesus Christus, sicut filius Dei propter divinitatem, ita filius hominis propter humanitatem dictus est, sicut ipse ait : *Cum venerit filius hominis in sede majestatis suæ et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.*<sup>709</sup> Et sicut filius a felicitate parentum dicitur, et homo ab humo, quia de terra Adam creatus est, ita Dominus incarnatus non solum matri suæ, beatæ semper Virgini Mariæ, sed etiam David et Abrahæ, quos secundum carnem parentes habuit, omnibusque in se credentibus vera felicitas est, et sempiterna gloria. Et homo verus fuit, sed sine corruptione humana, hoc est sine peccato, permansit ; immo in se credentes ab humana et carnali corruptione ac fragilitate emundat.<sup>710</sup>

---

<sup>706</sup> Is. 61, 1 : quod unxerit Dominus m.

<sup>707</sup> Ps. 44, 8.

<sup>708</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 589<sup>A</sup>).

<sup>709</sup> Matth. 25, 31 : in majestate sua et.

<sup>710</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 589<sup>A-B</sup>).

## [XCV

1. Sequitur : *Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, et homo est ex substantia matris in secula natus.* Ex substantia Patris est genitus dominus noster Jesus Christus antequam mundus esset, quia, sicut Pater Deus est super omnes deos, et lumen super omne lumen, et verus splendor super omnem splendorem, et fortis super omnem fortitudinem, et virtus supra omnem virtutem, et vera vita super omnem vitam, et vera æternitas ultra omnem æternitatem, ita est et filius Dei Deus super omnes deos, lumen Patris super omne lumen, splendor et gloria et figura Patris super omnem splendorem et gloriam et incogitabilem figuram, fortis ultra omnem fortitudinem, virtus Patris et sapientia ultra omnem virtutem et sapientiam, vita supra omnem vitam, sicut ait Johannes : *Et vita erat lux hominum.*<sup>711</sup> Ipse est et vera æternitas ultra omnem æternitatem, quia coæternus est Patri, et antequam mundus esset, semper erat cum ineffabili gloria cum Patre. Et quod est Pater in divina substantia, hoc ipsum est et Filius.<sup>712</sup>
2. Modo auditis fortem rem sed veram, quia multis vestrum, qui non sunt multum eruditi, forte erit : aliqui ex vobis sacerdotibus et de cæteris gradibus clericorum, quando cogitat Deum, sic cogitat forsitan, ut habeat Deus talem figuram sicut homo, sicut videtis majestates Dei depictas in picturis librorum et tabularum et ecclesiarum. Sed pictura non est aliud nisi memoria ejus propter quem depicta est. Et scitis quia, in tota corporali vivente creatura, nulla figura ita est pulchra et digna sicut hominis. Et pictor dum vult nostris oculis adhibere memoriam Dei, depingit Deum per pulchriorem quam scit figuram in tota creatura, hoc est per humanam. Ideo quia filius Dei, qui secundum divinitatem incogitabilis est, assumpsit figuram humanam quando homo factus est, et propter victoriam, quam fecit Dominus per crucem suam, signum crucis circa caput in omni majestate debet exprimere pictor.

---

<sup>711</sup> Ioh. 1, 4.

<sup>712</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 589<sup>B</sup>).





orationibus debetis aliquam corporalem figuram cogitare in Deo, nisi spiritum et veritatem.<sup>715</sup> Et debetis credere et cogitare quia Deus non est corporalis substantia, sed spiritus est et veritas, hoc est spiritualis et incogitabilis substantia, et supra<sup>wwwwwwwwwwwwwwww</sup> omnem pulchritudinem ; et non in corporali figura, sed in spiritu et veritate debetis Deum orare,<sup>716</sup> et credere quia ipse est vera substantia, quæ omnes substantias et omnes formas et omnes pulchritudines spirituales et corporales creavit.

5. Videte multas creaturas, quam pulchræ sunt, videte cælum, quam pulchrum est, videte stellas cæli, quam pulchræ sunt, videte solem, quam pulcher est ! Ultra hæc omnia pulchrior est ille qui ea fecit, sicut ait Salomon, qui sapientior ultra omnes homines fuit : « *Super salutem et omnem pulchritudinem dilexi sapientiam* », <sup>717</sup> hoc est sapientia Patris. Filius Dei in sua divinitate pulcher est ultra<sup>xxxxxxxxxxxx</sup> omnem pulchritudinem, et salutifer est ultra omnem salutem. Et sicut Deus Pater in sua divinitate incogitabilis est omni homini, ita filius Dei et Spiritus Sanctus in sua divinitate incogitabiles sunt ; et secundum divinitatem, qualis est Pater, talis est Filius, talis est Spiritus Sanctus. Salomon non potuit cogitare figuram Dei, sed supra omnem pulchritudinem Deum pulchrum credidit.

6. *Moises, qui facie ad faciem cum Deo loquebatur,*<sup>718</sup> per similitudines corporales vel per ignem vel per nubem, non poterat cogitare qualis est Deus in sua propria figura ; ideo putans posse cogitare propriam figuram Dei in hoc seculo, oravit Dominum dicens : « *Domine, si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende michi te ipsum, ut videam te !* »<sup>719</sup> Respondit ei Dominus : « *Non enim videbit me homo et*

---

<sup>715</sup> cf. Ioh. 4, 23.

<sup>716</sup> cf. Ioh. 4, 24 : spiritus est Deus et (...) eum in spiritu et veritate oportet adorare.

<sup>717</sup> Sap. 7, 10 : et speciem dilexi eam ; sic PS. GREG. M., *Resp.* (col. 833<sup>C</sup>).

<sup>718</sup> Ex. 33, 11 : ad Moysen f. ; f. dominus l. ; sic VL.

<sup>719</sup> Ex. 33, 13 : mihi faciem tuam, ut sciam te.

*vivet,*<sup>720</sup> *et facies mea non videbitur tibi.* »<sup>721</sup> Hoc est : « Nullus in seculo corporali potest cogitare propriam meam figuram, sicut sum in mea divinitate. » Propterea Johannes ait : *Deum nemo vidit umquam.*<sup>722</sup> Hoc est : « Nullus umquam potuit cogitare propriam figuram Dei, in qua est in sua divinitate. »

7. Memores estote illius testimonii quod Dominus de hac questione dixit ! Mulier enim Samaritana cogitabat ut Deus talem figuram haberet in sua divinitate qualem homo. Et Dominus, videns ejus cogitationem, dixit ei : *Spiritus est Deus ; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*<sup>723</sup> *Nam et Pater tales quærit qui adorant eum. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.*<sup>724</sup> Hoc est : « Sicut Deus non est corpus sed spiritus, ita illi qui vere adorant eum non debent in eo cogitare aliquam formam corporalem, sed in spiritu et veritate debent eum adorare. Et nullus vere adorat Deum, nisi in spiritu et veritate. Et Deus tales quærit et tales vult qui in veritate et spiritu adorent eum, non in falsitate neque in figura corporali. »

---

<sup>720</sup> Ex. 33, 20.

<sup>721</sup> Ex. 33, 23 : *faciem autem meam videre non poteris ; sic VL.*

<sup>722</sup> Ioh. 1, 18.

<sup>723</sup> Ioh. 4, 24.

<sup>724</sup> Ioh. 4, 23.

## []XCVI

1. De ista fortissima questione non fuit aliquid dictum, nec in tempore apostolorum nec post apostolos, usque longe post Nicenum concilium in tempore sancti Theophili patriarchæ Alexandriæ. Apostoli enim predicantes gentibus non eos miserunt in tam profundam questionem, sed tantum ut Patrem et Filium et Spiritum Sanctum crederent unum Deum invisibilem et incomprehensibilem et incogitabilem, et filium Dei incarnatum de Virgine et passum et mortuum et resurrexisse et in cælos ascendisse et inde ad iudicandum venturum crederent. Neque vos, o sacerdotes, a populo plus debetis exquirere nec in aliam cogitationem introducere, ne cadant in foveam erroris. Neque nos quod vobis nunc dicimus de misterio secreto sanctæ Trinitatis ullatenus diceremus laicis, si presentes essent, quia sicut sunt animales<sup>yyyyyyyyyyyy</sup> homines et carnales, non intellegentes ea quæ sunt spiritualia, mitterent se in tale periculum blasphemix, unde non possint surgere.

2. In tempore ergo sancti Theophili surrexerunt hæretici qui dicuntur antropomorfite<sup>725</sup> et coeperunt populo predicare quia Deus hominis formam haberet, et Pater et Filius et Spiritus Sanctus simili figura essent, quasi tres homines. Et dixerunt tales blasphemias in invisibilem Deum, qui visibilia et invisibilia creavit omnia, quia tale caput, tales oculos, tales manus haberet Deus sicut homo, talia membra sicut corruptibile corpus hominis. Viditque patriarcha populum Dei in tam profundum infernum corruere per illos hæreticos, qui *gloriam Dei* commutabant *in similitudinem imaginis corruptibilis*, hoc est *hominis*,<sup>726</sup> quasi tam magnum caput, tam magni oculi, tam magna membra corporalia in eo esset, sicut in fantasia quæ stuporem videntibus et horrorem faceret, sicut corpora gigantum nobis horrorem exhiberent, si unum ex eis videremus ; coepit tractare quomodo de sancta Ecclesia illam diabolicam

<sup>725</sup> cf. CASSIAN., *Conl.* (PL, 49, col. 821<sup>A</sup>).

<sup>726</sup> Rom. 1, 23 : D. incorruptibilis mutaverunt i. ; VL : commutaverunt.

fantasiam amputaret. Et illi amentes hæretici in auctoritatem erroris sui trahebant illud testimonium quod in Genesi dixit Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*<sup>727</sup> Et item : *Ad imaginem Dei creavit eos ; masculum et feminam fecit eos.*<sup>728</sup> Et item : *Ad imaginem Dei factus est homo.*<sup>729</sup> Et putabant hoc dici de corpore, non de anima. Non enim corpus hominis sed animam creavit Deus ‘ad imaginem et similitudinem suam’. Et figuram et magnitudinem animæ nemo cogitare scit. Fecitque patriarcha concilium et excommunicavit omnes illos qui ita crederent. Et misit epistulas suas per omnia monasteria et ecclesias, quomodo deberent intelligere illam sententiam : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,*<sup>730</sup> et ut omnes damnarent illam stultissimam et maledictam hæresim.

3. Erant illo tempore Hieronimus, Ambrosius et Augustinus, doctores sanctæ Ecclesiæ. Qui hæc audientes damnaverunt illam hæresim et multa scripserunt contra illos hæreticos, et eodem modo dixerunt, sicut dicebat Theophilus, et quia homo in anima, quod est homo interior, non in corpore corruptibili et communi cum bestiis creatus est ‘ad imaginem Dei’. Sicut Deus rationalis est, ita et anima rationalis est ; sicut Deus spiritus est, ita et anima spiritus est ; sicut Deus vivificat omnia viventia, ita anima vivificat corpus suum ; sicut Deus immortalis est, ita anima (ex quo facta est) immortalis est ; sicut Deus ubique in cælo et in terra est totus<sup>~~~~~</sup>, ita anima in toto corpore suo et in omnibus membris suis tota est ; sicut Deus non minuitur, etiamsi totus mundus et omnia quæ in eis sunt intereant, ita ut non sint, ita anima non minuitur, si pes aut manus aut aliquod membrum truncatur a corpore, et non deficit nec minuitur in sua natura quando corpus suum interit. Et hoc est esse hominem ‘ad imaginem Dei’, quia sicut Deus vivit, intelligit, sapit semper, ita anima (ex quo creata

---

<sup>727</sup> Gen. 1, 26.

<sup>728</sup> Gen. 5, 1-2 : Ad similitudinem D.

<sup>729</sup> Gen 1, 27 : Dei creavit illum.

<sup>730</sup> Gen. 1, 26.

est) vivit, intelligit, sapit. Similitudo Dei est in anima hominis, quia, sicut Deus est misericors, pius, justus, bonus, sanctus, tranquillus, ita et homo debet in se habere similitudinem creatoris sui, ut eum imitetur, ut sit misericors, sicut Deus misericors est, sit pius, justus, bonus, sanctus, tranquillus.

4. Et docuerunt sancti doctores veritatem istam quia Deus corpus et animam hominis non fecit ita cum membris corporeis, sicut operarius solet facere manibus suis cum labore aliquod opus, sed *dixit et facta sunt ; ipse mandavit et creata<sup>aaaaaaaaaaaa</sup> sunt.*<sup>731</sup> Sed quia homo superior et dignior est omnibus creaturis in anima, quia rationem et intelligentiam habet, ideo creavit eum in tanta dignitate ultra cæteras creaturas, ut in sua trinitate consilium acciperet dicens : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*<sup>732</sup>

5. Et docuerunt [fol. 93] ipsi doctores veritatis quia quod legimus : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ,*<sup>733</sup> non ita corporaliter ‘inspiravit’, sicut vos insufflare soletis de halitu in caticuminum vel in aquas baptismi, sed animam, quam de nichilo creavit, jussit intrare in corpus Adam, ut ipsum vivificaret. Et sicut in utero matris non ante corpus quam anima nec anima antequam corpus creatur, sed simul corpus et anima creantur – cotidie enim Deus creat animas et cuncta gubernat, sicut ait Dominus : « *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* » –,<sup>734</sup> nam vis animæ corpus pueri in utero imaginat et postea movet et vivificat, et post nativitatem corpus nutrit usque ad ætatem perfectam et vivificat usque ad mortem,<sup>735</sup> ita corpus et anima Adæ simul et in momento mox ut Deus voluit creata sunt. Sed Adam perfectum corpus et animam simul habuit, nec crevit per tempora ætatis, sicut sol et luna, arbores,

<sup>731</sup> Ps. 32, 9 ; Ps. 148, 5.

<sup>732</sup> Gen. 1, 26.

<sup>733</sup> Gen. 2, 7.

<sup>734</sup> Ioh. 5, 17.

<sup>735</sup> cf. GREG. M., *Dial.* IV 5 : sicut vis animæ vivificat et movet corpus, sic vis divina inplet quæ creavit omnia, et alia inspirando vivificat.

bestiæ, pisces et aves, omnisque creatura tota perfecta simul creata est mox ut Deus voluit. Post illam inchoationem mundi perfecti, omnis homo et omnes creaturæ a pusillitate per natiuitates incipiunt et usque ad tempus statutum et mensuram crescunt.

6. Et docuerunt ipsi veritatis doctores quia quod legimus : *Tulit Dominus costam Adæ dum dormiret et formavit eam in mulierem*<sup>736</sup>, non ita corporalibus manibus fecit sicut medici solent amputare viscera hominis in sopore per virtutem herbarum, aut artifex solet fabricare de alio opere aliud opus, sicut<sup>bbbbbbbbbbbb</sup> tabulam hostii fabricat in scabellum, sed mox ut voluit Deus in momento formata est mulier ex costa viri absque aliquo corporali fabricatore.

7. Et damnauerunt ipsi catholici patres omnes illos hæreticos qui dicebant animam hominis esse de substantia Dei, et illos qui dicebant quia angeli creauerunt corpus hominis et Deus animam creavit, et illos qui credebant animas hominum creatas esse antequam esset Adam. De ista veritate quam Theophilus mandavit epistulis suis per omnes ecclesias orientis, tam magnum et grave scandalum exortum est, ut ipsi hæremite illius regionis, qui districtam et sanctam vitam tenebant simplices et idiotæ et indocti, epistulas patriarchæ igni cremarent ; et, reputantes eum hæreticum pro veritate ipsa quam eis mandauerat, congregauerunt se apud sedem Alexandriæ, ut patriarcham interficerent. Et dicebant ipsi indocti hæremite sancti : « Iste est Antichristus, qui Deum nobis vult auferre. Nescimus amplius qualem Deum cogitemus, quia dicit Deum non habere figuram hominis. Hucusque Deum dileximus, quia cogitabamus eum esse similem nobis. » Et nisi patriarcha prudenter illos insanos fugeret, vere occideretur ab illis. Et epistolæ patriarchæ de hac veritate refutate sunt ab omnibus monasteriis per totam Ægyptum, ubi erant plus quam tria milia congregationes monachorum. In uno tantum monasterio recepta est epistula cum

---

<sup>736</sup> Gen. 2, 21-22 : cumque obdormisset t. unam de costis eius (sc. Adæ), (...) et ædificavit D. Deus c. quam tulerat de Adam i. ; sic VL.

gaudio, quia Pafnutius, qui abbas illius monasterii et presbiter de omnibus illis monasteriis vicinis erat, doctissimus erat cum divinis libris secundum catholicam fidem. Qui docti erant recipiebant citius veritatem ; indocti scandalizabantur. Sed sancti patres scientes quia scandalum quidem malum est, sed si veritas tacetur, ne scandalum sumatur, utilius est scandalum fieri quam veritas non accipiatur, patriarcha non antea cessavit, quam ipsa pessima hæresis extincta esset. Et propter sanctos simplices indoctos heremitas constituit fieri orationes quas fecerunt catholici, docebatque nullum ex eis posse salvari propter aliquam sanctitatem neque propter districtissimam continentiam, si in eadem moraretur hæresi. Et superavit veritas ; et post longum tempus omnes cognoverunt et receperunt veritatem, gratias Deo et patriarchæ referentes.

8. Et vere est catholica fides ut Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum non in figura hominis, non in aliqua figura corporali, sed in spiritu et veritate adoremus et credamus et confiteamur, sicut ipse Dominus ait : *Spiritus est Deus ; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*<sup>737</sup> Dominum autem Jesum Christum, in eo quod homo est, credimus non solum in figura nostra humana, sed etiam verum hominem esse. Et in eadem carne qua natus et passus est et resurrexit, in ipsa ad cælos ascendit et in ipsa carne est in cælo et in ipsa veniet ad iudicandum et in ipsa regnabit sine fine. In eo autem quod Deus est ante omnia secula æqualis Patri et Spiritu Sancto, credimus quia non in figura humana, non in aliqua corporali forma est, sed *spiritus est Deus, et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare.*<sup>738</sup>

---

<sup>737</sup> Ioh. 4, 24.

<sup>738</sup> cf. *supra* n. Erreur : source de la référence non trouvée p. 254.



## [XCVII

1. Et sicut est de duabus naturis, hoc est de divina et humana, ita est verus Deus et verus homo non divisus in duabus personis, sed divinitas ejus et humanitas conjuncta est in una persona, ut nec divinitas ab humanitate nec humanitas a divinitate possit separari. Propter humanitatem enim, quam dignatus est de Virgine accipere, ut nos salvaret, in divinitate Patris et Filii et Spiritus Sancti non est quaternitas sed trinitas, quia non sunt quattuor personæ propter humanitatem filii Dei, sicut dicunt multi hæretici ; sed sicut ante omnia secula erant tres personæ in Deo, hoc est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, simili modo post incarnationem Domini sunt tres tantum personæ, unus Pater et unus Filius et unus Spiritus Sanctus, quia Filius in sua divinitate assumpsit humanitatem et fecit sibi unam personam conjunctam de divinitate<sup>cccccccccccc</sup> et humanitate, et ita est unus filius Dei in una persona<sup>dddddddddddd</sup> verus Deus et verus homo.

2. Et si non esset humanitas ejus in divinitate, nullus homo umquam posset ascendere in cælum, nec in anima nec in carne. Modo enim sunt in cælo animæ sanctorum, sicut etiam de beato Marciale legimus quia anima ejus cum ipso domino nostro Jesu Christo, qui ad eum venit sicut promiserat, in splendore magno perrexit in cælum.<sup>739</sup> In cujus apostoli gloria auditæ sunt voces angelorum dicentes : *Beatus est quem elegisti et assumpsisti, Domine ; habitabit in tabernaculis tuis in secula seculorum.*<sup>740</sup> Et vere eum Dominus elegerat in apostolatum et tunc assumebat in cælum. Et sicut decoravit eum per semetipsum in apostolatus gloria in terris, ita sublimavit eum per semetipsum in regni gloria in cælis.

3. Petrus et Paulus et Stephanus protomartir et omnes sancti perfecti, tam de Novo quam de Veteri<sup>cccccccccccc</sup> Testamento, modo sunt in animabus in cælo. Et post

<sup>739</sup> *Vita Martial. II XXVI* : cum omni s.

<sup>740</sup> Ps. 64, 5 : in atriis t.

resurrectionem generalem, in corporibus suis et animabus simul erunt cum Christo in cælo. Hoc tantum et tam magnum utile nobis præstat humanitas Domini, quam<sup>ffffff</sup> ipse Dominus assumpsit in sua divinitate et evexit ad cælum ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Habet forte aliquis vestrum talem cogitationem in corde suo, per quam cogitat quomodo aut quali similitudine dominus noster Jesus Christus est una persona cum divinitate et humanitate. Sed hoc incogitabile est et nemo cogitare potest, tam alta et incomprehensibilis res ista est. Tantum credere debemus fideliter quia ita est ; non investigare debemus quod ultra omnem cogitatum humanum est.

4. Sed hoc plus admirari et venerari debemus et majores illi gratias referre, quia, cum esset Deus æqualis Patri, propter nos in sua divinitate carnem assumpsit nostram, ut nos, qui pulvis sumus et cinis,<sup>741</sup> faceret in cælo coæquales angelis. Sicut autem vobis diximus quia per res corporales trinitas potest intelligi, sicut ait apostolus : *Per creaturam creator* intelligitur,<sup>742</sup> et diximus vobis aliquid similitudinis propter trinitatem in sole et in aqua,<sup>743</sup> ita in creatura aliquam similitudinem dicere possumus, quia de duabus naturis est una persona domini nostri Jesu Christi. Aliqua corona est facta ex auro et gemmis, vel aliquis anulus est factus ex auro et gemma. Sicut in una corona vel in uno anulo est aurum de altera natura et gemma alterius naturæ, est tamen una res de duabus naturis, ita una persona filii Dei est in duabus naturis, hoc est in divinitate et humanitate, quia filius Dei dominus noster Jesus Christus verus Deus et verus homo est. Et hoc ipsum quod Deus Pater est in sua divina substantia, hoc ipsum est filius Dei in sua divina substantia, et hoc ipsum est Spiritus Sanctus in sua divina substantia. Et

<sup>741</sup> *cf.* Gen. 18, 27 : cum sim pulvis et cinis.

<sup>742</sup> Rom. 1, 20 : invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur ; VL : per creaturam poterant creatorem cognoscere.

*cf. etiam* Sap. 13, 5 : a magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit horum creator videri.

<sup>743</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 588<sup>D</sup>).

in his tribus personis, sicut jam diximus, non sunt tres divinæ substantiæ, sed vere [fol. 93v] una divina substantia est.

5. Et hoc confitetur catholica fides quia ipse filius Dei ita naturaliter est de Patre secundum divinitatem, ut Deus Pater per naturam genuerit eum, non per voluntatem, sicut carnales homines habere volunt filios, et si nollent habere, non haberent. Non per necessitatem genuit Deus Pater Filium, sicut carnales homines per talem necessitatem habent filios, ut post mortem suam pro eis hæredes sint. Sed per propriam naturam divinitatis suæ genuit Deus Pater Deum Filium, quia tam fortis divinitas et tam fortis et incomprehensibilis substantia et tam naturalis et propria erat in Deo Patre, ut nullo modo Deus Pater esse potuisset sine proprio filio suo, quem pro nobis tradidit, sicut ait apostolus : *Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*<sup>744 745</sup>

6. Figuram sanctæ Trinitatis in sua divinitate, quæ in hoc seculo nobis et omnibus viventibus incogitabilis est, modo cogitare non possumus, sed in futuro illo seculo videbunt tantum illi qui perfecti sancti sunt, sicut Dominus ait : *Beati mundo corde, quoniam ipsi videbunt.*<sup>746</sup> Hoc est : « Qui purum cor in fide catholica tenent modo, qui non solum corpus suum ab inlicita operatione, sed etiam cor a cogitationibus inlicitis purificant, in futuro Deum videbunt, sicut angeli vident, de quibus scriptum est : *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* »<sup>747</sup> Et psalmista ait : *Videbitur Deus deorum in Sion.*<sup>748</sup> Et hæc erit major beatitudo sanctorum ut videant Deum in sua ineffabili gloria, hoc est in sua propria spirituali figura, *in quem Deum desiderant angeli prospicere.*<sup>749</sup>

<sup>744</sup> Rom. 8, 32.

<sup>745</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 589<sup>B</sup>).

<sup>746</sup> Matth. 5, 8 : ipsi Deum v.

<sup>747</sup> Matth. 18, 10.

<sup>748</sup> Ps. 83, 8.

<sup>749</sup> I Petr. 1, 12.



conceptus est,<sup>755</sup> quomodo capere potuit uterus Virginis, quem non potest capere totus mundus ?<sup>756</sup>

3. Sed si nescimus discutere tantam profunditatem sapientiæ Dei, vere tamen credimus quia Verbum caro factum est, quia ex utero Virginis veram humanam carnem ineffabiliter traxit. Et sicut est verus Deus ante secula, ita de utero sanctæ Virginis verus homo in hoc seculo natus est. Et sicut beata mater Domini fuit gratia plena super omnes virgines, et gratiam et dignitatem virginitatis suæ salvam habuit et mater et virgo est, et virgo ante partum et virgo in partu et virgo post partum fuit et semper permansit, ita Deus in hoc seculo verus homo de vera virgine natus est.<sup>757</sup>

4. ‘In seculo’ autem dicit : « In tempore illius seculi quo cæsar Augustus Octavianus<sup>758</sup> imperium Romanorum tenebat. » Ipse est imperator de quo in Evangelio dicitur : *Exiit edictum a cæsare Augusto ut describeretur universus orbis.*<sup>759</sup> Transierat hoc seculum ab initio mundi non tantum quantum est opinio inter laicos de quinque milibus et ducentis annis, sed secundum verum compotum, sicut purum magisterium de Judeis a Hieronimo tractum est, tria milia et nongentos quinquaginta duos annos. Nec in sexto miliario, sicut quidam nimis ultra computant, sed in quarto miliario natus est Deus verus homo in seculo, regnante Hærode rege.<sup>760</sup>

---

<sup>755</sup> cf. GREG. M., *In evang.* I 7, 3 : Investigari enim nullatenus potest quomodo corporatur Verbum, quomodo summus et vivificator spiritus intra uterum matris animatur, quomodo is qui initium non habet, et existit et concipitur.

<sup>756</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 589<sup>c</sup>).

<sup>757</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 589<sup>c</sup>).

<sup>758</sup> Auguste, empereur († 14).

<sup>759</sup> Luc. 2, 1.

<sup>760</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 589<sup>c</sup>).

## [[XCIX

1. Jam nimirum natus erat pater beati Marcialis, de quo curiose quidam vestrum solent requirere qua ætate, quot annorum esset, quando ad Dominum primo accessit. Post triginta quippe annos<sup>iiiiiiiiiiiiii</sup> sive tricesimo anno ætatis suæ, Dominus predicare exorsus est. Tunc primo ad eum accesserunt genitores supradicti patroni ; ipse autem quindecim<sup>jjjjjjjjjjjjjj</sup> annorum erat ætatis.<sup>761</sup> In hoc sacerdotali conventu quidam vestrum requirunt sollicite vocabula propria genitoris et genitricis ejus. Ne vero tumultum faciant in hoc articulo, et quod de incarnatione Domini tractamus et de misterio sanctæ Trinitatis intentius audiant, paucis audiant quia Marcellus et Helisabeth genitores ejus vocati sunt, fueruntque de tribu de qua et Paulus apostolus fuit, videlicet de tribu Benjamin, sicut in Historia beati apostoli scriptum est: In medio multæ turbæ Judeorum venit ad dominum nostrum Jesum Christum predicantem apud Judeam vir quidam inlustrissimus Judeorum de tribu Benjamin nomine Marcellus, cum propria uxore Helisabeth ac filio unico Marciale quindecim<sup>kkkkkkkkkkkkkk</sup> annorum ætatis.<sup>762</sup>

2. Et sicut nullus pene vestrum est, qui ejus non audierit vel non legerit Historiam, quam per vestras ecclesias omnes studiose descriptam debetis habere, qui de ejus proprie estis diocesis apostolatus<sup>iiiiiiiiiiiiii</sup>, hoc est de Aquitania, ita incuriæ culpa videtur his qui ejus gesta audientes et intelligentes non retinere student, ut alios clericos vel ignorantes laicos doceant. Neglegentiæ quoque nevo reprehensibiles sunt hi qui tam tardo intellectu sunt, ut ejus Historiam dum legunt non intelligunt, quam ipsi laici inlitterati facile intelligunt. Clericus qui tam apertam eloquentiam in actibus Marcialis non intelligit, quomodo dicta aperta Evangeliorum intelliget ? Hæc Historia hujus

<sup>761</sup> *Vita Martial. II* 1.

<sup>762</sup> *Vita Martial. II* 1 : tribu supradicta n.

primi Galliae et Aquitaniae patroni, sed et gesta aliorum apostolorum et sancta Evangelia, ideo non obscuro sed aperto eloquio scripta sunt, ut facilius et apertius ab omnibus intelligi possint. Fuerunt tamen ex grammaticis quidam ante nos qui hanc apostolicam Historiam fortiori latinitate et colore sententiarum transcripserunt causa dignitatis. Sed quia minor utilitas generali Ecclesiae erat, placuit spiritualibus viris et doctis tenere nos eam in publico primam, quam ipse beatus discipulus ejus Aurelianus episcopus stilo apto puritati Ecclesiae conscripserat.

3. Verum ut de incarnatione Domini dicebamus, sicut Christus Deus ipse est unus Dei filius et ipse est unus Virginis filius, ita est verus Deus et verus homo in una persona. Quia cum deitas ejus in utero Virginis humanitatem assumpsit, ita ipsa deitas ejus simul cum ipsa humanitate de utero Virginis exivit et per clausam portam Virginis, hoc est per Virgi-[fol. 94]-nem integram et inlesam, natus est et mundum ingressus est, idem Virginis filius per hominem, quem assumpsit, idemque Dei filius per deitatem, quam semper habet aequalem<sup>mmmmmmmmmmmmmmmmmmmm</sup> cum Patre et Spiritu Sancto. Ideo est sancta Maria utrumque et Christi genitrix et Dei genitrix, quia et deitas et humanitas simul est in Christo et est filius Dei Patris et pariter Virginis matris.

[[C

1. Sequitur : *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens*. In concilio episcoporum quod fuit hesterno anno, ille grammaticus qui faciebat sermonem de altitudine sancte<sup>nnnnnnnnnnnnnnnn</sup> Trinitatis exposuit breviter hunc Psalmum usque ad hunc versum. Et cum pretermisisset, quia perfecte non ejus recordabatur, et episcopus Pictavensis juberet ei hunc versum exponere, dixerunt alii secreta propter laicos principes qui ibi aderant sermonem audientes : « Non debet quis audientibus laicis de misterio sanctæ Trinitatis profunditatem investigare, meliusque est ut taceatur, quam in cordibus laicorum, qui discrete nesciunt cogitare, nascantur inlicitæ cogitationes, quæ exeant ad blasphemiam. »
2. Fecerat ipsum concilium episcopus sanctæ sedis Lemovicensis propter pacem in provincia restituendam, sedebantque plures episcopi in ipso concilio apud ipsam sanctam sedem beati Marcialis in basilica sancti Stephani, quæ sedes et ecclesia primæ fuerunt in toto Occidente post sedem Romanam beati Petri, quæ est<sup>oooooooooooo</sup> ad Lateranis in basilica sancti Johannis Baptistæ. Adduxerat episcopus Lemovicensis ad ipsum concilium majorem ducem Aquitanorum<sup>763</sup> cum comitibus et principibus ejus propter pacem. Episcopus Albiensis<sup>764</sup> venerandus senior et presul Bituricensis<sup>765</sup>, cum prudenter hunc versum laudarent propter laicos pretermittere, verterunt ad alia sermonem. Sed quia in hac synodo nullus est laicus et requisivimus sententias catholicorum patrum de hoc versu, securi eum vobis exponemus.
3. *Perfectus Deus, perfectus homo*, hoc est dominus noster Jesus Christus Dei filius ipse verus Deus et verus homo est. Et sicut omnis homo est ‘ex anima rationali et humana carne’ (anima enim hominis rationem et intelligentiam habet in se, et de anima

<sup>763</sup> Guillaume VI le Gros, duc d’Aquitaine († 1038).

<sup>764</sup> Ameil II, évêque d’Albi (1019-1051).

<sup>765</sup> Aymon de Bourbon, archevêque de Bourges (1031-1071), successeur de Gauzlin de Fleury (1014-1029).



rationali et carne Adam sumus omnes), ita dominus noster Jesus Christus, in eo quod verus homo est, similiter est *ex anima rationali et humana carne*. Si enim non accepisset animam, sed solam carnem, non esset ‘perfectus homo’, hoc est non esset verus homo, nec salvaret animas nostras, sed sola corpora nostra. Sed sicut veram animam et veram carnem accepit de utero Virginis, ita salvator est animarum nostrarum et corporum. Homo non potest esse perfectus homo nisi in corpore et anima. Et anima preciosior est corpore. Et sicut Deus deteriores substantias, id est carnem nostram, assumere in se dignatus est, ita quod preciosius carne est, hoc est animam rationalem, in se suscepit, ut animas et corpora nostra in sua perfecta humanitate redimeret.<sup>766</sup>

4. Fuerunt hæretici, qui vocati sunt Apollonaristæ, qui predicabant populo talem blasphemiam de domino Jesu Christo, dicentes quia Dominus factus homo non habuerit in sua carne animam rationalem sicut omnes homines habent, sed in loco animæ rationalis fuerit deitas ejus, nec in corpore suo aliam habuerit animam nisi solam deitatem. Sed postquam fuerunt convicti per catholicos patres et per evangelicam auctoritatem (ait enim Dominus : *Tristis est anima mea usque ad mortem*,<sup>767</sup> nam in deitate ejus nullus timor erat, nec enim deitas ejus mortem passa est nec mori poterat, sed vera anima veri hominis mortem timebat), dixerunt ipsi hæretici aliam blasphemiam, credere quidem se quia Dominus habuerit animam, sed non fuerit rationalis anima sicut est nostra, quæ habet intelligentiam, sed talis fuerit anima ejus quæ tantummodo vivificavit corpus ejus. Et dixerunt tam magnam blasphemiam quia Dominus non habebat rationem nec intelligentiam nisi in sua deitate.<sup>768</sup>

5. Propter rationem enim et intelligentiam quæ erant in anima ejus, quam veram cum vera carne assumpsit, ait evangelista : *Puer Jesus proficiebat ætate et sapientia*

<sup>766</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 589<sup>C</sup>).

<sup>767</sup> Matth. 26, 38 ; Marc. 14, 34.

<sup>768</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 589<sup>C</sup>).



rationali et humana carne subsistens' est, hoc est plenus et perfectus et verus homo est, sicut plenus et perfectus et verus Deus est cum Patre et Spiritu Sancto.<sup>770</sup>

---

<sup>770</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 590<sup>A</sup>).

## [ ] CI

1. In illo concilio Lemovicensi, ubi prudenter hic versus propter laicos pretermisus est, quia contionator grammaticus non bene expositionem ejus tenebat in memoria, inter misterium sanctæ Trinitatis, inter plura alia quæ erant de regulis ecclesiasticis et de divinis officiis, fortiter est discussum in conspectu episcoporum cur beatus Marcialis a nobis predicabatur apostolus in omnibus divinis officiis. Cum episcopis enim interfuerunt plures doctissimi viri in divinis libris.

2. Ibi convicti sunt quidam zelantes qui eum negabant apostolum esse. Ibi a Deo reprehensi sunt qui eum confitebantur quidem apostolum esse, sed non adquiescebant minus rationabilem suam solitam consuetudinem illam dimittere, qua in divinis officiis faciebant eum confessorem, non apostolum. Ibi conlaudati sunt illi qui plus rationabilem auctoritatem eligebant sequi, in omnibus divinis officiis facientes eum apostolum, dicente episcopo Albiense : « Tam precipuus est iste primus patronus Galliæ protector noster sanctus Marcialis, ut quanto plus eum honorare poterimus secundum veritatem, tanto debemus eum honorare. Scimus enim quia hic est unus de discipulis Domini et sunt plures apostoli extra duodecim<sup>SSSSSSSSSSSSSSSS</sup>, et quia ipse ad nostram inlumptionem directus est a Domino per beatum Petrum ; et ipsum confitemur parentibus nostris revelasse et adnuntiasse adventum domini nostri Jesu Christi in mundum ; et ille omnem patriam nostram Aquitaniam traxit de tenebris ad lucem. »<sup>771</sup>

3. Episcopus Pictavensis<sup>772</sup> ad hæc respondit : « Sicut nulla falsitas est si eum confessorem quis facit, ita nulla falsitas est si eum quis apostolum facit. [fol. 94v] Sed sicut Petrus et Paulus apostoli et martires sunt et tamen non est necesse eos facere martires sed apostolos, quia major gradus est apostolorum quam martirum – nulla

<sup>771</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Acta Lemov.* (éd. P. Labbé, p. 886<sup>A-C</sup>).

<sup>772</sup> Isembert, évêque de Poitiers (1021-1047).

tamen est falsitas si qui eos in divinis officiis faciat martires, sicut nulla falsitas est si qui Johannem apostolum et Philippum et Mathiam et Lucam evangelistam, qui apostoli et confessores sunt, faciat in divinis officiis confessores –, ita Marcialem, qui apostolus et confessor est, non est necesse ut faciamus confessorem sed tantummodo apostolum, quia major gradus est apostolorum quam confessorum. Et omnes apostoli qui hanc vitam finierunt sive per passionem aut sine passione in eo vere sunt martires et vere pariter confessores, id est laudatores Dei, quia semper confitebantur, hoc est laudabant, Dominum, cum nomen ejus gentibus adnuntiarent, et martirii palmam non amiserunt, quia semper testificati sunt Dominum et viventes multa in corporibus suis pertulerunt tormenta. Ideo omnes sancti apostoli simul sunt martires et confessores, sed non omnes martires et non omnes confessores apostoli fuerunt. »<sup>773</sup>

4. Tunc jussit legere grammatico qui sermonem in populo faciebat auctoritatem Hieronimi de tali questione. Et lectum est ita : « Ait Hieronimus : Quod exceptis duodecim<sup>xxxxxxxxxxxx</sup> quidam vocentur apostoli, illud in causa est. Omnes qui Dominum in carne viderunt et eum postea predicaverunt apostolos fuisse appellatos, ille sermo Pauli demonstrat dicentis : *Visus est illis undecim<sup>xxxxxxxxxxxxxxxx</sup>, deinde visus est Jacobo, deinde apostolis omnibus.*<sup>774</sup> Et alii ab his quos Dominus elegerat ordinati sunt apostoli, sicut ad Philippenses ait : *Necessarium existimavi Epafroditum commilationem meum vestrum autem apostolum mittere ad vos.*<sup>775</sup> Et ad Chorintios de talibus apostolis scribitur : *Sive apostoli ecclesiarum in gloria Dei.*<sup>776</sup> Silas quoque et Judas ab apostolis apostoli nominati sunt.<sup>777</sup> »<sup>778</sup>

<sup>773</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Acta Lemov.* (éd. P. Labbé, p. 886<sup>D-E</sup>).

<sup>774</sup> I Cor. 15, 7.

<sup>775</sup> Phil. 2, 25 : Epafroditum, fratrem et cooperationem et c. ; apostolum et ministrum necessitatis meæ m.

<sup>776</sup> II Cor. 8, 23 : gloria Christi.

<sup>777</sup> Quod exceptis – nominati sunt] HIER., *In Gal.* I (col. 355<sup>B</sup>).

<sup>778</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Acta Lemov.* (éd. P. Labbé, p. 871<sup>B</sup>).

5. Et coeperunt quidam his verbis resistere propter illud de duodecim<sup>vvvvvvvvvvvvvv</sup> sedibus in Evangelio, quasi nullus habeat potestatem judicandi nisi duodecim.<sup>779</sup> Tunc in medium prolatus est liber Augustini et lectus est: «*Sedebitis super sedes duodecim*<sup>wwwwwwwwwwwwww</sup>, *judicantes duodecim tribus Israël.*<sup>780</sup> Nec putare debemus super duodecim<sup>xxxxxxxxxxxxxxx</sup> sedes sessuros esse, aut duodecim solos homines cum Christo iudicatuos. Nam in loco Judæ Mathias ordinatus est apostolus et Paulus apostolus, qui plus illis omnibus laboravit,<sup>781</sup> profecto cum aliis sanctis ad numerum iudicum pertinebit, sicut ipse dicit: “Nescitis quoniam angelos iudicabimus.” De iudicandis ipsis in numero duodenario similis causa est. Sicut enim tribus duodecim<sup>yyyyyyyyyyyyyy</sup> iudicabuntur, ita et tribus Levi, quæ tertia decima est, iudicabitur. Nec solum populus Israël, sed et cæteræ gentes iudicabuntur.<sup>782</sup> Ergo sicut in quinque virginibus innumerabiles virgines significantur, sic in duodecim<sup>zzzzzzzzzzzz</sup> sedibus non duodecim homines, sed magnus numerus perfectorum signatur, quia numerus duodenarius perfectum numerum signat. Et sicut iudicantes ex toto mundo erunt, sic iudicandi ex toto mundo erunt.<sup>783</sup> »<sup>784</sup>

6. Et illam auctoritatem, qua Dominus ait: «*Nonne vos duodecim*<sup>aaaaaaaaaaaaaa</sup> *elegi?* », <sup>785</sup> ostenderunt periti non esse contrariam sententiis Hieronimi et Augustini, quia quando illud dictum est, nondum erant electi septuaginta duo<sup>bbbbbbbbbbbbbb</sup> alii – postea enim electi fuerunt ab ipso Domino et missi velut agnos inter lupos –, <sup>786</sup> vel quia, sicut jam dictum est, duodenarius perfectum numerum monstrat et per illos duodecim electos omnes perfecti electi signantur. Nec ibi aliqua contrarietas est ubi

<sup>779</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Acta Lemov.* (éd. P. Labbé, p. 871<sup>A</sup>).

<sup>780</sup> Matth. 19, 28.

<sup>781</sup> cf. I Cor. 15, 10: abundantius illis omnibus laboravi.

<sup>782</sup> Sedebitis super – gentes iudicabuntur] AUG., *Civ.* XX, 5.

<sup>783</sup> Ergo sicut – perfectorum ... sicut – mundo erunt] AUG., *In psalm.* XL, 9-10.

<sup>784</sup> *Manque dans* ADEMAR. CABANN., *Acta Lemov.* (éd. Labbé).

<sup>785</sup> Ioh. 6, 71.

<sup>786</sup> cf. Luc. 10, 3: ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

dicitur : « *Nonne duodecim<sup>cccccccccccccc</sup> horæ sunt diei ?* »<sup>787</sup> Quia in duodecim<sup>dddddddddddddd</sup> horis omnes predicatorum qui mundum inluminaverunt predicatione sua designantur.

7. Senior vero, qui sermonem fecerat quique hæc legerat, adjunxit dicens quia tanta auctoritas in Hieronimo est, ut nemo ex toto mundo recte possit contradicere huic rationi, qua iste doctor Aquitanicæ discipulus Domini et condiscipulus Petri dicitur apostolus esse. Qui hoc facere vult nullo modo potest reprehendi, quia nullo modo mentitur. Qui facere non vult, in sua conscientia est cur non vult concordare veritati illi, quæ rationabilior est. Aut ille sapientior est Hieronimo et Augustino et Paulo apostolo, qui extra undecim<sup>eeeeeeeeeeeeee</sup> alios dicit fuisse apostolos, et illis sanctis patribus Aquitanicis, qui eum apostolum confessi sunt in suis scriptis quibusdam et in ordine et gradu apostolorum cum apostolis eum scripserunt ; aut stultior est brutis animalibus, quæ nihil per rationem utpote irrationabilia aliquando agunt, sed per sensuum bestialium consuetudinem vitam suam totam explent.<sup>788</sup>

8. Tunc quidam ex majoribus patribus, qui primus post episcopos assidebat, stetit in medio, adjurans quendam ex sapientioribus patribus monachorum,<sup>789</sup> qui cum archiepiscopo Bituricensi ad ipsum concilium advenerat, et dixit : « Per Deum et per ipsum sanguinem sancti Stephani, ante cujus adstamus altare, obtestamur vos, o venerabilis pater, ut coram omnibus veritatem dicatis, quæ consuetudo est antiqua de beato Marciale in vestris locis, quia, sicut vos liberalibus artibus in Francia institutus estis et in palatio regis inter clericos gloriosior fuistis, et in illo monasterio,<sup>790</sup> quod sapientia et religione et gloria et dignitate omnia monasteria Franciæ superexcellit,

<sup>787</sup> Ioh. 11, 9.

<sup>788</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Acta Lemov.* (éd. P. Labbé, p. 876-883).

<sup>789</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Acta Lemov.* (éd. P. Labbé, p. 871) : quidam literarum peritus, monasterii Massiacensis pater Azenarius.

*Il s'agit d'Azenaire, abbé de Saint-Martin de Massai en Berry († 1034), élevé à Saint-Benoît sur Loire, qui a reçu l'habit monastique de Gauzlin (archevêque de Bourges).*

<sup>790</sup> Saint-Benoît-sur-Loire, comm., cant. Ouzouer-sur-Loire, arr. Orléans, Loiret.

habitu[m] monasticu[m] suscepistis, per manus ejus qui ætate senex et sapientia magnus ipsius monasterii abbas et sedis Bituricensis archiepiscopus<sup>791</sup> erat, et multis annis in ipso monasterio Deo militastis, et demum ab ipso rege,<sup>792</sup> quem novimus religiosum in omni pietate et sapientissimu[m] in liberalibus studiis litterarum, curam pastora[m] in ejus monasterio Bituricensi suscepistis, ita in hoc concilio inter nos excellere fatemur auctoritatem vestram<sup>ffffff</sup> de omni veritate, et quicquid dixeritis de hac questione omnino suscipiemus pro intemerato testimonio veritatis. »

9. Tunc ille venerabilis pater, sicut a dextris archiepiscopi assidebat, ita respondit : « Per Deum et per ipsum sanguinem sancti Stephani protomartiris, veritatem coram domnis episcopis pronuntio, quia numquam apud nos nec vidi nec audivi de beato Marciale aliud agere nisi apostolum, et in omnibus lætaniis nostris ab antiquitate scriptus est cum aliis apostolis in ipso ordine apostolico ubi Petrus et Paulus scripti sunt. Sed postquam abbas extiti, in lætaniis quæ inter vos scriptæ sunt, ubicumque eum potui reperire scriptum in ordine confessorum, mox emendare curavi et abstuli nomen ejus de gradu in quo non est, et misi in gradu apostolico in quo eum Deus misit. » Ipsumque patrem protestari audivimus quia : « Dum, inquit, Hierosolimam pergerem antequam monachus essem, in vigilia Pentecostes deveni Constantinopoli ad sanctæ Sophiæ basilicam, et in lætaniis missarum me audiente Greci recitaverunt Marcialem in ordine aliorum apostolorum secundum consuetudinem locorum nostrorum. »<sup>793</sup>

10. Tunc archiepiscopus ait : « Sicut antecessor meus archiepiscopus tenuit, sic ego tenere me profiteor, et publice excommunicabo die crastina omnes illos qui ultra<sup>gggggggggggggggg</sup> abnegaverint apostolum esse beatum Marcialem protectorem nostrum et patronum tocius Aquitaniæ primumque doctorem. »

<sup>791</sup> Gauzlin, fils naturel d'Hugues Capet (946-996), † 8 mars 1030.

<sup>792</sup> Robert le Pieux (970-1031).

<sup>793</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Acta Lemov.* (éd. P. Labbé, p. 871<sup>E</sup>).



11. Episcopus autem Lemovicensis sive primas, nomine suo dignus domnus JORDANUS, quasi Jordane a flumine, in quo Dominus baptizatus est, trahens nomen, sic ait : « Sicut auctoritas papæ Romani domni Johannis<sup>794</sup> longe ante auctoritate sua cum sapientissimo episcopo sanctæ Rufinæ nomine Petro,<sup>795</sup> et cum clericis Romanæ ecclesiæ decrevit, quando altare beati Marcialis in basilica sancti Petri fecit et consecravit,<sup>796</sup> sic decrevit concilium [fol. 95] Bituricense quod nuper fuit per domnum archiepiscopum presentem cum aliis plurimis episcopis, ubi pro me advocatum meum misi venerabilem patrem sapientissimum abbatem Odolricum. Itaque sicut auctoritas Romanæ sedis et concilium Bituricense confirmaverunt, ita et ego confirmo et omnibus subjectis nostris observandum jubeo, et solitam consuetudinem mutari in meliorem esse optimum judico. Et sicut in lætaniis Anglorum gentis probavimus eum scriptum esse antiquitus non in confessorum, sed proprie in apostolorum ordine, in qua gente sanctus Gregorius papa<sup>797</sup> per discipulos suos ecclesiasticas consuetudines misit, ita et in lætaniis nostris fieri deinceps jubeo. Et sicut in lætaniis, ita et per omnia apostolus officia divina sit, ne consentire videamur illis imperitis et scismaticis qui ejus preclara gesta affirmare presumunt falsa. Propter illos enim hæc questio inter nos commota est. Credimus itaque quia ejus gesta vera sunt et quia, sicut ibi scriptum est, discipulus Domini fuit et potestatem apostolicam in ligando et solvendo a Domino accepit et a Domino per beatum Petrum ad nos apostolus missus est, Hebreus ex Hebreis de tribu Benjamin, et omnium gentium linguas per Spiritum Sanctum novit ; et sex mortuos suscitavit et multa preclara miracula fecit in nomine Christi, et Stephanum regem Galliarum et omnem Aquitaniam baptizavit, et idola comminuens dæmonia ex gente occidua eliminavit ; et sicut virgo fuit corde simul et corpore, ita sine dolore

<sup>794</sup> Jean XIX, pape (1024-1033), à qui Adémar a attribué une lettre attestant l'apostolicité de saint Martial (= ADEMAR. CABANN., *Epist. Ioh.*).

<sup>795</sup> Pierre II, cardinal de Sainte-Rufine (1029-1049).

<sup>796</sup> 13 mai 1031 (*cf. Regesta pontificum Romanorum*, I, p. 359).

<sup>797</sup> Grégoire I, pape (590-604).

passionis sicut et Johannes evangelista exivit. Nec mirum nobis est quia in Evangeliiis non legitur, quia non omnia gesta Salvatoris, non omnes ejus discipuli in Evangeliiis scripti<sup>hhhhhhhhhhhhhh</sup> sunt. Nec miramur si in Actibus apostolorum non scribitur, quia nec Petrus in Antiochia prefuisse in eodem libro legitur. Et sicut ille extremus in extremis mundi partibus occiduis adventum Domini nuntiavit, ita a doctoribus orientalibus velut ignotæ gentis predicator prætermisus est. Gregorius autem, qui gentem Anglorum per discipulos suos convertit, et cæteri plures antiqui patres per diversa loca, qui ejus nomen in lætaniis cum aliis apostolis scripserunt, sciebant eum cujus gradus esset, nequaquam ignorantes eum de apostolico ordine, gradu et societate esse, qui eum una cum aliis apostolis scripserunt. »<sup>798</sup>

12. Tunc quidam qui adstabant in concilio dixerunt : « Si Marcialis recte apostolus est et eodem ordine quo Paulus et Barnabas apostoli sunt apostolus est, Saturninus Tolosæ episcopus et Frontus Petragoricensis,<sup>799</sup> quoniam a Petro missi dicuntur<sup>iiiiiiiiiiii</sup>, apostoli erunt ; Dionisius Parisiacensis et Julianus Cænomannensis,<sup>800</sup> quia apostolos vidisse<sup>iiiiiiiiiiiiii</sup> dicuntur, apostoli nobis erunt. »<sup>801</sup>

13. Periti vero dixerunt : « Si isti quos dicitis Hebrei essent genere, si omnes linguas gentium nossent, si unusquisque non solum unam civitatem, sed integram provinciam convertissent, merito apostoli essent. Et sicut in antiquis est sapientia et in multo tempore prudentia, si illi apostoli essent, profecto ab antiquitate per plures locos in lætaniis scripti jam essent in ordine apostolorum, sed ex illis patribus qui ante nos usque modo fuerunt, nullus aliquem de his antiquis sanctis qui a Roma in Galliam venerunt scripsisse potest inveniri inter apostolos, nisi solum beatum Marcialem. Nec est ista institutio nova, sed reformata vetusta in suum statum ; nec in patribus

<sup>798</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Acta Lemov.* (éd. P. Labbé, p. 882 et 887<sup>A</sup>).

<sup>799</sup> Saturnin, évêque de Toulouse († 257), et Front, évêque de Périgueux (III s.).

<sup>800</sup> Denis, évêque de Paris († c. 250), et Julien, évêque du Mans (III s.).

<sup>801</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Acta Lemov.* (éd. P. Labbé, p. 875).

terminorum transgressio, sed legitima stabilitas. Hic certe nulla est presumptio novitatum, nulla novitas, nulla superstitio, ubi non nova sed vetusta institutio ostenditur, ubi patres antiqui statuerunt quod nos necessario confirmamus. Sicut<sup>kkkkkkkkkkkkkkkk</sup> autem *nihil novum sub sole neque valet quisquam dicere* : “*Ecce, hoc recens est !*”, ita in hac re ‘nihil’ est ‘novum neque valet quisquam dicere : “*Ecce, hoc recens est*’, quod patronus Aquitaniæ Marcialis predicatur apostolus !” *Jam enim precessit in patribus ante nos* quod antiquus et verus apostolus, non novus, non pseudo, et ab antiquitate, non a sola novitate dictus est.<sup>802</sup> Impossibile autem et nefas est institui ulterius quod ab antiquitate non probatur et quod statutis patrum antiquorum contraire videatur. »

14. Hæc et his similia de hac re multa in concilio dicta sunt, et veritas defensa et collaudata est, et contentio de medio Ecclesiæ destructa et finita est. Quia sicut veritas super omnia vincit, ita iniquitas de media<sup>mmmmmmmmmm</sup> fraternitate tollenda erat, ut nihil per contentionem ageretur.

15. In absoluteione autem concilii, coram infinita multitudine populi, presentibus episcopis et principibus, audivimus archiepiscopum Bituricensem post alia hæc dicentem : « Omnibus subditis nostris denuntio, per ipsam auctoritatem quæ mihi commissa est, ut, sicut a patribus antiquis et ab apostolico Romæ sedis et a concilio Bituricensi et ab isto concilio beatus Marcialis pater noster et inluminator tocius nostræ<sup>mmmmmmmmmmmmmmmm</sup> occiduæ gentis in veritate predicatus est esse apostolus domini nostri Jesu Christi, eodem ordine quo Paulus et Barnabas dicuntur apostoli, ita a die presenti et in reliquum a nobis et ab omnibus subditis nostræ diocesi civitatibus in omnibus divinis officiis et orationibus et libris predicetur et scribatur unanimiter apostolus, et nulla dissensio ulterius, nullum scisma, nulla contentio ex hac re fiat neque inter clericos neque inter laicos. Et si quis post istum presentem diem ulterius

---

<sup>802</sup> Eccl. 1, 10.

aliquando huic sententiæ, quæ secundum pietatem et veritatem et voluntatem Dei Deo placita est et, inspirante Sancto Spiritu, ab antiquis et ab apostolica Romana sede et a nobis concorditer confirmata est, contraire voluerit, vel blasphemiam vel scisma vel contentionem vel contraria suscitare aliquo modo vel publice vel clam presumpserit, tamquam contrarius patribus sanctis, tamquam contemptor apostolicæ sedis, tamquam violator sancti concilii Bituricensis et hujus quod modo celebratum est, tamquam hostis et inimicus pacis et veritatis, sit extorris a sancta Civitate et regno Dei. »<sup>803</sup>

16. Omnis Ecclesia, tamquam sub uno spiritu, una voce clamavit dicens : « Amen, sic fiat ! » Hoc ipsum secundo et tercio archiepiscopus cum Jordano episcopo et aliis episcopis confirmavit, et secundo et tercio [fol. **95v**] ab omni ecclesia uno ore et una voce confirmatum est.

17. Sicut autem versus iste, qui dicit filium Dei perfectum Deum et perfectum esse hominem, ‘ex anima rationali et humana carne’ subsistentem, in illo concilio commemoratus est, sed non expositus, ita hoc testimonium ipsius concilii de beato Marciale memoravimus, ne aliqua inter vos surgat de hac re contentio ; sed sicut a majoribus probatum et discussum atque confirmatum est, ita sine offensione et absque scandalo tenete et alios docete observandum !<sup>804</sup>

---

<sup>803</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Acta Lemov.* (éd. P. Labbé, p. 890-891).

<sup>804</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Acta Lemov.* (éd. P. Labbé, p. 892<sup>E</sup>).

¶CII

Sequitur versus Psalmi de domino Jesu Christo : *Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* Hoc dicit quia unus dominus Jesus Christus, in eo quod Deus est ante secula, æqualis per omnia est Deo Patri ; in eo quod homo est, minor est Patre, sicut ipse ait : *Pater major me est.*<sup>805</sup>

---

<sup>805</sup> Ioh. 14, 28.

### ¶CIII

***Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Christus.*** Sicut ille, dum Deus esset, *formam servi assumere dignatus est,*<sup>806</sup> ita in se habet duas substantias, hoc est veram deitatem et veram humanitatem ; sed non habet in se duas personas, sed unam tantum personam, quia in Patre et Filio et Spiritu Sancto, qui est perfectus unus Deus, non est quaternitas, sed trinitas.<sup>807</sup>

---

<sup>806</sup> Phil. 2, 7 : s. accipiens ; sic VL.

<sup>807</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 590<sup>A</sup>).

[[CIV

*Unus autem non conversione divinitatis in carne, sed assumptione humanitatis in Deo.* Sicut enim divinitas est incommutabilis et inconvertibilis, ita deitas filii Dei non transmutata est in carne, ut non esset simili modo verus et invisibilis Deus sicut erat ante secula, sed ideo una est persona Deus et homo in duabus naturis, quia humanitatem Deus assumpsit in se et incepit esse homo, quod ante non erat, et non amisit deitatem veram, quod semper erat, et immutabilis in æternum permanet.<sup>808</sup>

---

<sup>808</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 590<sup>A</sup>).

## [ICV

***Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*** Hoc dicit quia tantummodo est unus dominus Jesus Christus in divinitate et humanitate, quia divinitas filii Dei inmutabilis cum homine, quem assumere dignatus est, una<sup>nnnnnnnnnnnnnnnnnnnn</sup> persona est, sicut scriptum est : *In æternum, Domine, verbum tuum permanet.*<sup>809</sup> Hoc est divinitas cum humanitate una est persona. Et sicut sunt duæ substantiæ et duæ naturæ in uno domino Jesu Christo, ita non duæ personæ, sed una persona est in eodem Christo. Et sicut ante assumptionem carnis filii Dei æterna fuit trinitas, ita post veram assumptionem humanæ naturæ, quam solus filius Dei assumpsit, vera permanet sancta Trinitas Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Nec propter assumptionem humanæ carnis, qua Dei filius de sancta Virgine incarnatus est, quaternitas est in Deo. Absit talis cogitatio a cordibus Christianorum ! Nullus enim fidelium nec dicere nec sentire nec cogitare aliquando debet hoc ut sit in Deo quaternitas propter incarnationem Christi, sed ita omnes secundum veram catholicam fidem credimus, sicut supradictum est, quia unitas in trinitate et trinitas in unitate perfectus Deus est verus Pater et Filius et Spiritus Sanctus.<sup>810</sup>

---

<sup>809</sup> Ps. 118, 89.

<sup>810</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 590<sup>B</sup>).



## [C]CVI

Sequitur : *Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.* Hoc dicit quia Dei filius sic conjunctus est in una persona Deus et homo, sicut et ego qui loquor sum una persona conjunctus de duabus naturis purus homo de anima rationali, hoc est intelligibili, et de carne mortali et lutea, hoc est ex luto creata : factus est enim Adam ex limo terræ. Et sicut sol et ignis, dum aliquid in mundum tangunt, nullatenus se coinquant, sed quod tangunt purgant, ita Dei filius, dum nostræ redemptionis conditione mortalem et luteam nostram carnem assumere dignatus est, nullatenus deitatem suam coinquinavit, sed carnem nostræ naturæ a maculis et sordibus peccatorum et vitiorum expiavit, sicut Isaias ait : *Ipse infirmitates nostras accepit et ægrotationes portavit.*<sup>811</sup> Ad hoc enim homo factus est, ut infirmitates nostras tolleret. Et sicut ipse salus mundi nullam in se infirmitatem vel ægrotationem vel peccatum habuit, ita omnes infirmitates et dolores nostros a nobis abstulit, dum gratia atque sacramento passionis suæ abstulit cirographum mortis et redemptionem ac salutem animarum nobis condonavit.<sup>812</sup>

---

<sup>811</sup> cf. Is. 53, 4 ; Matth. 8, 17.

<sup>812</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 590<sup>c</sup>).

## [[CVII

1. ***Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis.*** Sicut Dei filius secundum divinitatem impassibilis est, ita secundum humanitatem, in qua pati potuit et mori, passus est, ut nos salvaret, mortuus est, ut nos resurgere faceret. Et dum corpus Christi mortuum esset ac sepultum, anima ejus cum divinitate descendit ad inferna, ut infernum et mortem destrueret, ut Adam protoplastum et patriarchas et prophetas, et omnes justos, qui pro originali peccato ibidem tenebantur, liberaret. Nam ipsos mortuos de vinculis peccatorum absolvit et de ejusdem captivitatis infernali loco suo sanguine redemptos extraxit et ad supernam patriam et perpetuæ vitæ gaudia revocavit. Alios qui supra originale peccatum principales culpas commiserant, ut Pharaonem et Nabuchodonosor et Hieroboam et Hærodem<sup>oooooooooooooooo</sup>, qui *pueros interfecerat a bimatu et infra*,<sup>813</sup> et Antiochum, et ceteros, a poenali Tartaro non extraxit.<sup>814</sup>

2. Sicut propheta in persona Domini ait : « *Ero mors tua, o mors ; ero morsus tuus, inferne !* »<sup>815</sup>, Christus dominus morte sua interfecit mortem inimicam humani generis, et vitam omnibus in se credentibus dedit. Et sicut quod nos mordemus partem tollimus, partem relinquimus, ita Dominus spolians infernum momordit,<sup>816</sup> quia quos voluit liberavit, quos noluit liberare reliquit. Justos liberavit, qui eum semper crediderant et expectaverant in carne venturum et criminalia peccata non admiserant ; impios reliquit, qui pro principalibus criminibus in tormentis juste remanserunt, sicut Judas traditor et alii, qui juste semper in inferno ardebunt.<sup>817</sup>

3. Sicut autem ipse est *primogenitus mortuorum* et primogenitus ex multis fratribus, ita quando *resurrexit a mortuis*,<sup>818</sup> primus resurrexit et multa sanctorum dormientium corpora cum eo

<sup>813</sup> Matth. 2, 16 : p. occidit a ; VL : interfecit.

<sup>814</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 591<sup>A-B</sup>).

<sup>815</sup> Os. 13, 14.

<sup>816</sup> GREG. M., *Moral.* XII 11.

<sup>817</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 591<sup>B</sup>).

<sup>818</sup> Apoc. 1, 5.

*surrexerunt.*<sup>819</sup> Sic ipse qui caput est prius resurrexit, deinde qui membra ejus erant continuo resurrexerunt.<sup>820</sup>

---

<sup>819</sup> Matth. 27, 52.

<sup>820</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 591<sup>B</sup>).

## [ICVIII]

1. Postea, ut ait versus hujus Psalmi : *Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus judicare vivos et mortuos*. Complevit enim quod scriptum erat : *Ascendit in altum ; captivam duxit captivitatem*,<sup>821</sup> hoc est humanam naturam, quam diabolus captivaverat per peccatum et venundaverat in mortem,<sup>822</sup> ipsam redemit a morte sanguine suo et captivam traxit de diabolo in caelestem altitudinem, et ad regnum sempiternum caelestis patriae duxit, ubi antea non fuerat, et eam collocavit in gloria sempiterna.<sup>823</sup>
2. ‘Sedet ad dexteram Dei Patris’, hoc est in paterna prosperitate, in paterno honore, et in paterna gloria, quia Deus est aequalis Patri per omnia, sicut erat aequalis ante secula. Ipse Deus Jesus Christus veniet ad judicandum ‘vivos et mortuos<sup>pppppppppppppppp</sup>’, [fol. 96] quia ipse judicabit justos, id est vivos, judicabit mortuos, id est impios. Justis dicturus est : « *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab initio mundi !* »<sup>824</sup> Impiis dicturus est : « *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis<sup>qqqqqqqqqqqqqqqq</sup> ejus !* »<sup>825</sup> Item vivos judicabit, eos qui tunc in corpore viventes erunt quando Dominus veniet ; judicabit mortuos, id est qui jam antea sepulti sunt et mortui ab initio mundi, et tunc resurgent ad vocem filii Dei.<sup>826</sup>

<sup>821</sup> Eph. 4, 8 : ascendens i. ; sic VL.

<sup>822</sup> cf. RUFIN., *Symb.* 15 (col. 353).

<sup>823</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 592<sup>A</sup>).

<sup>824</sup> Matth. 25, 34 : r. a constitutione m.

<sup>825</sup> Matth. 25, 41.

<sup>826</sup> PS. VEN. FORT., *Expos. fidei* (PL, 88, col. 592<sup>A</sup>).

**¶CIX**

Tam vobis, sacerdotibus, qui pro aliis reddituri estis rationem, quam omnibus generaliter timendus est iste versus : *Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem.* Sicut omnes viri in sexu virili et omnes feminæ in sexu femineo resurgent, boni in gloriam, mali in damnationem, ita boni pro benefactis, mali pro malefactis dabunt rationem.

¶CX

*Et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum.* O vos, sacerdotes, qui speculatores in populo estis, sic tam vos quam vobis subditos hic bene tractate, ut in illo districto iudicio remunerationem accipiatis a Deo !

## [CXI]

1. Novissimus hic versus est : *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit salvus esse non poterit.* Hæc diximus vobis de fide sanctæ Trinitatis, non ut dicamus aliquem de vobis paganum aut hæreticum, sed quia valde prodest omnibus frequentissime recensere catholicam fidem. Et fides vita sanctorum est et arma inexpugnabilia contra diabolum, et sicut justos nos facit fides in corde, ita salvos nos facit fides in ore, sicut ait apostolus : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*<sup>827</sup>

2. Et sicut quisquis fideliter et firmiter non credens<sup>xxxxxxxxxxxx</sup> nullo modo salvus erit, quamlibet bonis actibus videatur magnus, ita qui fideliter et firmiter in fide catholica, sicut scripta est in hoc Psalmo, crediderit et fidem operibus tenuerit vere in æternum salvus erit. Et sicut per quadraginta duas<sup>xxxxxxxxxxxx</sup> mansiones populus Israël pervenit de Ægipto in terra repromissionis, ita per hos quadraginta duos<sup>xxxxxxxxxxxx</sup> versos hujus Psalmi potest quis pervenire de infidelitate ad veram catholicam fidem, per quam introducetur ad terram viventium, quæ est regnum cælorum.

3. Et sicut nullus clericus debet ignorare hunc Psalmum catholicæ fidei, ita nullus laicorum utriusque sexus et ætatis congruæ debet ignorare Sinbolum apostolorum et Orationem dominicam. Quia, sicut in hoc Psalmo perfecta est fides, ita in illo Sinbolo perfecta fides orthodoxa et catholica est, per quam vere credimus sanctam Trinitatem Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum et verum Deum, cui est benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio ; honor et virtus et fortitudo Domino nostro, qui destruet sub omni velocitate sub pedibus nostris opus Satanæ et infestantes nobis omnes impios inimicos nostros, *nobis autem de tribulatione dabit auxilium* trinus et unus dominus Deus noster,<sup>828</sup> qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

---

<sup>827</sup> Rom. 10, 10.

<sup>828</sup> Ps. 59, 13 ; Ps. 107, 13.

ITEM SERMO IN CONCILIO VEL SINODO [1].<sup>829</sup>

## [CXII]

1. Quoniam in omni concilio, dilectissimi, in primis fundamentum omnium bonorum debet preponi, hoc est catholica et orthodoxa fides, ideo nunc proferimus de fide sanctæ Trinitatis, secundum Nicenum concilium trecentorum decem et octo patrum episcoporum.<sup>830</sup> Deus enim verus, in quem vere credimus, in quem apostoli et omnes sancti vere crediderunt, in quem angeli credunt et omnis sancta Ecclesia catholica credit, **credimus** vere quia unus est Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Et quia vere Deus Pater est, **eo quod habet Filium**, et Filius est, **eo quod habet Patrem**, et Spiritus Sanctus est, **eo quod sit ex Patre et Filio procedens**, et est **coæternus Patri et Filio**.
2. **Et Pater est principium deitatis. Qui sicut numquam fuit non Deus, ita numquam fuit ut non esset Pater. Et a Patre Filius est natus. Et a Patre Spiritus Sanctus non natus est, quia ipse Spiritus Sanctus non est filius neque genitor, quia non est pater neque factus est, sed ex Deo Patre et Filio Deus procedens est.**
3. Et Deus **Pater æternus** est, **eo quod æternum habet Filium, cuius æternus ipse est Pater**. Et **filius Dei æternus** est, **eo quod est Patri coæternus**. Et sicut **Spiritus Sanctus est æternus Deus, ita est Patri et Filio coæternus**.
4. Et sancta **Trinitas non est confusa in una persona, ut Sabelliani hæretici dixerunt, neque natura sanctæ Trinitatis est separata aut divisa, ut arriani hæretici blasphemaverunt ; sed in persona alter est Pater, in persona alter est Filius, in persona**

<sup>829</sup> *cf. etiam* BONIF. MOGUNT., *Serm.* 1, 2 (col. 844<sup>C</sup>-845<sup>A</sup>).

<sup>830</sup> Concile de Nicée (325).



alter est Spiritus Sanctus. Et per unam naturam in sancta Trinitate, unus est Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.<sup>831</sup>

---

<sup>831</sup> GENNAD., *Dogm.* 1 (*PL*, 58, col. 979<sup>C</sup>-981<sup>A</sup>): c. unum esse deum patrem, e. filium, e. spiritum sanctum, patrem e. ; f. habeat, filium e. ; p. habeat, spiritum sanctum e. ; p. ergo p. ; a quo f. ; a quo s. ; n. inginitus, q. ; f., quia non est ex nihilo, s. ; e. deo f. ; e. habeat f. ; e. sit p. ; q. sit p. ; e., eo quod sit p. ; u. Sabellius dicit, n. ; d. in n. divinitas, u. Arius blasphematur, s. ; u. natura i.



4. Hoc diximus paucis de fide catholica, nunc dicemus de aliis quæ ad ministerium sacerdotale et ad sinodum pertinent : de vestimentis, de ecclesiis, de altariis, de vasis sacris, de predicatione populi, de sacramentis, de baptismo, de infirmis, de superstitionibus, de excommunicatione, de excommunicatis, de pœnitentiis, de pœnitentibus, de negligentia sacramentorum ; de aqua in calice, de sepulturis, de decimis, de dominicis diebus, de latronibus, de rapacibus, de presentibus questionibus, et de caeteris aliis quæ opus fuerint ; de ebriis, incestis, incontinentibus, contentiosis, sodomiticis, homicidis, pecualibus, id est cum pecore ; de periuriis.<sup>vvvvvvvvvvvvvvvv</sup> EXPLICIT. [fol. 96v]

---

Apollinariste dicunt, s. ; d., ut nec d. mutaretur i. ; s., assumendo hominem, n. ; d., quia m. ; n. et d.

ITEM IN CONCILIO [2].<sup>834</sup>

1. Sicut conveniens et pulchra consuetudo est in omni sinodo, primum loqui de fide catholica, ita nunc de ea strictim loquemur, antequam de ceteris ad sinodum pertinentibus dicamus.

2. Scimus enim quia **ad veram beatitudinem** nisi per fidem catholicam **pervenire** nemo poterit. Omni enim homini qui ad veram beatitudinem festinare vult, **primo omnium fides necessaria est, sicut apostolica auctoritas docet dicens : *Sine fide, impossibile est placere Deo.***<sup>835</sup> Constat ergo neminem ad veram pervenire posse beatitudinem, nisi Deo placeat, et Deo neminem placere posse, nisi per fidem.

3. **Fides namque catholica bonorum omnium est fundamentum. Fides orthodoxa est humanæ salutis initium. Nisi hanc habuerit, nemo, quamvis aliis operibus iustus, **ad filiorum Dei potest consortium pervenire. Sine catholica fide in hoc seculo nemo consequitur gratiam iustificationis, nec in futuro vitam possidebit æternam.** Tanta dignitas et utilitas est in fide catholica, ut, si quis hic non ambulaverit per fidem, non perveniet in futuro ad speciem beatæ<sup>www</sup> **visionis domini nostri Iesu Christi.****

4. **Proinde** admonete, o sacerdotes, plebes vobis commissas, ut filios suos et filias in ætate congrua mox doceant fidem catholicam, id est Simbolum apostolorum, et Orationem dominicam, ut omnes Christiani per Orationem dominicam orare Deum sciant, et per Simbolum confiteri verum Deum secundum catholicam fidem noverint. Et sicut **omnis anima rationalis ætate congrua debet discere fidem orthodoxam** in Simbolo, ita **maxime populi christiani predicatorum, et ecclesiarum Dei doctores** – hoc estis vos, o sacerdotes Christi ! –, sicut a patribus scripta est debetis fidem catholicam

<sup>834</sup> *cf. etiam* FULG. RUSP., *Fid.* 1-2 ; BONIF. MOGUNT., *Serm.* 1, 1 (col. 843<sup>c</sup>-844<sup>c</sup>).

<sup>835</sup> Hebr. 11, 6 : f. autem i. ; *sic* VL.

discere, **ut possitis veritati contradicentibus** futuris hæreticis et Antichristi prenuntiis **resistere, et catholicam amantibus pacem prodesse. Quomodo docere** possumus, **quod non didicimus ? Vel qualiter pastores esse potestis, si gregem vobis commissum panem vitæ pascere ignoratis ?**

5. Ideo illam consuetudinem patrum tenere debetis, ut Psalmum catholicæ fidei hora prima cotidie cantetis, et Simbolum parvum bis per omnes dies dicatis, et maius Simbolum omnibus dominicis diebus ad omnes missas post Evangelium recitetis ; similiter in Natale Domini et Epifania et Ypopanti et Ascensione.<sup>836</sup> Et si quem forte videritis aliquid in his contradicentem, quicumque ille est quasi diabolum eum estimate, et ab eo fugite sicut a pessimo dracone, quia de nuntiis Antichristi est !

6. Et sicut sapiens non erubescit discere quod ignorat, ita sciens et intelligens non debet esse tardus docere plebem quod novit. Ideo enim constitutum est a patribus ut fiant concilia, quatinus convenientes multi ibi discant bonum quod ignorant. Ideo ad sinodum convenitis, ut hic quæ ignoratis discatis, et quæ bona didiceritis, revertentes ad vestras ecclesias, plebem ignorantem doceatis. Et si quidam ex vobis nihil aliud multocius in sinodo audiunt, quam quod sciunt et quod iam audierant, tamen reductio frequens in memoriam multum prodest, ne a cordibus vestris excidat per oblivionem quod semper retinendum est sine oblivione.

7. Et sicut vos, pastores plebis, **Domino acceptæ pecuniæ rationem reddituri** estis, ita fideliter verbum Domini non solum singulis semper<sup>xxxxxxxxxxxxxxx</sup> privatim, sed etiam omni plebi frequenter per dies dominicos, et per alios dies festos pronuntiare debetis. Et qui melius nescit docere de fide catholica, hoc saltem post Evangelium omnibus dicat : « Fratres, sicut dictum est in hac Credulitate quæ dicta est, sic credite in Deum creatorem vestrum, hoc est sancta Trinitas unus Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Et sicut baptizati estis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et signatis

<sup>836</sup> cf. supra Sermo de euch. IV 2.

vos signo sanctæ Crucis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, sic credite et dicite quia non est alius Deus nisi Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Et sicut Deo promisistis in baptismo, ita observate et salvi eritis ! Et quando in die iudicii omnes in carne resurgetis, illi qui mandata Dei observant modo recipient gloriam in centuplo ; et qui male agunt modo damnabuntur tunc cum diabolo in inferno. »

8. Tunc admonete eos de iustitia, ut iustum iudicium inter se faciant, et de hospitalitate et elemosinis, et ut caveant se ab homicidio, ab adulterio, a furto, a falso testimonio, ab esu sanguinis, a morticinis, ab immunditia abhominabili cum<sup>yyyyyyyyyyyyyyyy</sup> masculis et pecudibus, a periurio, ut mundi in ecclesiam ingrediantur, ut omnibus diebus dominicis et noctibus sabbatorum, et omnibus ieiuniis precedenti et subsequenti nocte, et omnibus sollempnibus festis precedenti nocte et subsequente cum ipsis diebus, abstineant se coniugati ab uxoribus suis ! Deinde admonete eos de penitentia, et de aliis multis quæ debent bona facere, et mala declinare !

9. Tunc tamquam fideles servi, desiderabilem vocem Domini in illo seculo audietis : « *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui !* »<sup>837 838</sup>

10. Deinde vertat sermonem ad alia quæ voluerit, et de vestimentis, de ecclesiis, et ceteris quæ ad publicam legem sinodi pertinent.

---

<sup>837</sup> Matth. 25, 23.

<sup>838</sup> ALCUIN., *Trin.* I 1 (col. 13<sup>D</sup>-14<sup>C</sup>): denique a. ; p. volentibus p. ; i., sine hac n. ; p., quia s. ipsa nec i. ; s. quisquam i. ; e., et s. ; c. discat f. catholicam, m. ; u. possint v. ; q. docebit quis q. ; n. didicit, v. ; q. pastor e. poterit, s. ; g. sibi c. ; p. ignorat, nec erubescat nesciens d. ; i., nec sciens tardus sit d. ; n., sciat uterque se suo d. ; r. redditurum, t. ; d. dicentis, e.

**ITEM IN SINODO [3].<sup>839</sup>**

1. Sicut, dilectissimi, patres nostri, qui ante nos Deo placuerunt, in omnibus conciliis vel sinodis primitus disserebant de fide catholica, ut veri Christiani ostenderentur esse et Deum diligentes, ita in vestra sinodo, antequam de aliis rebus vobis necessariis dicamus, proferre debemus ad proprium honorem Dei et vestram salutem succinctim de vera fide, quæ sit vera fides Christianorum.

2. **Omnis scriptura Veteris ac Novi Testamenti divinitus inspirata, si catholice, hoc est recte, intelligitur, hoc insinuat esse veram fidem Christianorum, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus est Deus, et unam substantiam et unam essentiam habet, et inseparabilis est per unitatem divinitatis.**

3. **Et sicut non sunt tres dii, sed unus Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus, ita Pater Filium genuit ineffabiliter, sicut scriptum est : « Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex utero ante Luciferum genui te. »<sup>840</sup>**

4. **Et sicut Filius non est qui Pater est, quia Filius a Patre genitus est, ita Pater non est qui Filius est. Et Spiritus Sanctus nec Pater est nec Filius, sed tantum Patris et Filii spiritus est, a Patre et Filio procedens ineffabiliter, et Patri et Filio per omnia coæqualis, et pertinet ad unitatem sanctæ Trinitatis.**

5. **Et hæc sancta Trinitas, unus est verus Deus, ex quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia sunt, sicut beatus Paulus apostolus attestatur, ubi ait : « Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum ! »<sup>841 842</sup>**

<sup>839</sup> cf. etiam FULG. RUSP., *Fid.* 6.

<sup>840</sup> Ps. 109, 3.

<sup>841</sup> Rom. 11, 36 : s. amen ; sic VL.

<sup>842</sup> ALCUIN., *Trin.* I 2 (col. 14<sup>C</sup>-15<sup>A</sup>) : o. itaque s. ; u. sit d. eiusdem substantie, uniusque essentie atque i. in divinitate unitatis, ideoque n. ; s., quamvis p. ; f. genuerit, e. ideo f. ; n. sit q. ; e., filiusque a ; p. sit g., et ideo p. ; n. sit q. ; p. sit, n. ; f. etiam ipse c. ; t. pertinens u. ; o., beato Paulo apostolo attestante, u.

6. Diximus de principio salutis, nunc dicemus de his quæ proprie sinodo conveniunt. Tunc dicat de vita sacerdotum, de gradibus ordinum, de clericatu, id est tonsura, de habitu clericali, de officio hostiarii, lectoris, exorcistæ, acoliti, subdiaconi, diaconi, presbiteri, episcopi, archiepiscopi, primatis, hoc est patriarchæ, et papæ, de vestibus eorum, de nominibus eorum, et unde hi gradus initium acceperunt et qui eorum auctor primus fuit, et de cæteris quibus opus fuerit sinodo quæstionibus.



<ITEM IN SINODO><sup>XXXXXXXXXXXXXXXX</sup> [3BIS].<sup>843</sup>

1. [fol. 97] Sicut, dilectissimi, caput nostrum et tocius Ecclesiæ Deus est, ita concilii huius caput esse debet fides de sancta Trinitate, quam apostoli gentibus aperuerunt, per quam Ecclesia virtutem supra diabolum habet, per quam ad regnum cælorum vere credentes perveniunt.
2. Fides Christianorum proprie est in unitate sanctæ Trinitatis, et trinitate sanctæ Unitatis. Credimus enim, sicut Petrus apostolus et alii apostoli atque omnes sancti crediderunt, et firmissime tenemus hanc fidem, quia Pater et Filius et Spiritus Sanctus naturaliter est unus Deus. Et hoc propter hæreticos dicimus, quia non ipse est Pater qui Filius est, nec Filius ipse est qui Pater est, nec Spiritus Sanctus ipse est qui Pater aut Filius est.
3. Et una est essentia Patris et Filii et Spiritus Sancti, et in ipsa una essentia non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus. Hoc est : Non est aliqua diversitas neque dissimilitudo substantiæ et deitatis in Patre et Filio et Spiritu Sancto. Et tamen personaliter alius est Pater, alius est Filius, alius est Spiritus Sanctus.
4. Hoc nobis maxime in ipso initio sanctarum Scripturarum demonstratur, ubi dicit Deus Pater ad Filium et Spiritum Sanctum : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*<sup>844</sup> In eo quod dicit ‘ad imaginem’ singulari numero, ostendit quia una est natura in sancta Trinitate, ad cuius imaginem homo fieret, non in corpore sed in anima. Sicut enim Deus omnia quæ sunt vivificat, gubernat, et movet, ita anima corpus suum et vivificat, et movet et gubernat, in quantum a Deo accipit virtutem,

<sup>843</sup> cf. etiam FULG. RUSP., *Fid.* 5-6.<sup>844</sup> Gen. 1, 26.

sicut de Deo ait apostolus quia in ipso vivimus, et movemur et sumus.<sup>845 846</sup> In eo vero quod 'nostram' pluraliter dicit, ostendit quia non est una persona in Deo, ad cuius imaginem homo factus est. Et si illa una essentia Patris et Filii et Spiritus Sancti esset una persona, non diceret Deus 'ad imaginem nostram', sed 'ad imaginem meam', nec dixisset 'faciamus', sed 'faciam'. Si vero in tribus personis essent tres substantiæ, non diceret 'ad imaginem nostram', sed 'ad imagines nostras'. Itaque sicut dicitur homo factus ad imaginem unam unius Dei quæ est sancta Trinitas, ita una essentia et una divinitas est naturaliter et essentialiter in sancta Trinitate.

5. Ipsam trinitatem personarum et unitatem naturæ propheta Isaias revelatam sibi dicit, cum ait vidisse se clamantia seraphin, et audisse dicentia : « Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus Sabaoth. »<sup>847</sup> In eo quod dicebant tercio 'sanctus', est trinitas in personis. In eo quod semel<sup>cccccccccccccccc</sup> dicebant 'dominus Deus Sabaoth', est una divinitatis natura, quia unus est Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus.<sup>848</sup>

6. Et plane et absque omni dubitatione scimus et credimus et confitemur quia nemo poterit esse salvus, nisi crediderit quia Pater et Filius et Spiritus Sanctus sancta Trinitas est unus et verus Deus, et nisi in nomine sanctæ Trinitatis baptizatus fuerit, sicut in sancta Ecclesia consuetudo est. Nullus autem Christianorum fit<sup>dddddddddddddd</sup> Simbolum ignorans, sed, dum ad ætatem congruam pervenerint pueri, mox a patrinis doceantur Simbolum primitus, postea Orationem dominicam.

<sup>845</sup> Act. 17, 28 : i. enim v.

<sup>846</sup> ALCUIN., *Genes.* (col. 566<sup>c</sup>) : d. unus semper ubique totus est, o. vivificans, movens e. gubernans, s. ; a. confirmat, quod i. eo v. ; s., sic e. ; a. in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens e. gubernans.

<sup>847</sup> Is. 6, 3 : d. exercituum ; sic VL (PS. ISID.).

<sup>848</sup> ALCUIN., *Trin.* I 2 (col. 15<sup>A</sup>-15<sup>C</sup>) : teneamus igitur f. patrem e. filium e. spiritum sanctum unum esse n. deum, neque tamen ipsum patrem esse q. ; n. filium ipsum esse q. ; n. spiritum sanctum ipsum esse q. ; e. enim p. ; i. qua n. ; s., quamvis p. sit a. ; s., quod n. ; n., cum enim s. ; n. dixit i. ; o. unam naturam esse, a. ; f., cum v. ; o. deum, a. ; h. fiebat, n. unam esse personam, s. enim i. ; n. diceretur a. ; i. illis t. ; e. intelligende, vel credende s. ; n. diceretur, a. ; n., sed a. ; d., ut u. sancte trinitatis e. ; d. intimeretur, hanc quoque t. ; p. atque u. ; s. non tacuit, c. ; s. dicit s. ; S., ubi prorsus i. ; q. dicitur t. ; s., personarum trinitatem, i. ; e. vero q. ; s. dicitur d. ; S., divine nature cognoscimus unitatem.

7. Hoc quod de fide catholica diximus caput est sinodi vestræ, nunc loqui incipite de his quæ ad publicam iustitiam et ecclesiasticas regulas et ad<sup>eeeeeeeeeeeeee</sup> concilia et ad questiones presentes pertinere videntur ! Verumtamen admonemus vos de vestimentis et ecclesiis, et munditia ordinis vestri, et puritate vestra, qui *templum Dei estis*,<sup>849</sup> qui sacramenta Dei manibus tractatis, qui lucem bonorum populo exhibere debetis, qui pro vobis et pro vobis commissis rationem reddituri estis, et cætera quæ melius elegerit.

---

<sup>849</sup> I Cor. 3, 16.

**ITEM IN CONCILIO [4].<sup>850</sup>**

1. In capite concilii primum debetis audire de fide catholica, quod est principalitas et maior virtus nostra, et tocius christiani imperii salus, et Iudeorum atque Sarracenorum et paganorum et hæreticorum, et Antichristi et diaboli et inferni destructio et confusio.

2. Et hæc est catholica et orthodoxa fides, per quam firmissime credimus et confitemur quia unus Deus est Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Et per quam fidem **plane et absque omni dubitatione credimus quia Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus est Deus omnipotens et æternus**, quia semper est et fuerat et est et erit. Et est **incommutabilis**, quia nullo modo deitas Patris et Filii et Spiritus Sancti potest mutari, nec crescere nec minui.

3. **Et singulus de his** tribus personis perfecte **Deus** est, et **plena et perfecta et æterna** <sup>oooooooooooo</sup> **substantia** est. **Et simul omnes** tres personæ, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, una substantia et **unus Deus** est. **Et sicut Deus Pater Deus est, et perfecta substantia divina est, et æternus est**, ita **hoc ipsum Filius est, hoc ipsum Spiritus Sanctus est. Et sicut filius Dei est, in eo quod Deus est, et quod substantia divina est, et quod æternus est**, ita **hoc ipsum Pater est, hoc ipsum Spiritus Sanctus est. Et quicquid Spiritus Sanctus est in eo quo Deus est, quo substantia divina ineffabilis est, quo æternitas incommutabilis est, hoc ipsum Pater est, hoc ipsum Filius est.**

4. Et **in tribus personis una est divinitas, una essentia, una omnipotentia, et omne quod de Deo digne dici potest substantialiter** vel secundum naturam et essentiam, totum de tribus personis dictum est. **Si quis forte de solo Patre interrogat alium quid est Pater**, sicut **responderi ei debet quia Deus est**, ita **si interrogaverit de Filio quid est filius Dei, responderi debet quia Deus est**. Et similiter **si interrogaverit de Spiritu**

---

<sup>850</sup> cf. etiam FULG. RUSP., *Fid.* 4.

**Sancto** quid est Spiritus Sanctus, responderi<sup>gggggggggggggggg</sup> debet quia<sup>hhhhhhhhhhhhhhhh</sup> **Deus** est. Et **si simul de Patre et Filio et Spiritu Sancto** interrogaverit quid est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, responderi **non** debet quia tres dii sunt, **sed** responderi debet quia Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus Deus est, omnipotens, et incommutabilis.<sup>851</sup>

5. De hoc fonte catholicæ fidei, debetis intrare ad alia placita necessaria, de pace, de iustitia, de oppressione sanctæ Ecclesiæ, de oppressionibus pauperum, de iniquitate, de iniustitiis, de quibus opus fuerit in presenti sinodo, de restauratione sanctæ Ecclesiæ in meliorem statum, de melioratione monasteriorum, de castigatione clericorum et laicorum, et cętera quæ melius elegerint.

---

<sup>851</sup> ALCUIN., *Trin.* I 2 (col. 15<sup>C</sup>-15<sup>D</sup>) : d. credendum est patrem e. filium e. spiritum sanctum unum esse deum, omnipotentem, eternum, incommutabilem, e. ; s. horum d. ; d., et singulus quisque horum p. ; s., quia quidquid est p. quo d. ; e., quo s. ; e., quo eternitas e. ; e., ita etiam et f. ; e., quo s. ; e., quo eternitas e. ; e. et f. ; e. quidquid s. ; p. interrogatus fueris, q. sit p., responde d., interrogatus d. ; f., responde d., interrogatus d. ; s., responde, d. ; s. interrogatus fueris s. ; n. deos, s. deum responde, unum, omnipotentem, incommutabilem.

**SERMO IN SINODO DE CANONE MISTERIORUM.****[[CXIV**

1. Sacerdotes quanto digniores sunt populo per gradum, tanto peritiores debent esse per intellectum. Putamus autem quibusdam ex vobis valde prodesse, si in presenti sinodo Canonem misteriorum, hoc est ‘Vere dignum et iustum est...’<sup>852</sup> et ‘Te igitur...’,<sup>853</sup> vobis aperuerimus, ut apertius intelligant vel qui iam sunt sacerdotes et non perfecte intelligunt, vel qui futuri erunt ad gradum sacerdotii. Cuius misterium sicut a populo non auditur, ita nec presens expositio laicis debet aperiri, quia indigni sunt ad audienda fortiora sacramenta, sicut turba ad Dominum in montem non accessit, quia indigna erat altiora capere, sed soli discipuli accesserunt, qui digni erant profunda capere.<sup>854</sup> Ideoque et de sinodis eliminari solent laici, ne audiant ea quæ non ipsis sed vobis sunt credita sacramenta.

2. Dicitur Canon, hoc est regula, sacramentorum, quia per hanc orationem quæ dicitur Secreta super oblata, et per eam quæ dicitur Prefatio ‘Vere dignum et iustum est...’, et per eam quæ Canon dicitur, hoc est ‘Te igitur...’, et per Orationem dominicam, regulariter sunt facta sacramenta corporis et sanguinis Domini.

3. Sicut autem Dominus ante passionem secrete oravit, sicut ait evangelista : *Et ipse avulsus est ab eis quantum iactus est lapidis, et positus genibus oravit*,<sup>855</sup> ita sacerdos ante factum sacrificium secrete orat illa oratione quæ Secreta dicitur. Et sicut Dominus ante passionem audientibus discipulis suis oravit, sicut dicitur : [fol. 97v]

*Sublevatis Iesus oculis in cælum dixit : « Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut*

<sup>852</sup> *Sacr. Greg.* (col. 25<sup>B</sup>-26<sup>A</sup>).

*cf. Missale Franc.* (col. 338<sup>D</sup>).

<sup>853</sup> *Sacr. Greg.* (col. 26<sup>A</sup>).

*cf. Missale Franc.* (col. 338<sup>D</sup>-339<sup>A</sup>).

<sup>854</sup> *cf. Matth.* 5, 1 : videns autem turbas ascendit in montem, et cum sedisset accesserunt ad eum discipuli eius.

<sup>855</sup> *Luc.* 22, 41 : g. orabat ; *sic VL.*

*filius tuus clarificet te !* », <sup>856</sup> et item : *Himno dicto exierunt in montem Oliveti*, <sup>857</sup> ita sacerdos ante sacra passionis hunc himnum vel orationem publice audiente populo dicit.

4. Himnus laus est, et in hoc himno sacerdos Deo gratias agit, dum dicit : « Nos tibi semper et ubique gratias agere » ; et laudat Deum, dicens : « Per quem maiestatem tuam laudant angeli. » Et item in illo versu, himnum, id est laudem, Deo dicit : « *Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia cęlestis exercitus, himnum, hoc est laudem, glorię tuę canimus.* » <sup>858</sup> Sicut ergo ille himnus dictus est a Domino ante passionem, ita iste himnus ‘*Vere dignum et iustum...*’ <sup>859</sup> dicitur a sacerdote ante virtutem passionis Domini, id est antequam fiat corpus et sanguis Domini.

5. Iste himnus ideo dicitur prefatio, quia sicut est prefatio ante historiam, vox ante verbum, precursor ante Dominum, sic iste himnus precurrit ante Canonem, qui passionem Domini super altare consecrat. Nam sicut est Dominus passus in cruce, ita cotidie passus est in altare et patitur. Sed in cruce ab impiis Iudeis, in altari <sup>iiiiiiiiiiiiiiii</sup> a sanctis et benignis sacerdotibus passionem suscipit. Quia Iudei pro impietate Dominum crucifixerunt, ut delerent nomen eius de terra, sacerdotes pro pietate et oboedientia Dominum immolant, ut maior gloria Dei appareat in mundo et omnis Ecclesia salvetur, sicut ipse Dominus ait : « *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo.* » <sup>860</sup>

---

<sup>856</sup> Ioh. 17, 1.

<sup>857</sup> Matth. 26, 30 ; Marc. 14, 26 : m. olivarum ; sic VL.

<sup>858</sup> *Sacr. Greg.* (col. 30<sup>A</sup>).

<sup>859</sup> cf. CAO 6256y.

<sup>860</sup> Ioh. 6, 57 : i. illo ; sic VL.

## [CXV]

1. Et sicut maior dignitas Christianorum est fides, qua credimus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum esse deum, ita sacerdos et populus ipsam fidem confitentur, quando primum excelsa voce « **Per omnia secula seculorum !** » sacerdos dicit, et populus « **Amen !** » respondet.<sup>861</sup> Tunc enim confitentur quia sancta Trinitas, hoc est filius Dei cum Patre et Spiritu Sancto, vivit et regnat 'per omnia secula seculorum', hoc est ante et nunc et postea, et sine initio et sine fine. Et sacrificium nec oratio nulli prodest, nisi illi qui fidem catholicam tenet, hoc est qui credit quia Pater et Filius et Spiritus Sanctus est unus verus solus deus. Dum enim dicit « **Per omnia secula seculorum !** » ante Prefationem audiente populo, idem est tamquam si dicat : « Vere credimus sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, quia ipse est unus deus semper sine initio et sine fine regnans. » Et dum populus « **Amen !** » respondet, idem est tamquam si dicat : « Vere in ipsa fide credimus. »
2. Ubi cumque enim sacerdos dicit : « Per dominum nostrum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus Sancti ! », vel ubi cumque dicit : « Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus ! », fides catholica et æqualitas sanctæ Trinitatis pronuntiatur. In his verbis facit sacerdos ut ipse et populus intelligant et vere credant quia filius Dei<sup>iiiiiiiiiiiiiiii</sup> vivit et regnat cum Patre sine initio ac sine fine, et quia filius Dei Deus est sicut Pater Deus est, et quia Spiritus Sanctus habet cum Patre et Filio unam potestatem et unam substantiam, et in his tribus personis est unitas deitatis, et sicut tota sancta Trinitas in una deitate ante secula vixerat et regnaverat, ita in presenti seculo vivit et regnat, et in futuris seculis vivet et regnabit æqualiter, quando iusti lætabuntur cum angelis, et iniusti cruciabuntur cum diabolo, et regnum Patris et Filii et Spiritus Sancti nullo fine concludetur. Et sicut

---

<sup>861</sup> *Sacr. Greg.* (col. 25<sup>A-B</sup>).

*cf. Expos. misse 2 (PL, 83, col. 1145<sup>A-B</sup>).*







7. Quod autem respondet populus : « **Habemus ad Dominum !** »<sup>868</sup>, idem est tamquam si dicat : « In isto momento et in ista hora, tota cogitatio nostri cordis erecta est ad Deum, quousque sanctificatum sit sacrificium, sicut tu admones nos. »
8. Vos ergo, sacerdotes, admonete populum ut nullus ea hora ad missam vacet fabulis, nisi tantum compunctioni et orationi ! Et beatus erit, qui in hoc vobis oboedierit. Quando vero dicitis ad populum : « **Gratias agamus domino Deo nostro !** »<sup>869</sup>, idem est ac si dicatis aliis verbis : « Vos populus Dei et ego, sicut habemus preparata corda nostra ad Deum, ita pro omnibus bonis quæ nobis fecit, gratias agamus ipsi domino Deo nostro. »
9. Et dum populus respondet : « **Dignum et iustum est !** »<sup>870</sup>, idem est ac si dicat : « Sicut tu admones nos ut gratias referamus domino Deo nostro, sic nos confirmamus quia dignitas magna est, et magna iustitia est, ut tu et nos omnes generaliter gratias referamus [fol. 98] ipsi Domino, quia nulla bona habemus, nisi quæ ab ipso suscepimus. »

---

<sup>868</sup> *Sacr. Greg.* (col. 25<sup>B</sup>).

*cf. Expos. misse 3 (PL, 83, col. 1145<sup>B</sup>).*

<sup>869</sup> *Sacr. Greg.* (col. 25<sup>B</sup>).

*cf. Expos. misse 3 (PL, 83, col. 1145<sup>B</sup>).*

<sup>870</sup> *Sacr. Greg.* (col. 25<sup>B</sup>).

*cf. Expos. misse 3 (PL, 83, col. 1145<sup>B-C</sup>).*

## [CXVI]

1. Tunc sicut estis intento corde ad Deum, incipitis Himnum ad Patrem, ante passionem sacrificii, sicut Dominus ante passionem himnum ad Patrem dixit, quando sublevatis oculis oravit ad Patrem.<sup>871</sup> Sacerdos enim et pro se et populo pluraliter orat ad Patrem dicens : *Vere dignum et iustum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, domine sancte Pater omnipotens æterne Deus.*<sup>872</sup>
2. Hoc dicit hic versus quia, quando semper, id est omni tempore quo vivimus in hoc seculo, et ubique, id est in omni loco et in prosperitate et in adversitate, in sanitate et languore, et in terra et in mari et in captivitate et peregrinatione, in bello et in pace et in omnibus locis, gratias Domino referimus, hoc nobis magna et vera dignitas est et vera iustitia, et vera æquitas, hoc est rectitudo, et vera salus nostra. Sicut homo homini gratias referre solet pro bono quod ei fecit, ita omnis homo gratias Deo referre semper debet, pro salute æterna et pro omni sanitate et prosperitate et adversitate, et pro omnibus bonis quæ temporaliter accipit a Deo, et pro sempiternis quæ sperat accipere.
3. Et sicut sacerdos ad Deum orat, quasi ad presentem, ita omnes in presentia Domini semper sumus, et ipse aperte videt omnes cogitationes nostras. Et sicut Deus est Dominus quia dominator est omnium, et sub eius dominatione omnia sunt cælestia terrestria et inferna,<sup>873</sup> ita ipse Deus sanctus est, quia per illum omnia sancta sunt quæcumque sancta sunt. Et sicut ipse est Pater, quia omnia quæ fecit bona creavit, et nullam creaturam creavit nisi bonam, et quia de se ipso genuit ineffabiliter Filium sapientiam suam, et quia nos fecit per adoptionem filios suos, dum sanctificavit nos et redemit per naturalem filium suum, ita est ipse omnipotens quia omnia quæ vult potest, et non est impossibile apud eum omne verbum. Et sicut creatura est temporalis

---

<sup>871</sup> cf. Ioh. 17, 1.

<sup>872</sup> cf. *Expos. misse* 4-6 (*PL*, 83, col. 1145<sup>C</sup>-1146<sup>A</sup>).

<sup>873</sup> cf. Phil. 2, 10 : omne genu flectat celestium et terrestrium et infernorum.

illa quæ initium habet et finem habebit, ut iumenta, et creatura perpetua est illa quæ initium habet sed finem non habebit, ut angeli et animæ hominum, ita solus Deus æternus est, quia initium non habet neque finem, nec coepit esse nec desinit esse, sed semper est, in una stabilitate et gloria ineffabili, nec crescit nec minuit, sed perfectionem plenam habet, et semper fuit, et est, et erit. Et ut Deus proprie a diligendo vel a divinitate dicitur, ita ipse omnia diligit et gubernat quæ creavit, et omnis creatura eum cognoscit et diligit ; et ipse ultra omnia divinus est, quia solus deus est et omnia scit et omnia ordinat prout vult.



amissimus illam gloriam, iterum Deus Pater redemit nos per filium suum, quia misit eum in mundum, ut homo fieret, et de morte ad vitam beatam nos revocaret. Et circa nos et circa angelos tanta bona egit Iesus Christus dominus noster, ut per illum salvissimus et per illum laudemus Deum patrem suum, qui est pater eius per naturam, et pater noster per gratiam suam, et per illum angeli laudent Deum Patrem, quia per gratiam filii sui remanserunt in cælo, et manserunt in stabilitate sua, ne peccarent cum transgressoribus angelis. Per illum illi maiores angeli, qui dominationes vocantur, adorant Deum Patrem in cælo. Per illum, id est per Christum eius filium, illi angeli potentes, qui appellantur potestates, tremunt Patrem sicut servi dominum. Per illum cæli secreti illi ineffabiles, et illi fortes angeli, qui appellantur virtutes cælorum, archangeli, principatus, throni, cherubin et seraphin, Patrem adorant et tremunt et conlaudant, quia per unigenitum filium Patris, ne corruerent, salvati sunt in illa gloria et beatitudine, et numerus eorum de humano<sup>pppppppppppppppppp</sup> genere cotidie restauratur usque in finem mundi.







lectiones, illi psalmi ideo baptismales dicuntur, quia in sola Trinitate baptismus factus est.

## [[CXIX

1. Et sicut vos in novem lectionibus novem angelorum ordines ostenditis, ita monachi in duodecim<sup>vvvvvvvvvvvvvvvv</sup> lectionibus duodecim apostolorum, hoc est omnium electorum, numerum monstrant. Et sicut illis monachis qui inter clericos Gregorianæ auctoritatis conversantur nullo modo licet ‘Alleluia’ canere in septuagesima secundum regulam sancti Benedicti (qui iubet ‘Alleluia’ canere usque in caput quadragesimæ secutus morem Ambrosianum), neque licet eis in tribus diebus passionis plus quam novem lectiones agere (quamvis sanctus Benedictus prohibeat ita, ut numquam minus duodecim<sup>vvvvvvvvvvvvvvvvvvvv</sup> psalmorum quantitate ad vigiliis dicant, exceptis tercio et invitatorio psalmo, quos ambos illicitum est eis dicere his tribus diebus), neque Ambrosianos, hoc est himnos, sicut non nocte ita neque die per horas, neque ‘Gloria Patri’ in psalmis, neque in responsoriis, ita nullatenus licitum est eis, ut rationi nostræ videtur, die Paschæ et Pentecosten præter tres lectiones agere, in honore sanctæ Trinitatis, cuius nomine baptismus fit generalis in his duabus festivitibus per omnem Ecclesiam catholicam.

2. Quod enim non humana sed ipsius Spiritus Sancti constitutione fit, nullatenus sancto Benedicto displicet, immo placet. Nam et Gregorius papa prius monachus secundum regulam sancti Benedicti fuit,<sup>887</sup> qui ante corpus sancti Petri cum pluribus episcopis, dictante Spiritu Sancto, cantandi et legendi et psallendi regulam in sancta Ecclesia per totum annum ordinavit, et in Pascha et Pentecosten indignum et superfluum duxit constituere præter tres psalmos et tres lectiones. Et tam magni misterii tantæque sublimitatis istos duos dominicos dies duxit, ut dissimiles eos constitueret omnibus dominicis diebus tocius anni.

3. Et scitis quia diviniore et stabiliore est illa constitutio quæ fit a pluribus simul, quam quæ ab uno. Et licet **vir** domini Benedictus, sicut ait ipse Gregorius, **spiritu**

<sup>887</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Acta Lemov.* (PL, 142, col. 1384).

omnium iustorum plenus fuerit,<sup>888</sup> solus tamen quædam constituit, quæ a pluribus patribus non contemptu humano sed inspirante Spiritu Sancto meliorata sunt. Nam et ipse sanctus Benedictus de divisione psalmodum quam solus ordinavit, et quam sciebat nonnullis displicere, licentiam dedit dicens : Si cui hæc<sup>xxxxxxxxxxxxxxxx</sup> distributio psalmodum displicet, ordinet si melius aliter iudicaverit.<sup>889</sup>

4. Nec Spiritus Sanctus semper prophetis subiectus est, sed ad horam et quando vult et prout vult sanctos replet, et eis inspirat. Nec solus Petrus per semetipsum, sed cum aliis apostolis concilio facto, Simbolum instituit quod apostolorum dicitur. Nec Paulus, qui ad tertium cælum erat raptus,<sup>890</sup> ausus est predicare, antequam ad concilium veniret Petri et Iohannis, et cum voluntate eorum concordaret. Si enim solus coepisset constituere ecclesiasticas institutiones, forte in aliquo cum aliis apostolis non concordaret, et in vacuum curreret, si displiceret. Et sicut sanctus Benedictus non legitur fuisse episcopus nec presbiter, ita Gregorius de monacho ad apostolatum divinitus electus est, ideoque omnis eius institutio rata est, et de ‘Alleluia’ dimittendum in septuagesima, de tribus lectionibus in Pentecosten et in Pascha, non contra regulam sancti Benedicti, sed pro ea constituit. Nam in gente Anglorum omnes episcopos et congregationes eorum monachos esse instituit, et de tribus lectionibus Paschæ et Pentecosten eis regulam tradidit. Verum apud vetustissimos monachos per Italiam et Galliam generaliter hoc ipsum observatum esse constat.

5. Sicut autem clericis, ita et monachis illicitum est pretermittere septenas et quinas et ternas lætanas in sabbatis Paschæ et Pentecosten, propter septem<sup>yyyyyyyyyyyyyyyy</sup> dona Spiritus Sancti ad baptizatos,<sup>zzzzzzzzzzzzzzzz</sup> et propter quinque prudentes virgines, id est omnem Ecclesiam, quæ virgo prudens est propter fidem baptismi, et propter sanctam Trinitatem, qua consecratur baptismus. Monachi vero, qui in Pascha et

<sup>888</sup> GREG. M., *Dial.* II 8, 72 : vir iste s. ; plenus fuit.

<sup>889</sup> BENED., *Reg.* 18, 22 : c. forte h. ; p. displicuerit, o.

<sup>890</sup> *cf.* II Cor. 12, 2 : raptum eiusmodi usque ad tertium celum.

Pentecosten in tribus psalmis et lectionibus Trinitatem honorant, totum psalmum *Beati immaculati...*,<sup>891</sup> sicut vos dividitis<sup>aaaaaaaaaaaaaaaa</sup>, ad primam, terciam, sextam et nonam dividere debent, similiter et in secunda feria Paschæ et Pentecosten. Hoc enim sicut de tribus lectionibus Paschæ et Pentecosten, et de novem lectionibus in tribus passionis diebus, et de ‘Alleluia’ dimittendo in septuagesima, regulæ sancti Benedicti non diminutio sed accumulatio, non destructio sed completio est secundum doctrinam sanctorum patrum.

6. [fol. 99] Sicut autem in sabbato paschali monachis illicitum est canere neque Offerendam, neque ‘Agnus Dei’, neque Communionem, ita illicitum est prætermittere Gregorianas vespers, quæ ante complendum cum uno tantum psalmo *Laudate Dominum omnes gentes...*<sup>892</sup> et cantico in Evangelio dicuntur. Nam in sabbato Pentecosten, sicut est Offerenda et ‘Agnus Dei’ et Communio, ita post officium vespere sunt.

7. Hæc diximus propter monachos qui in hac synodo adstant vobiscum, sicut accidit nobis locutio de angelorum ordinibus. Monachorum autem tam sublimi ordini, si aliquid ædificationis forte dicimus, non est de nobis sed de gratia Dei. Sicut autem de omnibus novem ordinibus angelorum angeli superbientes corruerunt per iustitiam Dei, ita homines humiles revocabuntur per Dei gratiam pro suis meritis singuli ad eosdem ordines. Qui hic habet maiorem sanctitatem, illic intrabit in maiorem ordinem, et quo sanctior, eo gloriosior erit. Et quia, sicut Gregorius dicit, ut iam audistis, *illa superna civitas Dei ex angelis et hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse, sicut*

---

<sup>891</sup> Ps. 118.

<sup>892</sup> Ps. 116.

scriptum est : *Statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei,*<sup>893 894</sup>

audite quomodo erunt sancti deputati inter sanctos novem ordines angelorum !

8. Illi novem ordines omnes ‘angeli’ generaliter vocantur, quia Domino ministrant et adsistunt, et non vocantur angeli per naturam, sed per ministerium quod habent, quia ministri sunt Dei, sicut ait Danihel : *Milia milium ministrabant ei, et decies milies centena milia adsistebant ei.*<sup>895</sup> Si maior numerus angelorum isto numero non esset, sciremus numerum eorum. Sed sicut Iohannes per ‘centum quadraginta quattuor<sup>bbbbbbbbbbbbbb</sup> milia signatos<sup>896</sup> finitum<sup>cccccccccccccc</sup> pro infinito numero dixit, ita Danihel finitum magnum numerum pro infinito numero et inmenso posuit, quem solus Deus novit. Sicut autem terrenus imperator magnum imperium corporaliter gubernare habens per iustitiam, et defendere armis ab hostibus, habet sub se ordines principum maiores et minores, quibus diversam curam imperii iniungit (hoc est reges sibi subiectos, duces, comites palatii, consules, patricios, prefectos, tetrarchas, iudices, primicerios), ita Dominus, cuius imperium est in æternum, cuius regni non erit finis, cælestium, terrestrium et infernorum rex,<sup>897</sup> spiritualiter habet ordines principum de angelis, quibus curam imperii sui et gloriam convenienti ordine iniungit.

9. Quibus illum primum angelum prelatum fecit, qui superbiens corruit, et in eius loco beatum Michaellem constituit, sicut scriptum est in ecclesiasticis testimoniis : *Hic est Micahel<sup>dddddddddddddd</sup> archangelus, princeps militiæ angelorum.*<sup>898</sup> De quibus novem exercitibus Domini propria nomina tantummodo tria de gloria<sup>eeeeeeeeeeeeee</sup> Dei hic novit, hoc est Micahel, Gabrihel et Raphael. Præter hæc tria nomina, nullum aliud proprium

<sup>893</sup> Deut. 32, 8 : constituit t. populorum iuxta n. filiorum Israël ; sic VL.

<sup>894</sup> GREG. M., *In evang.* 34, 11.

<sup>895</sup> Dan. 7, 10.

<sup>896</sup> cf. Apoc. 7, 4.

<sup>897</sup> cf. Phil. 2, 10 : omne genu flectat celestium et terrestrium et infernorum.

<sup>898</sup> = CAO 6826.

cf. *Lib. sacram. Aug.* 914 ; *Lib. sacram. Eng.* 1392.

nomen angelorum debemus credere neque recitare, sicut sacri canones prohibent, quia in Scriptura sacra non inveniuntur amplius. Illud autem nomen quod est Huriel, quod in altare Lemovicensis sedis ab apostolo beato Marciale consecrato invenitur sculptum, non est proprium nomen, sed ipsum est 'seraphin'. Quia sicut seraphin dicitur incendium, ita Huriel ignis Dei interpretatur.

## [CXX

1. Sed audimus vos musitare cum monachis presentibus de tribus lectionibus Paschæ quasi de die surgant, sicut quidam clerici faciunt prave, et non ante lucem de profunda nocte. Clerici quidam putant se bene agere in illa die surgentes cum luce, propter illud quod dicitur : *orto iam sole*.<sup>899</sup> Sed debitum est ius secundum auctoritatem sacræ Scripturæ, ut clerici et monachi de profunda nocte surgant, sicut populus Israël ereptus est a plaga Ægypti quando media nocte percussa sunt primogenita Ægypti, et populus Dei sicut semper habebat hanc observabilem noctem, ita Christiani hanc paschalem noctem in qua Dominus resurrexit observare debent sacris vigiliis.

2. Sed quia nostris temporibus refriguit amor Dei, et parvipenduntur statuta sanctorum patrum, quisque pro suo libitu constitutionem inmutat, et diversitas est in multis sine rationabili excusatione. Nam modo propter onus non sustinendum ieiunii et vigiliarum, et ut ventres satis reficiantur cibis et oculi somno, ante noctem totum officium sabbati sancti explemus. Et malum est ut tota nocte dormientes, dum debemus exire a matutinis, tunc surgamus. Si enim ita temperemus ut festivos matutinos cum tribus longis lectionibus agamus, et ad himnum ‘Aurora lucis rutilat’<sup>900</sup>, vel ad antiphonam ‘Et valde mane’<sup>901</sup> prima lux oriatur, tunc secundum auctoritatem Evangelii agimus.

3. In profunda enim nocte Dominus surrexit, hora qua nescimus, sicut in Benedictione cærei dicit Augustinus : « *O noctem, quæ sola meruit scire tempus et horam in qua Christus ab inferis victor ascendit !* »<sup>902</sup> Cum autem cælum rumpi coepisset<sup>mmmmmmmmmm</sup> in lucem, quod est albam parere vel auroram, mulieres ad

---

<sup>899</sup> IV Reg. 3, 22.

<sup>900</sup> = CAO 8271.

<sup>901</sup> = CAO 2728.

<sup>902</sup> *Benedictio cære* : O beata nox q. ; i. resurrexit.

cf. *Lib. sacram. Aug.* 521 ; *Lib. sacram. Eng.* 734 ; *Lib. sacram. Gell.* 678a.



monumentum venerunt, et hoc est : *Vespere sabbati quæ lucescit in prima sabbati*,<sup>903</sup> et hoc est : *Una sabbati cum adhuc tenebræ essent*,<sup>904</sup> et hoc est : *Valde mane orto iam sole*.<sup>905</sup> Oritur sol, cum aurora incipit apparere, quia aurora non est nisi vicinitate solis. Surrexit ergo Deus mane prima sabbati, hoc est dominica die, sed tamen nocte dominici diei resurrexit, die vero sequente mulieribus et discipulis apparuit. Sicut Dominus in ultima noctis parte ante lucis auroram surrexit, ita temperandum est ut ad antiphonam in Evangelio occurrat ‘valde mane’, hoc est aurora diei, dum oritur sol.

4. Ordo autem Romanus iubet (et sic antiqui patres faciebant) ut officium sabbati tali hora incipiatur, ut, dum dicitur ‘Gloria in excelsis Deo’, prima stella appareat in cælo. Expleto enim toto baptismo et tribus lætaniis, ubi prima stella potuerit videri in cælo, signa sonant simul, et incipit antistes ‘Gloria in excelsis Deo’ ; deinde Oratio et Apostolus et ‘Alleluia’ et Tractum et Evangelium. Et ante Evangelium, non lumen sed incensum propter significanda aromata mulierum deferuntur. Post Evangelium ‘Credo in unum Deum’ dicitur, nec Offerenda nec ‘Agnus Dei’ nec Communio dicitur, nec<sup>gggggggggggggggggggg</sup> osculum datur, sed postquam communicaverint incipiat cantor ‘Alleluia’ cum psalmo *Laudate Dominum omnes gentes...*<sup>906</sup> ad<sup>hhhhhhhhhhhhhhhhhh</sup> vespervas, moxque sequitur antiphonam ‘Vespere autem’<sup>907</sup>, cum cantico ‘Magnificat’. Deinde sacerdos, sicut est ante altare, dicit : « Dominus vobiscum ! », et orationem ad complendum, et diaconus : « Ite, missa est ! », et refectio sobria fit, deinde completorium, deinde modica pausatio quousque ad vigilias surgant trium lectionum. In Pentecosten, circa horam nonam officium sabbati agitur, et ante vespervas refectio fit.

<sup>903</sup> Matth. 28, 1 : v. autem s. ; sic VL.

<sup>904</sup> Ioh. 20, 1 : u. autem s. Maria Magdalene venit mane c. ; VL : s. Maria Magdalene venit mane c.

<sup>905</sup> Marc. 16, 2.

cf. etiam IV Reg. 3, 22.

<sup>906</sup> Ps. 116.

<sup>907</sup> = CAO 5371.

5. Et propter virtutem resurrectionis, iubet regula monachorum ut dominica die temperius surgatur ad vigiliis. Monachis sicut est licitum transmutare iussum regulæ in aliis quibusdam, sicut de missa abbatis cum peregrinis et hospitibus, et de novitiis per annum probandis quod arbitrio suo transmutant, cur durum est eis transmutare in duobus tantum diebus secundum quod instituit Spiritus Sanctus ? Regula monachorum dicit : « In sanctorum festivitibus vel omnibus sollempnitibus, sicut diximus dominico die agendum, ita agatur. » Numquid cæna Domini et passio et sepultura eius [fol. 99v] non sunt sollempnitates ? Certe festivæ sollempnitates sunt. Si ergo in his transmutant iussum regulæ causa necessitatis, cur in Pascha et Pentecosten non transmutant eadem necessitate ? Si illas tres sollempnitates monachi a regula sua excipiunt, cur Pascha et Pentecosten simili modo non excipiunt ? Si luctu passionis participant apostolis, cur eis non participant gaudio resurrectionis ?

6. Adeo est irrationabile quod plerique monachi dicunt : « Non sumus subiecti regulis clericorum, nostram propriam regulam habemus », quasi sanctus Benedictus alium antiphonarium, aliud<sup>iiiiiiiiiiiiiiiiiiii</sup> missale fecerit eis. Item dicunt : « Carnale et seculare et puerile est ut in Pascha et Pentecosten agamus tres lectiones », quasi auctoritas Sancti Spiritus non spiritalis sit, quasi sensus Gregorii papæ, cum quo in specie columbæ Spiritus Sanctus loquebatur, secularis et puerilis esset. Certe sanctus Benedictus providens in Spiritu Sancto auctoritatem futurorum episcoporum Romæ non ausus est se ponere constitutorem paschalis institutionis. Tantum negotium Gregorius papa suscipere debuit, qui ipsam vitam sancti Benedicti descripsit.

7. Dimittite, fratres, illam musitationem in sinodo, scientes quia quod est per rationem Deo placet, quod vero est sine ratione non est rationabile obsequium ; et monachi secundum regulam suam psalmos et antiphonas in Pascha et Pentecosten ad ipsum diem pertinentes dicant et non alios, et secundum regulam sancti Gregorii papæ,

qui ante fuit monachus quam papa et omnem regulam et institutionem monasticam perfecte noverat, qui in die Paschæ et Pentecosten non plus quam tres psalmos cum antiphonis et tria responsoria instituere voluit, agant, si rationabile obsequium Deo cupiunt exhibere ! Et sicut in vespera cænæ Domini sex psalmi cum antiphonis, ita in paschali vespera propter trinitatem tres psalmi et non plus tam a clericis quam monachis dicendi sunt. Quartus enim et quintus : *Laudate pueri Dominum...*<sup>908</sup> et *In exitu Israël...*<sup>909</sup> sive ad fontes sive ad stationes cum antiphonis paschalibus et orationibus dicendi sunt.

8. Nec praetermittere monachi debent tres psalmos ad diem pertinentes per totam ebdomadam paschalem in vigiliis, si duodecim<sup>iiiiiiiiiiiiiiii</sup> psalmos dicere volunt. Et pro ipsis tribus, intermittant tres longiores soliti ordinis. Et ne sit contentio inter eos, presentibus vobis ipsum psalmorum ordinem dicamus :

In secunda feria Paschæ : *Cum invocarem...*<sup>910</sup> *Verba mea...*<sup>911</sup> *Domine ne in furore...*<sup>912</sup> *Exultate iusti...*<sup>913</sup> *Benedicam Dominum...*<sup>914</sup> *Iudica Domine nocentes me...*<sup>915</sup> In secundo nocturno : *Dixi custodiam...*<sup>916</sup> ut consuetum est.

Tercia feria sunt isti ad diem pertinentes : *Domine deus meus...*<sup>917</sup> *Domine dominus noster...*<sup>918</sup> *In Domino confido...*<sup>919</sup> *Deus noster...*<sup>920</sup> *Omnes*

---

<sup>908</sup> Ps. 112.

<sup>909</sup> Ps. 113.

<sup>910</sup> Ps. 4.

<sup>911</sup> Ps. 5.

<sup>912</sup> Ps. 6.

<sup>913</sup> Ps. 32.

<sup>914</sup> Ps. 33.

<sup>915</sup> Ps. 34.

<sup>916</sup> Ps. 38.

<sup>917</sup> Ps. 7.

<sup>918</sup> Ps. 8.

<sup>919</sup> Ps. 10.

<sup>920</sup> Ps. 45.





In secunda feria omittuntur in secundo nocturno psalmi novissimi :  
*Quemadmodum desiderat...*,<sup>965</sup> *Deus auribus nostris...*,<sup>966</sup> *Eructavit...*<sup>967</sup>

Tercia feria dimittuntur duo novissimi in secundo, hoc est : *Si vere utique...*,<sup>968</sup>  
*Eripe me de inimicis meis...*<sup>969</sup>

Quarta feria in primo nocturno, primus psalmus dicitur : *Magnus dominus...*,<sup>970</sup>  
 deinde *Deus reppulisti nos...*,<sup>971</sup> ut solitum est et psalmus *Exurgat Deus...*<sup>972</sup> sub  
 una gloria dicitur. In secundo nocturno pretermittitur psalmus novissimus *Quam*  
*bonus Israel deus...*<sup>973</sup> pro psalmo *Benedic anima mea...*<sup>974</sup>

Quinta feria isti dicuntur per ordinem : *Magnus dominus...*,<sup>975</sup> *Exurgat*  
*Deus...*,<sup>976</sup> *Ut quid Deus...*,<sup>977</sup> *Confitebimur...*,<sup>978</sup> *Voce mea...*,<sup>979</sup> *Deus*  
*venerunt...*<sup>980</sup> In secunda repetitione, pro psalmo ultimo *Benedixisti...*,<sup>981</sup> dicitur  
 psalmus *Benedic anima mea...*<sup>982</sup>

---

<sup>965</sup> Ps. 41.

<sup>966</sup> Ps. 43.

<sup>967</sup> Ps. 44.

<sup>968</sup> Ps. 57.

<sup>969</sup> Ps. 58.

<sup>970</sup> Ps. 47.

<sup>971</sup> Ps. 73.

<sup>972</sup> Ps. 67.

<sup>973</sup> Ps. 72.

<sup>974</sup> Ps. 103.

<sup>975</sup> Ps. 47.

<sup>976</sup> Ps. 67.

<sup>977</sup> Ps. 73.

<sup>978</sup> Ps. 74.

<sup>979</sup> Ps. 76.

<sup>980</sup> Ps. 78.

<sup>981</sup> Ps. 84.

<sup>982</sup> Ps. 103.

Sexta quippe feria, primus dicitur : *Magnus dominus...*,<sup>983</sup> deinde *Exurgat Deus...*,<sup>984</sup> *Inclina Domine...*,<sup>985</sup> *Fundamenta...*,<sup>986</sup> *Dominus regnavit...*,<sup>987</sup> *Deus ultionum...*<sup>988</sup> In secunda periocha pro ultimo psalmo *Misericordiam et iudicium...*,<sup>989</sup> canitur psalmus *Benedic anima mea...*<sup>990</sup>

Sabbato vero primus psalmus dicatur : *Magnus dominus...*,<sup>991</sup> deinde *Exurgat Deus...*,<sup>992</sup> *Domine exaudi...*,<sup>993</sup> *Benedic anima mea...* primus,<sup>994</sup> *Benedic anima mea...* secundus<sup>995</sup> sub una gloria, *Confitemini Domino...*<sup>996</sup> sub una gloria. In secundo vero ut solitum est.

10. Qui vero fortasse, quasi pro zelo regulæ suæ, non adqueverint ut non agant duodecim<sup>oooooooooooooooooooo</sup> lectiones in Pascha et Pentecosten, ut in nullo sequantur regulam sancti Gregorii, saltim proprie ad diem pertinentes psalmos duodecim cum propriis dicant antiphonis duodecim. Hoc est : *Beatus vir...*,<sup>997</sup> *Quare fremuerunt...*,<sup>998</sup> *Domine quid multiplicati sunt...*,<sup>999</sup> *In Domino confido...*,<sup>1000</sup> cum antiphona ‘Videte manus meas’<sup>1001</sup>, *Salvum me fac Domine...*<sup>1002</sup> cum antiphona ‘Spiritus carnis et

---

<sup>983</sup> Ps. 47.

<sup>984</sup> Ps. 67.

<sup>985</sup> Ps. 85.

<sup>986</sup> Ps. 86.

<sup>987</sup> Ps. 92.

<sup>988</sup> Ps. 93.

<sup>989</sup> Ps. 100.

<sup>990</sup> Ps. 103.

<sup>991</sup> Ps. 47.

<sup>992</sup> Ps. 67.

<sup>993</sup> Ps. 101.

<sup>994</sup> Ps. 102.

<sup>995</sup> Ps. 103.

<sup>996</sup> Ps. 104, 105 et 106.

<sup>997</sup> Ps. 1.

<sup>998</sup> Ps. 2.

<sup>999</sup> Ps. 3.

<sup>1000</sup> Ps. 10.

<sup>1001</sup> = CAO 5400.

cf. Luc. 24, 39.

<sup>1002</sup> Ps. 11.





duodecim<sup>qqqqqqqqqqqqqqqqqq</sup> ad diem pertinentes cum duodecim suis antiphonis in quibusdam antiphonariis inseruimus.

11. Rationabilius tamen, ut nobis videtur, et plus Deo placitum agent monachi, si in ebdomada paschali et Pentecosten, tam die quam nocte usque in sabbatum in albis, per omnia consuetudinem clericorum secundum regulam sancti Gregorii in divinis officiis sequantur.

12. Habent vero monachi questionem de diversitate quæ est inter eos de dominicis diebus in adventu, quia in matutinis laudibus alii psalmum *Miserere mei Deus...*,<sup>1020</sup> alii *Dominus regnavit...*<sup>1021</sup> dicunt secundum ordinem sancti Gregorii. Sed sicut ad cantica non dicunt ‘Alleluia’ sicut aliis diebus dominicis, sed antiphonam propriam de adventu, et sicut in matutinis laudibus non dicunt ‘Alleluia’ sicut aliis dominicis diebus, sed proprias antiphonas de adventu, ita rationabilius dicunt *Dominus regnavit...*,<sup>1022</sup> qui ad lætitiã adventus Domini pertinent. Hoc ipsum testatur antiqua consuetudo monachorum, sicut et de tribus Paschæ<sup>xxxxxxxxxxxx</sup> lectionibus.

13. In septuagesima vero, sicut ‘Alleluia’ canunt in matutinis laudibus ad unumquemque psalmum, sic *Miserere mei Deus...*<sup>1023</sup> et *Confitemini...*<sup>1024</sup> dicunt. Et sicut non secundum regulam sancti Benedicti sed secundum regulam sancti Gregorii in septuagesima cum clericis ‘Alleluia’ dimittunt, ita necessario ‘Alleluia dum presens est’<sup>1025</sup> et cetera responsoria cum ‘Alleluia’ in nocte septuagesimæ canunt. Sicut vero secundum regulam sancti Gregorii in tribus sollempnitatibus ante Pascha Invitatorium non dicunt, ita in die Theophaniæ Invitatorium dicere nequaquam debent, quia sicut

---

<sup>1020</sup> Ps. 55 et 56.

<sup>1021</sup> Ps. 92, 96 et 98.

<sup>1022</sup> Ps. 92, 96 et 98.

<sup>1023</sup> Ps. 55 et 56.

<sup>1024</sup> Ps. 32, 104, 105, 106, 117 et 135.

<sup>1025</sup> = CAO 6071.

illic, ita et hic inconueniens est : illic propter consilium Iudeorum, hic propter consilium fictum Hærodis.

## [CXXI]

1. Sed iam diligenter audite secreta de novem exercitibus Dei, valde necessaria<sup>ssssssssssssssss</sup> vobis scire, quomodo, dicente sancto Gregorio, de electis hominibus inseruntur pro merito virtutum in illis ordinibus ! Illi beati spiritus tunc tantum proprie sunt angeli, quando sunt nuntii Dei. Angelus, hoc est nuntius. Deus, sicut ait psalmista, *facit angelos suos spiritus.*<sup>1026</sup> Sicut illi spiritus qui constituti sunt super minores res nuntiare hominibus angeli nominantur, ita illi qui super maiora nuntiare constituti sunt archangeli vocantur, hoc est maiores angeli, sicut archiepiscopi dicuntur maiores episcopi.<sup>1027</sup>

2. Ad res fortiores angelos fortiores mittit Deus, sicut archangelum Gabrielem, qui interpretatur ‘fortitudo Dei’, Deus misit ad tam fortissimam rem sicut fuit incarnatio domini nostri Iesu Christi. Sicut Dominus volebat principalem rem facere in mundo, hoc est nativitatem veram de virgine, ita unum de summis principalibus angelis misit adnuntiare Mariæ semper Virgini illud magnum misterium incarnationis Domini. Et ad tam fortem rem sicut erit bellum cum antiquo hoste in fine mundi, mittet Deus unum de principalibus et fortioribus angelis suis Michaellem, qui interpretatur ‘quis ut Deus’, quia sicut nulla potestas est tam potens nec tam fortis sicut Deus, quæ est sancta Trinitas, unus et verus Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus, ita nullus tam fortis est neque homo neque angelus qui possit vincere illum primum angelum hostem antiquum nisi Michael. Cui Deus super omnes alios angelos tantam fortitudinem dedit, ut solus vincat in bello ipsum fortissimum angelum, qui esse per superbiam similis Deo concupivit dicens : *In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum. Sedebo in monte Testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem*

---

<sup>1026</sup> Hebr. 1, 7.

<sup>1027</sup> cf. GREG. M., *In evang.* 34, 8.

*nubium, similis ero altissimo.*<sup>1028</sup> Ipsum fortissimum Satanam Christus in cruce mortuus in inferno ligavit, et in fine mundi solvetur a Domino ipse Satanus de carcere suo, et relinquetur in sua virtute. Et per Antichristum in quem intrabit, et per nuntios Antichristi, pene totam destruet et confundet christianitatem Domini per universum orbem. Et ubi Deus extremum supplicium illi reddere voluerit, faciet Micahalem archangelum preliari cum eo, et sicut ait apostolus, *interficiet eum Dominus spiritu oris sui, et destruet inlustratione adventus sui.*<sup>1029</sup> Et sicut ille superbus voluit se elevare contra maiestatem Dei, ita per Micahalem perimetur, quia per superbiam voluit exurgere contra creatorem suum, sicut Iohannes ait : *Factum est prelium cum Michael archangelo.*<sup>1030</sup> Sicut autem Raphael sonat ‘medicinam Dei’, ita ad sanitates hominum Deus eum mittit, sicut de Tobi legimus.<sup>1031 1032</sup>

3. Illos vero angelos appellat Scriptura virtutes quibus Deus dedit potestatem signa et miracula frequentius facere.
4. Illos denique angelos dicit potestates quibus Deus propriam potestatem dedit potentiorum et fortiorum ceteris contra virtutes dæmonum, quia illi angeli refrenant dæmones, ne tantum possint temptare homines quantum volunt.<sup>1033</sup>
5. Principatus appellat Scriptura illos sanctos angelos quibus Deus dedit prelationem supra alios sanctos angelos ; et sicut videtis prepositos homines carnaliter

<sup>1028</sup> Is. 14, 13-14: a. dei e. ; sic VL.

<sup>1029</sup> II Thess. 2, 8 : quem d. Iesus i.

<sup>1030</sup> Apoc. 12, 7 : p. magnum in celo, Michæl ; VL (GREG. M., *In evang.* [PL, 76 col. 1251<sup>B</sup>]) : c. Michæle a.

<sup>1031</sup> cf. Tob. 3, 25 : missus est angelus Domini sanctus Rafahel ut curaret ambos quorum uno tempore fuerat oratio in conspectu Domini recitata.

<sup>1032</sup> cf. GREG. M., *In evang.* 34, 9.

<sup>1033</sup> GREG. M., *In evang.* 34, 10 : illi spiritus vocantur v., per quos s. ; frequentius fiunt ; hi vocantur p., qui hoc potentius c. in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni v. adverse subiecte sint, quorum potestate refrenantur, ne t. prevaleant t. corda hominum q.

ordinare subiectos suos ad obsequia<sup>tttttttttttttt</sup> quæ domini sui eis precipiunt, ita illi principes angeli ordinant subiectos sibi angelos bonos ad illa quæ eis Deus iniungit.<sup>1034</sup>

6. At vero **dominationes** vocat Scriptura illos sanctos angelos quos Deus maiores fecit supra illos sanctos angelos qui dicuntur principatus, sicut in hoc seculo comites palatii maiores sunt aliis comitibus. Et sicut alii principes angeli sunt eis oboedientes, ita **vocantur dominationes** propter mirabilem potentiam quam eis Dominus supra ceteros concessit.<sup>1035</sup>

7. Thronos vocat Scriptura illos sanctos angelos quibus Deus tam magnam sublimitatem et tantam potestatem concessit supra omnes alios sanctos angelos, ut eis faciat iudicare iudicia sua, sicut in hoc seculo rex potentiores principes suos ordinat ad iudicandas leges per iustitiam. Et sicut sanctus homo spiritualiter est sedes Dei et mansio Dei et templum Dei, quia Deus sedet in eo et manet in eo, ut ait Salomon : *Anima iusti sedes sapientiae*,<sup>1036</sup> et item Dominus in Evangelio ait : *Pater meus* [fol. **100v**] *diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*,<sup>1037</sup> et apostolus ait : *Templum Dei sanctum est quod estis vos*,<sup>1038</sup> ita illi angeli sedes Dei, hoc est throni Dei, sunt, quia Deus sedet in eis et per eos iudicat omnia, sicut ait David :

---

<sup>1034</sup> cf. GREG. M., *In evang.* 34, 10.

<sup>1035</sup> GREG. M., *In evang.* 34, 10 : dominationes autem vocantur qui etiam potestates principatum dissimilitudine alta transcendunt ; ea ergo angelorum agmina, que mira potentia preminent, pro eo quod cetera s. e. ad oboediendum subiecta, v.

<sup>1036</sup> *Citation biblique (VL) transmise par Augustin et Grégoire, et dont la référence est discutée :*

cf. Sap. 1, 4 : quoniam in malivolam animam non intrabit sapientia ; Sap. 3, 1 : iustorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis ; Sap. 7, 7 : invocavi et venit in me spiritus sapientie ; Sap. 7, 27 : in animas sanctas se transfert.

cf. Prov. 2, 10 : si intraverit sapientia cor tuum et scientia animæ tuæ placuerit ; Prov. 11, 30 : fructus iusti lignum vitæ et qui suscipit animas sapiens est ; Prov. 12, 28 : in semita iustitie vita.

cf. *etiam* III Reg. 3, 12.

<sup>1037</sup> Ioh. 14, 23 : e. mansiones a.

<sup>1038</sup> I Cor. 3, 17 : t. enim d.



*est,*<sup>1043</sup> ita seraphin ille sublimior angelorum ordo, quanto plus claritatem sanctæ Trinitatis aspicit, tanto validius in eius amore ardet incomparabiliter.<sup>1044</sup>

---

<sup>1043</sup> I Ioh. 4, 8.

<sup>1044</sup> *cf.* GREG. M., *In evang.* 34, 10.

## [CXXII

1. Et quia de igneis linguis super apostolos venit nobis in sermonem, nolite putare solos duodecim<sup>yyyyyyyyyyyyyyyy</sup> apostolos inflammatos tunc fuisse Spiritu Sancto, sicut quidam imperiti dicunt propter beatum Marcialem, quem negant fuisse unum ex eis qui Spiritum Sanctum in igneis linguis perceperunt ! Certum est enim quia super centum viginti<sup>zzzzzzzzzzzzzzzz</sup> discipulos in die Pentecosten descendit Spiritus Sanctus.<sup>1045</sup> Et non solos duodecim<sup>aaaaaaaaaaaaaaaa</sup> sed etiam illos inflammavit, quibus scientiam linguarum et omnis veritatis dedit, ut postea predicatorum veritatis fierent Iudeis et gentibus. Et sicut certissime tenemus quia **Marcialis**, discipulus Christi, **Spiritum Sanctum in igneis linguis inter alios apostolos super se venientem vidit, et cum eis edoctus omnibus** linguarum sermocinationibus, **invincibilis** testificator de resurrectione Domini extitit, tam Iudeis quam gentilibus,<sup>1046</sup> ita certissima eum<sup>bbbbbbbbbbbbbbbb</sup> assertione, ut nobis patres sancti tradiderunt, apostolum predicamus esse. Et monemus solliciti ne qua dubitatio de hac re sit vobis. Vere enim ipse beatus Marcialis et ardens et eloquens apostolus domini nostri Iesu Christi fuit, cum ardore dilectionis Dei accensus, hæbreæ linguæ indigena, extraneæ sermocinationis barbaros potentissimæ eloquentiæ Deo ignitus et ardens ad veritatem convertit. Et sicut ad predicandum gentium populis ardore dilectionis divinæ accensus erat, ita Aquitaniam provinciam primus inluminavit illo igne, de quo Dominus ait : « *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat ?* »<sup>1047</sup> Per illum enim missum a Domino et beato Petro in Aquitaniam, Deus noster, qui *ignis consumens est*,<sup>1048</sup> idolorum immunditiam de occiduis evacuavit, rubiginem idolatriæ consumpsit,<sup>1049</sup> lucem fidei usque in finem

<sup>1045</sup> cf. Act. 1, 15 : erat autem turba nominum simul fere centum viginti.

<sup>1046</sup> *Vita Martialis. II II* : cum aliis apostolis ; c. aliis apostolis ; testis resurrectionis christi.

<sup>1047</sup> Luc. 12, 49 : v. si accendatur.

<sup>1048</sup> Deut. 4, 24 (*et* Hebr. 12, 29).

<sup>1049</sup> cf. *Vita Papuli* 1 (p. 602) : in Antiochia præfecti filius natalem duxit originem, idolatricam abhorrens rubiginem.



mundi ardere inextinguibilem facit, ut merito non solum Aquitania verum etiam, ut patres antiqui dixerunt, tota Gallia signum apostolatus eius sit.<sup>1050</sup>

2. Ut vero seraphin est proprius ordo angelorum, et incendium proprie dicitur propter proprietatem ordinis, quia privatim et plenius ardet in laude et amore sanctæ Trinitatis, et tamen in ipso amore Dei omnes simul novem ordines ardent, ita cherubin, proprius ordo angelorum, proprie plenitudinem scientiæ super omnes alios inferiores accepit, et tamen omnes angeli, et omnes sancti qui in illa civitate Dei sunt, omnem scientiam habent, quia omnes simul fontem scientiæ Deum vident. Throni proprius est ordo angelorum in quibus Deus sedet, et tamen in omnibus Deus sedet, quia nullus potest habere veram beatitudinem, nisi in eius mente Deus sedeat, hoc est in eius corde requiescat et maneat. Et sicut Deus sedet super illum ordinem qui dicitur cherubin, ut ait psalmista : « *Qui sedes super cherubin appare !* », <sup>1051</sup> ita specialiter sedet super thronos, qui specialis est ordo de illis beatis spiritibus ; et in illa magna civitate Dei, ita proprietates speciales Deus divisit singulis exercitibus angelorum, ut singuli ordines propriam gratiam habeant, et ipsam gratiam singulorum omnes communiter<sup>cccccccccccccccccc</sup> habeant, quia unusquisque gratiam quam in se totam non habet, sed ex parte, in alio ordine totam possidet per dilectionem, quia nulla invidia ibi potest esse ubi caritas regnat, quæ est Deus,<sup>1052</sup> omnia<sup>dddddddddddddddd</sup> in omnibus.

<sup>1050</sup> BEDA, *Hist. Angl.* II 1, 1 : signaculum a. ; e. sumus.

<sup>1051</sup> Ps. 79, 2 : c. manifestare.

<sup>1052</sup> cf. I Ioh. 4, 8 : deus caritas est.

## [CXXIII]

1. Audistis quia, sicut Deus hoc seculum ita ordinat, ut alios homines faciat maiores potestate aliis, et alios facit esse in dominatione aliorum, ita illam civitatem Dei de angelis ordinat, ut alios aliis faciat superiores. Propterea ait Dominus quia « *in domo patris mei mansiones multæ sunt* », <sup>1053</sup> quia sicut dedit soli maiorem claritatem quam lunæ, et alteri stellæ maiorem claritatem quam alteri, <sup>1054</sup> et alii homini maiorem potestatem aut fortitudinem aut sanctitatem quam alteri, ita in illa civitate secundum ordinem iustum aliis prestat maiorem gloriam quam aliis. Et unumquemque de electis hominibus qui hic maiorem sanctitatem et meritum habuerit, ita in maiori ordine angelorum et in maiori gloria illic constituet Dominus, *qui reddet unicuique secundum meritum suum.* <sup>1055</sup> Et sicut illi qui erunt salvi habebunt alii maiorem gloriam, alii minorem secundum merita sua, ita qui erunt damnati in inferno habebunt alii maiorem poenam, alii minorem secundum malum quod alius plus, alius minus hic egit, quia in omnibus iustum Dei iudicium est.

2. Et velut electi<sup>cccccccccccccccc</sup> homines qui salvi fient non omnes habent hic unam conversationem, nec virtutem æqualem sanctitatis, ita secundum similitudinem bonam quam hic habent de illis ordinibus, deputabit eos Deus in eorum numero et sorte. Illi qui parum boni sciunt, et hoc ipsum non desistunt fratribus pie nuntiare, propter hanc virtutem deputabuntur in ordine angelorum, qui minor est aliis ordinibus. Illi vero quibus Deus hanc virtutem dat ut Scripturas sanctas intelligant et de secretis cælestibus aut legendo aut inspirante Deo multa sciant et ipsa nuncient, deputabuntur in secundo ordine, hoc est inter archangelos. [fol. 101] Illos autem quibus Deus tantam sanctitatem hic dat, ut miracula et signa faciant, illic in tercio choro angelorum, hoc est

---

<sup>1053</sup> Ioh. 14, 2.

<sup>1054</sup> cf. 1 Cor. 15, 41 : alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum, stella enim ab stella differt in claritate.

<sup>1055</sup> Rom. 2, 6 : s. opera eius ; sic VL.

inter virtutes, deputabit. Illi homines qui hic tantam virtutem a Deo habent, ut malignos spiritus de obsessis hominibus eiciant virtute orationis et vi acceptæ potestatis, meritum suum habebunt in quarto ordine angelorum, hoc est inter potestates. Eos denique quibus Deus talem virtutem tribuit, ut meliores sint aliis bonis et iustis, et transcendant merita eorum, et principes sint ipsis electis fratribus, in numero quinti ordinis angelorum, hoc est inter principatus, ponet. Hi autem quibus Deus eam dat virtutem ut sibi dominantur et refrenent in semetipsis cuncta vitia et omnia desideria, ita ut per ipsam puritatem et munditiam quasi dii sint inter alios homines, sicut dictum est ad Moisen : « *Ecce constitui te deum Pharaonis* », <sup>1056</sup> in sorte sexti ordinis angelorum, hoc est inter dominationes, numerabuntur. Qui vero a Deo accipiunt hanc virtutem ut vigilantia cura sibi dominantur et imperent, et dum se ipsos sollicita intentione iudicant, ita ut in timore Dei semper maneant, et hoc plus habent in sua virtute, ut alios recte iudicare possint, sicut in cordibus eorum contemplatio Dei presens est, ita in ipsis cordibus eorum Dominus sedet velut in throno suo, et ita spirituales throni Dei sunt, per quos Deus aliorum hominum facta iudicat, discernit, examinat, et de sua spiritali sede mirabiliter et iuste cuncta dispensat et ordinat in hoc seculo ; sicut tales sancti homines sunt sedes Dei, ita in futuro habebunt locum suum in septimo choro angelorum, hoc est inter thronos. <sup>1057</sup>

3. Tales homines sancti, qui sunt throni Dei, sunt episcopi et alii pastores sanctæ Ecclesiæ, qui sanctam Ecclesiam regunt, et ipsos electos sibi subiectos aliquando iudicant de quibusdam infirmis actibus suis. Videte, fratres, quam plurima destructio et quam magnum malum est ut tales indigni pastores constituentur in sancta Ecclesia, qui se ipsos iudicare nesciunt, qui nequaquam sunt throni Dei, qui alios iuste regere aut nolunt aut nesciunt, qui falsum nomen pastoris tenent, qui per ignorantiam sunt cæci,

---

<sup>1056</sup> Ex. 7, 1.

<sup>1057</sup> cf. GREG. M., *In evang.* 34, 11.

per vitia sunt infirmi, et potius sunt tronus diaboli quam thronus<sup>ffffffffffffff</sup> Dei ! Si enim in illis sedet ignorantia, iniustitia, superbia, ira, luxuria, cupiditas et cetera vitia, non possunt esse thronus Dei, et ad damnationem suam ipsos bonos iudicant sibi subiectos.

4. Et illi sancti homines quibus dat Deus in presenti seculo plenitudinem scientiæ, hoc est caritatem, quia *plenitudo legis* non grammatica, non rhetorica<sup>oooooooooooooooooooo</sup>, non dialectica, non cetera secularis philosophia, sed *caritas est*,<sup>1058</sup> sicut sunt pleni dilectione Dei et proximi, ita spiritaliter sunt cherubin, hoc est pleni caritate et dilectione. Et omnes hi tales, qui plus ceteris hominibus pleni sunt caritate Dei et proximi, merita sua accipient a Deo in octava sorte angelorum, hoc est inter cherubin.

5. Nam in nono choro angelorum, qui sublimior et dignior et maior est aliis octo choris angelorum, hoc est inter seraphin, habebunt locum suum et sortem illi sancti homines qui hic ardent in contemplatione Dei, nihil desiderant nisi Deum, nihil<sup>hhhhhhhhhhhhhhhhhh</sup> de hoc seculo concupiscunt, non habent amorem nisi de sancta Trinitate, omnia terrena a se abiciunt, cunctas res temporales in corde suo transcendunt, solum Deum amant, et in eius amore ardent, et in ipso igne amoris permanent. Et sicut flamma ignis corporaliter ardet, ita illi cordibus suis spiritaliter ardent in dilectione Dei. Et sicut ipsi ardent, ita locutione sua alios accendunt in amorem divinum. Et sicut ferrum fortiter inflammatum ab igne rubicundum et totum videtur purus ignis, ita corda eorum in ignem amoris Dei conversa sunt et lucent et urunt, quia alios ad Deum inluminant, et per conpunctionem in fletibus rubiginem vitiorum cremant et purgant. Et sicut episcopi et alii pastores sancti thronus Dei proprie sunt, quia subiectos iuste iudicant, inoboedientes excommunicant, peccantibus poenitentiam imponunt, poenitentes absolvunt et reconciliant, ecclesiam Dei regunt, ita veri hæremitæ et veri monachi proprie sunt quasi seraphin, quia a<sup>iiiiiiiiiiiiiiiiiiii</sup> conspectibus et locutionibus secularium fugiunt, et Deo in orationibus et silentio sancto familiares

<sup>1058</sup> Rom. 13, 10 : dilectio e. ; sic VL.

sunt, et nichil cogitant nisi de solo amore Dei, semper Deum sitiunt, et *sicut cervus desiderat fontes aquarum*,<sup>1059</sup> ita ipsi desiderant festinare ad aeternam patriam. Et quo plus in cogitatione seculum fugiunt, tanto propinquius Deo vicini sunt. Et sicut episcopi, si bene regunt ecclesiam Dei, thronus Dei sunt, ita et veri monachi, si corpore in seculo sunt sed cogitatione semper incensi sunt et ardent in divino amore, quasi seraphin existunt.<sup>1060</sup>

6. Multi remoti sunt in monasteriis corpore, sed corde in seculo vagantur. Hi tales monachi non ardent in amore Dei. Multi necessitate cum secularibus corpore manent, sed mente remoti manent, quia in quocumque loco fuerint, habent flammam in dilectione Dei, quia Deum semper pre oculis habent. Vos quoque, o sacerdotes, qui ab episcopo in ecclesiis vestris ordinati estis, throni et sedes Dei spiritales estis, cum plebes vobis commissas diocesis vestrae secundum ecclesiasticas regulas iudicatis. Sunt autem multi pastores in sancta Ecclesia qui et non sunt remoti in monasteriis, et tamen ita ardent Dei amore, ut in corde veri sint monachi, quamvis non habeant vestem monachi.

7. Sed ideo sancti apostoli constituerunt monasteria, ut congregationes quae in eis essent, dum liberae<sup>iiiiiiiiiiiiiiiiii</sup> essent a sollicitudine seculi, ardentius in Dei contemplatione inflammarentur. Sicut autem inter angelos caelorum sublimior est ordo seraphin, ita inter gradus hominum sublimior est ordo monachorum. Ipsi enim maxime communem vitam, hoc est apostolorum vitam, tenent, ut nihil opus eis sit aliud quam de Deo cogitare. Tunc autem vere sunt monachi, si apostolos imitantur, ut, dum vacant a proximorum servitio, intenti sint orationibus, sicut de discipulo domini Marciale invenimus quia, dum vacaret a predicatione, orationi intentus erat.

<sup>1059</sup> Ps. 41, 2 : quemadmodum c. ; desiderat ad f. ; sic VL.

<sup>1060</sup> cf. GREG. M., *In evang.* 34, 11.

8. Vere ille ardens et lucens amore, iam in corpore positus in numero seraphin annumeratus erat, cum ei oranti Dominus in claritate divina apparuit dicens : « Pax tibi sit, karissime frater ! »<sup>1061</sup> Sicut ei cum claritate indicibili prius et postea apparuit, et cum splendore deduxit karissimum suum in cæleste regnum, ita ille cum ceteris apostolis inter seraphin deputatus est, quia hic semper accensus erat flamma superni amoris, ut Dominum videns rogaret eum dicens : « Deprecor te, Domine, ut iubeas me recipi in hac claritate. »<sup>1062</sup> Unde et in hora preciosæ mortis eius, quasi septupliciter sol ibi resplendisset,<sup>1063</sup> claritas Dei super eum fulsit, et cum illo splendore ascendit cum Christo in cælum. Modo prefulgens gloriosus in conspectu Domini, quanto subtilius et propinquius inter seraphin cernit claritatem sanctæ Trinitatis, tanto ardentius in amore eius ignescit sine fine. Nam in corpore positus duodecim<sup>kkkkkkkkkkkkkkkkkkkkkk</sup> angelorum custodiam in sui obsequio legitur habuisse,<sup>1064</sup> ut intelligamus eum in sublimiori ordine angelorum positum in conspectu, cui in corpore Deus obsequentes angelos deputaverat.

<sup>1061</sup> I Reg. 25, 6 : fratribus meis et t.

<sup>1062</sup> *Vita Martial. II* XXIV : a. et dixit ; fidelissime f. ; claritatis i. ; m. evehi ad claritatem.

<sup>1063</sup> *Vita Martial. II* XXVI : s. iubar solis i.

cf. Is. 30, 26 : lux solis erit septupliciter.

<sup>1064</sup> cf. *Vita Martial. II* XV : angeli enim sunt a Domino deputati duodecim, qui semper cum eo gradientes, non permittunt eum fatigari, non esurire, non sitire, sed ab omni malo eum servantes, ab omni prorsus reddunt contagione doloris extraneum ; *ib.* XVII : semper pergunt angeli a Domino deputati duodecim ad sui custodiam.



quia angeli qui tecum sunt me graviter torquent. »<sup>1069</sup> Item alius dicebat sacerdotibus suis cæcis : « Deus vester non potest vobis dare responsum, quia ab angelis Dei religatus est ex ea hora qua ille peregrinus Hebreus<sup>nnnnnnnnnnnnnnnnnnnnnn</sup> ad vos ingressus est. »<sup>1070</sup> Item alibi : « Scias<sup>oooooooooooooooooooo</sup> quia egressuri sumus ab hac urbe Burdegala per quendam Hebreum ultramarinum, qui omnia nostra moenia destrui precepit, et unum Deum iubet coli cæli et terræ conditorem. »<sup>1071</sup>

4. Sicut autem sancti apostoli Dominum in carne oculis suis viderant, ita ardentius quasi seraphin in eius amore urebantur, semper mente sua claritatem Dei contemplantes, orationibus intenti assiduis. Unde legimus quia sanctitas et benignitas in beato Marciale erat et magna humilitas, quippe qui thronus Dei erat in quo Deus presidebat, et oratio assidua,<sup>1072</sup> quippe qui, velut incendens in Dei amore, in corpore positus iam de numero seraphin videbatur. Semper in ore eius laudes Dei resonabant, ociosa verba nec audire cupiebat,<sup>1073</sup> pane solo in cibo, et aqua in potu semper contentus.<sup>1074</sup>

5. Et si subtilius in sanctis apostolis intueri velimus, omnem gratiam omnium illorum novem ordinum contueri possumus in eis : Cum *enim labia sacerdotis custodiant scientiam, et legem requirant ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est*,<sup>1075</sup> sicut angeli, primum de minimis, id est de<sup>pppppppppppppppppppppp</sup> carnali<sup>qqqqqqqqqqqqqqqqqqqq</sup> disputabant honestate ; sicut archangeli, adventum filii Dei et cælestia secreta quæ non parva sed maxima sunt nuntiabant ; sicut potestates, *supra serpentes et scorpiones et*

<sup>1069</sup> *Vita Martial. II VII* : adiuro t. ; n. me m.

<sup>1070</sup> *Vita Martial. II IX*.

<sup>1071</sup> *Vita Martial. II XVII* : ultra marinis partibus huc adventatum, quia ; d. præcipiens ; u. dominum ; qui cælum et terram condidit.

<sup>1072</sup> *Vita Martial. II VII* : i. eo e.

<sup>1073</sup> *Vita Martial. II XVII* : d. resonant ; a. cupit.

<sup>1074</sup> *Vita Martial. II XV* : p. solummodo i.

<sup>1075</sup> Mal. 2, 7 : s. custodient s. ; l. requirent e.



*supra omnem virtutem inimici potestatem* a Domino habebant ;<sup>1076</sup> sicut principatus, priores inter alios electos ordine et merito erant ; sicut virtutes, miraculis et prodigiis choruscabant ; sicut dominationes, aliis principibus electis<sup>xxxxxxxxxxxxxxxx</sup> preerant, hoc est episcopis et presbiteris quos per civitates et ecclesias ordinabant ; sicut throni, seculares principes christianos quos ad veritatem converterant, et provincias quas Deo adquisierant gubernabant, et eis bona et mala diiudicabant, et regulas et leges Christianorum sicut a Sancto Spiritu acceperant constituebant ; sicut cherubin, omnem plenitudinem scientiæ veritatis habebant, caritate Dei et proximi, quæ *plenitudo legis est*,<sup>1077</sup> pleni erant, conscientias hominum plene videbant ; sicut seraphin, in solo Dei amore ardentis fixi erant.

---

<sup>1076</sup> Luc. 10, 19.

<sup>1077</sup> Rom. 13, 10 : e. dilectio ; VL : caritas.

## [CXXV]

1. His virtutibus martires sancti et confessores et virgines in illa sorte beatorum spiritu cum numerati iam sunt, ibi possumus et nos numerari si eos festinemus imitari. Sicut Iohannes Baptista, quo *maior inter natos mulierum nemo surrexit*,<sup>1078</sup> angelus spiritualiter erat, quia adventum Domini nuntiavit, dicente Domino : « *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit viam tuam ante te* », <sup>1079</sup> ita vos, sacerdotes, angeli estis, dum<sup>ssssssssssssssssss</sup> populo legem Dei nunciatis ; archangeli estis, dum<sup>tttttttttttttttttt</sup> virtutes Dei annunciat ; virtutes estis, dum spiritalia miracula agitis, id est dum de populo aliquos in peccatis mortuos vestra predicatione et cura de morte animæ, quæ est resurrectio prima, ad vitam pænitentiae resuscitatis ; potestates estis, dum de caticuminis spiritus inmundos per exorcismum eicitis, dicentes : « Exi inmunde spiritus,<sup>1080</sup> et da locum Spiritui Sancto ! », <sup>1081</sup> implentes illud quod Dominus dixit : « *In nomine meo, dæmonia eicient* », <sup>1082</sup> principatus estis, dum per vitæ meritum vestris subiectis sanctiores estis ; dominationes estis, dum ita in vobismetipsis carnalibus desideriis dominamini, ut merito ipsos qui gradu priores populo sunt (id est diaconos, subdiaconos et reliquos gradus) in vestro obsequio possideatis ; throni estis, dum subiectos secundum voluntatem Dei iudicatis – non autem secundum voluntatem Dei iudicatis, si extra iustum iudicium iudicatis, si quos absolvere non debetis absolvitis, aut quos excommunicare non debetis excommunicatis ; de ordine cherubin estis, si plenitudine legis, hoc est caritate Dei et proximi,<sup>1083</sup> pleni estis ; de numero seraphin estis, si ita amore Dei inflammati estis, ut nihil terrenum diligatis.

---

<sup>1078</sup> Matth. 11, 11 ; Luc. 7, 28.

<sup>1079</sup> Matth. 11, 10 ; Luc. 7, 27 ; Marc. 1, 2 : e. ego m.

<sup>1080</sup> cf. Marc. 1, 25-26 : et comminatus est ei Iesus dicens : obmutesce et exi de homine, et discerpens eum spiritus inmundus et exclamans voce magna exivit ab eo.

<sup>1081</sup> cf. *Benedictio aquæ ad baptizandum infirmum* (PL, 151, col. 914<sup>C</sup>).

<sup>1082</sup> Marc. 16, 17.

<sup>1083</sup> cf. Rom. 13, 10 : plenitudo ergo legis est dilectio ; VL : caritas.



iugum eius suave suscepimus, et de diaboli iugo traxit nos, ita ipse est Christus, hoc est unctus vel sacratus, in vero corpore quod de virgine assumpsit unctione Spiritus Sancti. Et sicut in Veteri Testamento sacerdotes et reges ungebantur, et ideo christi dicebantur quia uncti erant unctione sacra, ita Dominus ante initium a Patre inenarrabiliter genitus, in fine temporum veniente Spiritu Sancto in Mariam Virginem et sacrante unctione spiritali uterum eius, conceptus est de Spiritu Sancto, et natus est de Maria Virgine. A cuius nomine, quod est Christus, Christiani dicti sunt, quia sancto crismate per sacerdotum ministerium in baptismo, deinde per impositionem manuum episcoporum uncti sunt. Et sicut nos hanc gratiam a Christo habemus ut per illum gratias Deo Patri agamus, ita angeli ipsam habent gratiam ab ipso ut per illum laudent maiestatem Dei Patris. Maiestas, hoc est magna potestas, quia sola potestas Dei maior est ultra omnem potestatem. Et sicut Christus vere æqualis est Patri in divinitate, ita ipse vere simul cum Patre creavit angelos, et ideo per illum laudant angeli Deum Patrem. Et cum Patrem laudant, simul et Filium et Spiritum Sanctum laudant, quia una deitas et gloria est in Patre et Filio et Spiritu Sancto.

6. Sicut angelus grece dicitur nuntius latine, ita **nomen est officii, non naturæ**,<sup>1086</sup> quia nuntiat in terris voluntatem Dei. Naturaliter autem spiritus sunt omnes angeli.<sup>1087</sup> Et sicut illi ordines angelorum non sunt corporales sed spirituales, ita spiritaliter Deum adorant et tremunt. Et sicut homo corporaliter ante dominum suum solet tremere et timere, ita omnia cælestia, terrestria et infernalìa, corporalia et spiritalia ante illum conspectum divinæ maiestatis tremunt et timent, et ipsi cæli iussioni divinæ oboedientes sunt, nec habent potestatem ostendere se vel serenos vel nebulosos sine Dei voluntate.

<sup>1086</sup> ISID., *Sent.* I (col. 554) : angelorum n.

<sup>1087</sup> *cf.* AUG., *Civ.* XV 23, 4.

*cf.* GREG. M., *In evang.* 34, 8.

## [CXXVI]

1. Et sicut illæ virtutes cælorum, hoc est ordines angelorum et seraphin, sotia exultatione, hoc est una lætitia et una concordia, Dei maiestatem concelebrant, hoc est in una continua et sempiterna sollempnitate conlaudant, ita sacerdos rogat Deum Patrem ut nos annumeret cum eis in futuro, dicens : **Cum quibus**, hoc est cum ordinibus angelorum, **et nostras voces ut admitti**, hoc est adiungi, **iubeas, deprecamur supplicii confessione**, hoc est honorabili laude, **dicentes** ipsam laudem quam angeli incessanter proclamant, hoc est laus sanctæ Trinitatis : **Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus Sabaoth.**<sup>1088 1089</sup> Istam laudem sacerdos et populus suppliciter, hoc est inclinatis capitibus, dicunt.

2. Aliud est confessio de peccatis, hoc est accusatio, sicut apostolus ait : « *Confitemini alterutrum peccata vestra !* », <sup>1090</sup> hoc est : « Accusate ! » ; aliud est confessio, hoc est conlaudatio vel laus Dei, unde confessores sancti, hoc est laudantes Deum, dicuntur, iuxta quod psalmista ait : « *Confitemini Domino !* », <sup>1091</sup> hoc est : « Laudate Dominum ! » ; et ipse Dominus ad Patrem dixit : « *Confiteor tibi, Pater Domine cæli et terræ* », <sup>1092</sup> hoc est : « Laudo te, Pater Domine cæli et terræ. » Et ideo sacerdos dicit supplicii, hoc est humili, confessione, quia, sicut superbia non potest digne laudare Deum, et *non est speciosa laus in ore peccatoris*, <sup>1093</sup> ita humilitas digne Deum laudat, et illa confessio sive laus Deo accepta est quæ de humili corde procedit.

3. Et sicut nostra salus est dum nosmetipsos commendamus Deo Patri et eius æterno filio et Spiritui Sancto in humilitate vera, ita vera humilitas est dum nihil

---

<sup>1088</sup> Is. 6, 3.

<sup>1089</sup> cf. *Lib. sacram. Aug.* 1281 ; *Lib. sacram. Eng.* 1753.  
cf. *Expos. misse* 12-13 (*PL*, 83, col. 1146<sup>D</sup>-1147<sup>A</sup>).

<sup>1090</sup> Iac. 5, 16 : c. ergo a.

<sup>1091</sup> Ps. 32, 104, 105, 106, 117 et 135.

<sup>1092</sup> Matth. 11, 25 ; Luc. 10, 21.

<sup>1093</sup> Eccli. 15, 9.

confidimus in nostra bonitate vel conscientia, sed in sola Dei gratia et adiutorio. Nihil de nostris viribus aut de nostra iustitia presumere debemus, quia non nostris meritis sed Dei gratia salvamur, neque aliquid de vera bonitate habere possumus, nisi ille nobis tribuat, qui de se dixit discipulis suis : « *Sine me, nichil potestis facere* », <sup>1094</sup> et item : « *Omnis plantatio quam non plantavit pater meus cælestis eradicabitur.* » <sup>1095</sup>

4. Ille autem versus quem dicitis per aliquas maiores festivitates, sicut in missale constitutum est, hoc est : « *Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia cælestis exercitus, himnum gloriæ tuæ canimus sine fine dicentes* », <sup>1096</sup> ipsam vim et eandem dignitatem habet, quam ista medietas huius Prefationis. In ipso versu dicitis quattuor <sup>wwwwwwwwwwwwwwwwwwww</sup> speciales ordines angelorum (hoc est : angelos et archangelos, thronos et dominationes), sic et quattuor speciales in ipsa prefatione (hoc est : angelos, dominationes, potestates, et seraphin). Et sicut, in eo quod dicitis <sup>xxxxxxxxxxxxxxxxxxxx</sup> : ‘cæli cælorumque virtutes’, omnes alios ordines simul dicitis, ita, in eo quod dicitis : ‘cumque omni militia cælestis exercitus’, omnes ordines angelorum simul dicitis. Sicut autem dicitis : ‘sine fine dicentes’, ita in futuro dicetis laudem Deo sine fine cum angelis, sicut scriptum est : « *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.* » <sup>1097</sup> Quicumque enim salvi erunt, non aliud opus, non alium laborem facient, sed sine labore pleni gaudio laudabunt sanctam Trinitatem cum angelis, quia *similes erunt angelis* et

---

<sup>1094</sup> Ioh. 15, 5.

<sup>1095</sup> Matth. 15, 13.

<sup>1096</sup> *Sacr. Greg.* (col. 30<sup>A</sup>).

*cf. Lib. sacram. Aug.* 30 et 336 ; *Lib. sacram. Eng.* 24, 333 et 767 ; *Lib. sacram. Gell.* 29, 327, 721 et 1016.

<sup>1097</sup> Ps. 83, 5.

videbunt Deum,<sup>1098</sup> sicut scriptum est : *Videbitur Deus deorum in Sion,*<sup>1099</sup> et item :  
« *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus !* »<sup>1100</sup>

5. Et hæc est proprie laus sanctæ Trinitatis, quando dicimus tercia vice : ‘Sanctus sanctus sanctus’ ; hic est enim trinitas ; et dum dicimus : ‘Dominus Deus Sabaoth’, hic proprie est unitas. Et hæc est vera fides Christianorum catholica et orthodoxa ut, sicut angeli Deum credunt quia essentialiter et naturaliter sanctus est, et una sanctitas [fol. **102v**] et deitas naturaliter est in Patre et Filio et Spiritu Sancto, ita et nos eum credamus vere sanctum Deum, tres personas et unam deitatem.

6. Et sicut Iohannes vidit ante thronum Dei viginti quattuor<sup>yyyyyyyyyyyyyyyyyy</sup> presbiteros, hoc est seniores, et quattuor figuras animalium dicentium hanc laudem,<sup>1101</sup> et sicut Isaias vidit ante thronum Dei seraphin angelos qui ipsam laudem resonabant in honore sanctæ Trinitatis,<sup>1102</sup> ita nos qui credimus per viginti quattuor seniores, hoc est per prophetas et apostolos sanctos, qui credimus per quattuor Evangelia, qui credimus sicut et angeli credunt, laudare et predicare et benedicere debemus creatorem nostrum sanctam Trinitatem, dicentes : *Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus Sabaoth.*<sup>1103</sup> Propter viginti quattuor<sup>zzzzzzzzzzzzzzzzzzzz</sup> seniores qui ante thronum Dei sedentes sunt,<sup>1104</sup> nunc in nostrum cor venit quod vobis utiliter dicimus.

7. Sunt quidam non inquirentes veritatem qui putant<sup>aaaaaaaaaaaaaaaaaaaa</sup> ante thronum Dei non sedere nisi duodecim<sup>bbbbbbbbbbbbbbbbbb</sup> apostolos, et hac occasione putant non esse

<sup>1098</sup> Matth. 22, 30 (et Marc. 12, 25) : erunt sicut angeli ; sic VL.

<sup>1099</sup> Ps. 83, 8.

<sup>1100</sup> Ps. 45, 11.

<sup>1101</sup> cf. Apoc. 4, 4-8 : et in circuitu sedis sedilia viginti quattuor, et super thronos viginti quattuor seniores sedentes, (...) et in circuitu sedis quattuor animalia plena oculis ante et retro (...) requiem non habent die et nocte dicentia : sanctus sanctus sanctus Dominus Deus, omnipotens qui erat et qui est et qui venturus est.

<sup>1102</sup> cf. Is. 6, 2-3 : seraphin stabant super illud (...) et clamabant alter ad alterum et dicebant : sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.

<sup>1103</sup> Is. 6, 3.

<sup>1104</sup> cf. Apoc. 11, 16 : viginti quattuor seniores qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis.

apostolos preter duodecim solos ; et hac opinione negant apostolum esse beatum Marcialem doctorem Aquitaniæ, qui discipulus Domini hebreus et consanguineus beati Petri a Domino potestate ligandi et solvendi donatus et ab ipso missus fuit ; primusque in Galliam Evangelii lumen detulit et adventum domini nostri Iesu Christi nuntiavit ; et non unam civitatem ut episcopus tantum, sed integram provinciam Aquitaniæ cum Stephano rege Galliarum in illis diebus ut vere apostolus a Domino factus adquisivit sanctæ Trinitati.<sup>1105</sup>

8. Sed sicut in viginti quatuor<sup>cccccccccccccccc</sup> sedibus viginti quatuor coronati seniores sedent, habentes citharas et fialas aureas ante sedem Dei,<sup>1106</sup> ita in viginti quatuor duodecim et duodecim sunt. Per alios duodecim<sup>dddddddddddddddd</sup> intelligimus prophetas duodecim<sup>eeeeeeeeeeeeeeee</sup>, et per alios duodecim intelligimus apostolos duodecim. Sed quis stultus dixerit minorem gloriam habere patriarchas ?

9. Sicut ergo sunt duodecim<sup>ffffffffffffff</sup> patriarchæ, et præter illos sunt alii nobiles patriarchæ, ut Abraham, et Isaac et Iacob, et Iob, et reliqui, vel sicut sunt duodecim prophetæ, et præter eos sunt alii excellentes prophetæ, ut Isaias, Hieremias, Ezechiel<sup>gggggggggggggggg</sup>, atque reliqui, ita sunt duodecim apostoli, et præter illos sunt alii apostoli, ut Paulus, Marcialis, et Barnabas, et reliqui Hebrei qui Dominum in carne viderunt et eum secuti sunt et eum magistrum habuerunt et eum postea predicaverunt et Ecclesiam per provincias mundi primi plantaverunt. Et sicut in duodecim<sup>hhhhhhhhhhhhhhhh</sup> apostolos intelligimus omnes perfectos Novi Testamenti, ita in viginti quatuor seniores perspicimus omnes perfectos Veteris et Novi Testamenti, qui ante Deum gloriam maiorem habebunt, et in quatuor animalibus intelligimus sancta quatuor Evangelia, et omnes catholicos fideles, qui secundum quatuor Evangelia vere

<sup>1105</sup> cf. *Vita Martial. II* XXIV : per universas regiones ac provincias Galliarum, quas ipse Domino predicando acquisierat.

<sup>1106</sup> cf. Apoc. 5, 8 : viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas et fialas aureas.



credunt in Deum quia ipse est Pater et Filius et Spiritus in personis tribus divisus, in una deitate non divisus.

10. Et in hac laude : *Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus Sabaoth,*<sup>1107</sup> ideo sanctæ Trinitati tercio dicimus ‘sanctus’, quia Deus naturaliter est sanctus, et filius Dei naturaliter est sanctus, et Spiritus Sanctus naturaliter est sanctus. Angeli autem et homines non naturaliter sed per Dei gratiam sunt sancti, sicut Dominus per Moisen dixit filiis Israël : « *Sancti estote, quia ego sanctus sum dominus Deus vester !* »<sup>1108</sup> Et sicut Trinitas est Pater et Filius et Spiritus Sanctus unus Deus, ita non debemus dicere semel plurali numero ‘sancti’, sed tripliciter singulari numero ‘sanctus sanctus sanctus’, quia in his tribus personis et una sanctitas et una æternitas est.

11. Ipsa Trinitas est ‘dominus Deus Sabaoth’, hoc est dominus Deus exercituum, quia exercitus novem ordinum angelorum omnes, et omnes exercitus hominum sive christianorum sive paganorum ipse ordinat et dispensat, et exercitus dæmonum ipse per voluntatem suam moderatur et refrenat, ne plus quam ipse permittit facere possint. Ipse Deus exercituum est, quia *ipse*, sicut ait Danihel propheta, *mutat tempora et transfert regna, reges alios deponit et alios constituit,*<sup>1109</sup> et cui vult dat victoriam. Vel ipse est ‘dominus Deus Sabaoth’, hoc est omnipotens, quia omnia quæ vult *facit in cælo et in terra*, in mari et in omnibus abissis, et omnia potest quæ vult, et in voluntate eius universa sunt posita, *et non est qui resistat voluntati eius, et non est qui ei possit*

---

<sup>1107</sup> Is. 6, 3.

<sup>1108</sup> Lev. 19, 2.

<sup>1109</sup> Dan. 2, 21 : e. ætates t. ; r. atque c.

*dicere : « Quare hoc vel sic<sup>iiiiiiiiiiiiiiii</sup> facis ? »<sup>1110</sup> Ipse est enim vere Deus deorum et rex regum, et dominus dominantium.<sup>1111</sup>*

---

<sup>1110</sup> Dan. 4, 32 : iuxta voluntatem enim suam, f. tam in virtutibus celi quam in habitatoribus terre, e. ; r. manui e. ; e. dicat q. fecisti ; *sic* VL.

*cf. etiam* Rom. 9, 19 : voluntati enim eius quis resistit.

*cf.* ARNOB. IUN., *Confl.* 2, 8 : deus, (...) voluntate sua, qua potest omnia que vult facere in celo et in terra et in mari et in abyssis.

<sup>1111</sup> Deut. 10, 17 : et rex regum *om.* ; *sic* VL.

*cf. etiam* 1 Tim. 6, 15 ; Apoc. 19, 16.

## [CXXVII]

1. Et sicut in hac laude sanctæ Trinitatis dicitis : ***Pleni sunt cæli et terra gloria tua, osanna in excelsis,***<sup>1112</sup> ita maiestas sanctæ Trinitatis implet cælos et terram sua gloria et misericordia, quia ipse maior est quam cæli et terra et ipse creavit cælos et terram et ipse gubernat, et cuncta quæ in cælis et terra sunt glorificant et honorant eius sanctum nomen, et ipse diabolus, qui Deo contrarius est, et ipsi impii homines iudei, sarraceni, pagani, hæretici, qui Deo contrarii sunt, nichil amplius possunt agere, nisi quantum permittit eis voluntas Dei. Et ipse Deus unus sancta Trinitas est '*in excelsis osanna*',<sup>1113</sup> hoc est gloria et laus et salus angelorum et sanctorum omnium qui in cælis sunt, quia per eius<sup>iiiiiiiiiiiiiiii</sup> gratiam salvati sunt angeli qui remanserunt in cælo, et salvantur homines quorum animæ ascendunt in cælum cotidie.

2. Et sicut, quando Dominus venit ad passionem in Hierusalem, pueri Hebreorum et turbæ Iudeorum clamabant ei hanc laudem :<sup>1114</sup> ***Benedictus qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis,***<sup>1115</sup> ita ipsam laudem ei dicimus, quando ad<sup>kkkkkkkkkkkkkkkkkkkk</sup> passionem in altari per manus sacerdotis cotidie de cælo descendit. Nam sicut tunc de monte Oliveti descendit, quando Iudei<sup>iiiiiiiiiiiiiiii</sup> immolaverunt ipsum agnum Dei in cruce per invidiam, ita cotidie de altitudine misericordiæ suæ dignatur descendere, quandocumque sacerdotes Christianorum ipsum verum agnum Dei immaculatum, non per invidiam sed per benignitatem et oboedientiam voluntatis eius, in altari sancto immolant, sicut ipse Dominus iussit apostolis suis, et apostoli tradiderunt omnibus Christianis per mundum.

3. Vere, fratres, ille apostolus et discipulus Dei et domini nostri Iesu Christi, qui primus in Gallia agnum Dei immolavit, sicut primus in gente occidua missam

<sup>1112</sup> cf. *Expos. misse* 13 (PL, 83, col. 1147<sup>A-B</sup>).

<sup>1113</sup> Marc. 11, 10.

<sup>1114</sup> cf. Ioh. 12, 13 ; Luc. 19, 38 ; Marc. 11, 9.

<sup>1115</sup> cf. *Expos. misse* 13 (PL, 83, col. 1147<sup>B</sup>).

celebravit, sicut primus holocaustum verum ibi optulit, primus sacerdotii ordinem exorsus est, primus hanc consuetudinem passionis locis occiduis tradidit, ita merito primatum honoris, gloriæ et dignitatis ibidem usque in finem mundi habere dignus est ; indigni potius sunt illi qui eum, sicut de sorte sancti Petri fuit, sicut egregius de sorte apostolica extitit, privandum censent nomine apostolico. Sicut enim idem beatus Marcialis ad predicandum gentibus adscitus est a Spiritu Sancto, per quem omnium linguarum notitiam habuit, et Aquitaniæ provinciæ iubente domino Iesu Christo semina fidei primus eroganda suscepit, ita laudabiliter in apostolatus officio laboravit, veniens a Hierosolim ad extremam occidentis gentilitatem in nomine Domini, deferens benedictionem Christi, fugans maledictionem diaboli. Et per beatum Petrum ipse eum illuc direxit qui proprie benedictus Deus dicitur, qui benedixit Ecclesiam [fol. 103] suam omni benedictione spiritali, qui venit de cælo in mundum in nomine domini Dei Patris sui, qui eum in mundum misit.<sup>1116</sup>

4. Et sicut ille adventus Domini in Hierosolim significabat futuram resurrectionem omnium hominum, quando venturus est iudicare vivos et mortuos, et apparebit omnibus in eadem carne qua pro nobis passus est, ita oblatio sacerdotis in altari verum corpus Domini signat, per cuius virtutem et hic resurgimus a peccatis, et tunc resurgemus in gloria, si tamen digne hic tractamus et digne sumimus veram carnem illius, *in cuius nomine omne genu flectitur, cælestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confitetur quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.*<sup>1117</sup>

5. In crastina synodo Canonis expositionem audietis, et optinete vestris precibus ut Spiritus Sanctus ita nos inluminet, ut salutiferam vobis disputationem dicamus, prestante Domino cui est gloria in secula ! Amen.

<sup>1116</sup> cf. *Vita Martialis. II IV* : monuit eum (sc. Petrum) ut dirigeret beatum Marcialem ad predicandum provinciis Galliarum, ut populus qui a diabolo tenebatur, tandem auditis eterne vite premiis, deserens profanum errorem, Christi se mancipandum traderet servitio, atque ad veram religionis fidem a supersticioso converteretur errore.

<sup>1117</sup> Phil. 2, 10-11 : i. Iesu n. ; g. flectat c. ; l. confiteatur q. ; VL : flectitur ... confitetur.



4. De una re nunc postulamus eum, hoc est ut ita nos faciat dignos in suo timore et amore, ut nomen eius non sit nobis in vanitatem, sed in magnam sanctificationem, sicut per Moisen dictum est : *Non assumes nomen domini Dei tui in vanum.*<sup>1121</sup> Deus naturaliter in semetipso sanctus est. Sed in hæreticis et Iudeis et paganis et<sup>oooooooooooooooooooo</sup> falsis Christianis nomen Dei non est sanctificatum, quia non credunt Deum nec recipiunt legem eius, et nomen sanctæ Trinitatis habent in derisu et vanitate, quasi Deus non possit eos adiuvere sive nocere, ideoque peribunt. Et falsi Christiani ita non tenent in se sanctificatum nomen Dei, ut facile pro qualibet vanitate non timeant iurare nomen eius, et dum frequentissime peiurant nomen Dei, nihil de hoc curant ; et illi non tenent in se sanctificatum nomen Domini, qui dicunt se credere Deum verbis, sed factis negant. Et si sanctificatum esset in illis nomen Domini, voluntatem Domini facerent. De illis ait Dominus : « *Non omnis qui dicit mihi “Domine ! Domine !” intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* »<sup>1122</sup> Qui vere<sup>pppppppppppppppppppp</sup> credit in Deum et facit voluntatem Dei, in illo est sanctificatum nomen Domini.<sup>1123</sup>

5. Si in vobis sunt sanctæ virtutes, castitas, pietas, humilitas, caritas et aliæ, tunc sanctificatur in vobis nomen Dei magnum et sanctum, quia in vestris cordibus dignum habitaculum Deo paratis, et per vestram bonam conversationem et bonum exemplum ab aliis benedicatur nomen Domini. Quando benedicitis et laudatis nomen Domini, tunc sanctificatur, hoc est benedicatur et conlaudatur<sup>qqqqqqqqqqqqqqqqqqqq</sup>, nomen Domini, hoc est ipse Dominus. Quando glorificamus Deum et gratias agimus Deo, tunc sanctificamus, hoc est laudamus et benedicimus, nomen Domini. Et quando dicimus :

<sup>1121</sup> Ex. 20, 7 : n. adsumes ; sic VL.

<sup>1122</sup> Matth. 7, 21.

<sup>1123</sup> cf. *Expos. misse* 33 (PL, 83, col. 1151<sup>B</sup>) : Nos autem ideo dicimus ‘Pater noster, qui es in celis’, ut credere ostendamus in Patrem celestem, et sicut filii precepta Patris sui implere cupiunt, ita et nos ipsius precepta implere, et ad celum semper tendere desideremus.

cf. *Expos. misse* 34 (PL, 83, col. 1151<sup>C</sup>) : ut sicut in celo, ita et in terra sit nomen eius sanctificatum.

*'Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum',*<sup>1124</sup> idem est velut si dicamus : « Domine, da nobis **ut** semper sanctificemus, hoc est laudemus et benedicamus, te, semper **digni simus** dicere laudem et gloriam tuam ! » Quia sicut *in ore peccatoris non est speciosa laus,*<sup>1125</sup> ita in ore sanctorum semper est laus et sanctificatio et benedictio Dei, quia sancti et iusti semper in hoc seculo sanctificant, hoc est laudant, Deum, et in futuro cum angelis sanctificabunt, hoc est laudabunt et benedicent, **nomen sanctum Domini.**<sup>1126</sup>

6. Et sicut Dominus dixit apostolis suis : « *Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum* », <sup>1127</sup> ita **est** ipse **proprius** et naturalis **filius** Dei **Patris, ex substantia Patris ante omnia tempora genitus, et Patri coæternus, et nos secundum tempus creati a Deo filii eius adoptivi sumus** per baptismum, hoc est per gratiam suam. **Et** sicut sumus per adoptionem filii Dei, ita **hæreditatem patris nostri**, hoc est regnum cælorum, per eius gratiam in futuro possidebimus, si tamen opere impleverimus quod Deo Patri nostro in baptismo **spopondimus.** [fol. 113] Et sicut omnes unum Patrem habemus Deum per gratiam filii sui Iesu Christi, ita in Christo omnes fratres sumus invicem, quia æqualem gratiam baptismi habemus.<sup>1128</sup>

7. Et sicut **cælum a celsitudine vel a cælando dicitur, eo quod altius est omnibus**<sup>xxxxxxxxxxxxxxxx</sup> **rebus corporalibus, et cælat** oculis nostris **divina secreta,** ita Deus, qui ubique totus est, proprie tamen est in cælis, hoc est in spiritalibus locis, quia *Deus spiritus est, et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare.*<sup>1129</sup> *Cælum et*

<sup>1124</sup> Matth. 6, 9.

<sup>1125</sup> Eccli. 15, 9.

<sup>1126</sup> *Expos. misse 34 (PL, 83, col. 1151<sup>B</sup>)* : tuum, hoc e. ; u. nos d. ; s. tenere n. ; s. eius in cordibus nostris.

<sup>1127</sup> Ioh. 20, 17.

<sup>1128</sup> *Expos. misse 33 (PL, 83, col. 1151<sup>B</sup>)* : Christus d. post resurrectionem suam ; v., aliter dixit Patrem suum, aliter Patrem nostrum, Patrem suum, quia e. ; o. sæcula g. ; c., Pater noster ideo est, quia n. creavit in tempore, et nos f. ; h. coelestem p. ; n. coelestis possidere debemus, s. operibus implemus, quia perceptionem fidei s.

<sup>1129</sup> Ioh. 4, 24.

*cæli cælorum capere non possunt* Deum,<sup>1130</sup> tam inmensus et excelsus est Deus, tamen sicut proprie in sanctis ecclesiis nomen eius laudatur a populis mortalibus, ita cælis glorificatur nomen eius ab angelis et omnibus sanctis, ideoque proprie in cælis esse dicitur, qui cælos gubernat et continet, qui in omni loco presens est potentia deitatis suæ.<sup>1131</sup>

8. Ideo Dominus ait : « *Cælum sedes mea est, terra autem scabellum pedum meorum* », <sup>1132</sup> non ut ita sit quasi forma corporalis enormis gigantis, vel ita corporaliter sedeat ut excelsæ staturæ gigas, vel tam longa crura habeat quasi pertingant a cælo ad terram, quod stultum est cogitare, sed ideo dicitur cælum esse Dei thronus, et ‘terra scabellum pedum’ eius, quia et in cælo et in terra Deus semper presens est. Sicut episcopus hic inter vos sedens presens est throno in quo sedet, et scabello pedum suorum, ita per ipsam similitudinem Deus semper presens est in cælo et in terra, quia cælum et terram ipse solus gubernat, et ideo dicitur sedere in cælo et habere terram scabellum pedem suorum.

9. Si quis vos interrogat ubi est Deus, respondebitis sapienter, si ita respondetis : « In cælo et in terra et ubicumque sunt sancti eius. » *Anima iusti est sedes sapientiæ.*<sup>1133</sup> Tantum est ineffabilis maiestas Dei et incogitabilis, ut in omnibus singulis iustis et in cælo totus sedeat et in omni terra sit, et extra cælum et extra terram sit, quia non cælum et terra continent Deum sicut ista ecclesia continet nos, sed Deus continet cælum et terram in virtute sua incogitabili. Et sicut Deus erat in sua gloria

<sup>1130</sup> III Reg. 8, 27 : p. te.

<sup>1131</sup> *Expos. misse* 33 (*PL*, 83, col. 1151<sup>B</sup>) : Aliter celum a c. dicitur, eo quod ; r. terrenis.

<sup>1132</sup> Is. 66, 1.

<sup>1133</sup> *Citation biblique (VL) transmise par Augustin et Grégoire, et dont la référence est discutée :*

*cf.* Sap. 1, 4 : quoniam in malivolam animam non intrabit sapientia ; Sap. 3, 1 : iustorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis ; Sap. 7, 7 : invocavi et venit in me spiritus sapientie ; Sap. 7, 27 : in animas sanctas se transfert.

*cf.* Prov. 2, 10 : si intraverit sapientia cor tuum et scientia animæ tuæ placuerit ; Prov. 11, 30 : fructus iusti lignum vitæ et qui suscipit animas sapiens est ; Prov. 12, 28 : in semita iustitie vita.

*cf. etiam* III Reg. 3, 12.



et<sup>ssssssssssssssssss</sup> maiestate qua nunc est, quando cælum et terram non fecerat, nec cælum et terra erant, ita si cælum et terra omnino perirent, ut iam ultra non essent, Deus tamen in sua plena gloria et maiestate sine cælo et terra permaneret. Et in cælis proprie esse dicitur Deus, quia in cælis angeli manent Deum laudantes, et maior dignitas et gloria et sanctitas et gaudium est in cælis quam in terris.

10. Et si perfecte vultis scire ubi Deus perfecte totus manet, et ubi erat antequam faceret cælum et terram, et, quia nullus locus potest capere Deum, quis locus eum capit totum perfecte, scitote quia Deus in semetipso totus est et apud semetipsum et nunc et antequam faceret cælos et terram totus manet, et ipse Deus tota sancta Trinitas sibimetipisi locus est, quia in nullo alio loco est nisi in semetipso incogitabiliter, et ipse cælos et terram implet, et omnia continentur ab illo, et illum nullus locus continet, sed ipse Deus admirabilis et ineffabilis semetipsum continet in sua propria ineffabili et inæstimabili maiestate et gloria ! Et tam magnus et mirabilis est Deus sancta Trinitas, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, in sua propria gloria et maiestate, ut neque homo aliquis, qui in terra manet, eius gloriam valeat cogitare sicut est, neque ipsi sancti angeli, qui in cælo sunt, maiestatem et magnitudinem eius possint perfecte scire et laudare, sicut in sua propria divinitate perfectus semper est.<sup>1134</sup>

---

<sup>1134</sup> *Expos. misse* 34 (*PL*, 83, col. 1151<sup>B-C</sup>) : ut ita et nos, q. ; terra sumus, ipso adiuvante, e. sanctitatem mereamur cognoscere, s. ; sunt sanctitatem nominis sui sciunt e. intelligunt.

1. Secunda res quam petimus a Deo est ista : *Adveniat regnum tuum*. Idem est ac si dicamus : « Domine, da nobis hanc gratiam ut videamus regnum tuum, ut videamus te regnare in tua gloria, et tecum regnemus, quia tu es rex noster mansuetus, humilis, sapiens, iustus ; gloriam et gaudium sempiternum habent, qui merentur tecum regnare ! » Regnum Dei est ipse filius Dei, *sicut* ipse Iudeis dixit : « *Regnum Dei intra vos est* », <sup>1135</sup> hoc est : « Filius Dei ego corporaliter sum intra vos, qui veni vos salvare, vobis pacem dare. » De hoc regno dicit Dominus : « *Quærite primum regnum Dei et iustitiam eius* (hoc est : “Videte ut placeatis filio Dei et eius preceptis oboediatis”), *et hæc omnia adicientur vobis* (hoc est : “Ipse dabit vobis temporalia bona et in seculo futuro vitam æternam”) ! » <sup>1136</sup> Qui Dominum in primis quærit, vitam æternam et spiritalia bona quærit. De isto regno, ipse Dominus ait Iudeis : « *Dico vobis quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius* », <sup>1137</sup> hoc est : « Auferetur a vobis gloria Dei Patris, hoc est filius Dei, et dabitur genti, hoc est : Regnabit filius Dei in gentibus quæ <sup>tttttttttttttttttttt</sup> eum credent et eius preceptis obaudient. » <sup>1138</sup>

2. Hoc regnum apostoli missi sunt a Domino predicare, id est : ut predicarent filium Dei in sua gloria et veritate. Hoc regnum predicabat genti Aquitanicæ beatus Marcialis Dei legatus, hoc est apostolus, quando barbaris, qui numquam usque ad illud tempus veri Dei nomen audierant, dicebat publice : « Nemo aliter potest intrare in regnum Dei, nisi fuerit baptizatus. » <sup>1139</sup> Ac si diceret : « Nemo poterit intrare in gloriam Dei, nemo poterit cognoscere filium Dei, qui est vita æterna, nisi crediderit

---

<sup>1135</sup> Luc. 17, 21.

<sup>1136</sup> Matth. 6, 33 : q. ergo p. ; *sic* VL.

<sup>1137</sup> Matth. 21, 43.

<sup>1138</sup> *Expos. misse* 34 (PL, 83, col. 1151<sup>c</sup>) : Hoc e. ; u. nos mereamur cognoscere r. et potentiam eius ; (...) sicut in evangelio scriptum est.

<sup>1139</sup> *Vita Martialis. II VIII* : p. esse salvus.

prius perfecte in sanctam Trinitatem, quæ est verus unus Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et baptismum veritatis susceperit. » Hoc regnum Dei in populis occiduis per Christi discipulum Marcialem multiplicatum et prius preparatum est, ut multa milia hominum sub uno die baptizarentur multociens,<sup>1140</sup> et virgo Valeria, sponsa regis Stephani, pro eodem regno protomartir in mulieribus Galliarum decollaretur,<sup>1141</sup> et ipse princeps Galliarum Stephanus, sponsus ipsius virginis, cum omnibus ducibus et comitibus et principibus regni sui fidem et baptismum Christi indueret,<sup>1142</sup> et omnis Aquitania provintia ita Christo, per apostolum quem predicare audierat, subderetur, ut magis de regno Dei quam de regno diaboli esset.

3. Regnum Dei est iustitia, et pax, et gaudium, et beatitudo, et gloria. Regnum diaboli est dolor et tristitia, iniquitas et superbia, tribulatio et angustia et poena. Magna et perfecta postulatio est ista, ut veniat in nos regnum Dei, hoc est : ut exaltetur sancta Ecclesia, ut regnum cælorum exsuperet regnum superbiæ, quo diabolus regnat in cordibus superbiorum. Christus autem rex humilis, potens, gloriosus quiete et pacifice regnat in cordibus humilium, quibus ipse dicit : « *Nolite timere, pusillus grex, cui complacuit patri vestro dare vobis regnum !* »<sup>1143</sup>

4. Illud regnum postulamus in ista Oratione, quod Christus Dominus dicet nobis in die iudicii : « *Venite, benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi !* »,<sup>1144</sup> hoc est gloriam et beatitudinem ineffabilem. In his duabus rebus quibus dicimus : *'Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum ; adveniat*

<sup>1140</sup> cf. *Vita Martial. II VIII* : baptizati sunt autem in eodem castello hominum utriusque sexus tria milia sexcenti ; *ib. IX* : baptizati sunt autem in eodem vico in nomine Domini hominum utriusque sexus duo milia sexcenti ; *ib. XI* : sequenti vero die (...) baptizavit eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti in remissionem peccatorum, numero viginti duo milia.

<sup>1141</sup> cf. *Vita Martial. II XII* : hec effata ultro collum extendens uno ictu laniste truncata est.

<sup>1142</sup> cf. *Vita Martial. II XIII* : baptizavit eum et omnes comites eius ac duces, cunctumque exercitum eius, et omnem populum utriusque sexus numero quindecim milia.

<sup>1143</sup> Luc. 12, 32 : g., quia c. ; sic VL.

<sup>1144</sup> Matth. 25, 34 : m., possidete r. ; a constitutione m. ; sic VL.

*regnum tuum !*,<sup>1145</sup> rogamus proprie, quasi ita dicamus : « Domine, da nobis in hoc seculo sanctitatem, et in futuro vitam æternam ! » Sicut autem diabolus regnat in homine impio propter peccata, sic Deus regnat in homine sancto propter virtutes sanctas. *'Adveniat regnum tuum !*',<sup>1146</sup> hoc est : « Veniat in nos gratia tua, veniant in nos sanctæ virtutes tuæ, veniat nobis illa gloria tua, quando *fugiet dolor et gemitus*,<sup>1147</sup> quando *mors ultra non erit, nec luctus neque clamor !* »<sup>1148 1149</sup>

---

<sup>1145</sup> Matth. 6, 9-10.

<sup>1146</sup> Matth. 6, 10.

<sup>1147</sup> Is. 35, 10 et 51, 11.

<sup>1148</sup> Apoc. 21, 4.

<sup>1149</sup> *Expos. misse 34 (PL, 83, col. 1151<sup>c</sup>)* : et ut iam d. non regnet super nos p. nostra p., sed a. ; r. ipsius.

1. Tercia est petitio ista : *Fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra.* Magna est ista postulatio, qua rogamus Dominum ut talem suam gratiam nobis concedat, *ut sicut angeli, qui sunt in cælo, adimplent voluntatem eius,* et in nullo deviant ab eius voluntate, *ita et nos, qui corporaliter sumus in terra,* terreni et fragiles *faciamus* voluntatem Dei secundum possibilitatem nostram, et sic erit *conversatio nostra in cælis.*<sup>1150</sup> Si enim fidem habemus et non opera, erit de nobis illud quod dicitur : « *Non omnis qui dicit michi “Domine ! Domine !” intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* »<sup>1151</sup> De illis qui fidem et opera habent, Dominus ait : « *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater et soror et mater est.* »<sup>1152 1153</sup>
2. Voluntas Dei est ut semper bene agamus, Deum timeamus et diligamus, preceptis eius oboediamus, iugum eius suave super nos accipiamus, diaboli damnationem et regnum superbiæ respiciamus, sicut in baptismo promisimus. Etsi superbi homines et hipocritæ super nos propter nostra peccata potestatem vel regimen habent, nos pusilli multo magis subdamur humili et mansueto regi, de quo propheta dicit : « *Noli timere filia Sion, quia ecce rex tuus venit tibi mansuetus et humilis !* »<sup>1154</sup> Et item ipse Dominus : « *Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos ?* »<sup>1155</sup>
3. [fol. 113v] Ipsumque, qui dixit : « *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* », <sup>1156</sup> assidue rogemus Dominum ut ipsos superbos velociter

---

<sup>1150</sup> Phil. 3, 20.

<sup>1151</sup> Matth. 7, 21.

<sup>1152</sup> Matth. 12, 50 : q. enim f. ; sic VL.

<sup>1153</sup> *Expos. misse* 35 (PL, 83, col. 1151<sup>c</sup>) : sicut illi q. ; celo faciunt v.

<sup>1154</sup> Matth. 21, 5 (VL) ; Ioh. 12, 15 : v. sedens super pullum asinæ ; VL : t. mitis e. *cf. etiam* Zach. 9, 9.

<sup>1155</sup> Is. 66, 2 : ad q. autem respiciam n. ad pauperulum e. contritum spiritu e. ; sic VL.

<sup>1156</sup> Luc. 14, 11 et 18, 14.

deiciat a dominatione humilium, et humilitatis et patientiæ sectatoribus nos sotiare clementer dignetur. Pereant velocius ab ecclesia Dei omnes inflati superbia, deponantur superbi de sede, et exaltentur humiles.<sup>1157</sup> Abominabiles et inmundi sint apud Deum qui inter humiles exaltant cor suum. Væ superbo, qui indignus regimen animarum usurpat seipsum eligens, non quem Deus eligit, quia subiectos viam superbiæ et nequitiae docet, non semitam humilitatis et innocentiae ! Si humiles intente clamaverint ad Deum contra talem inflatum superbia, profecto quantocius implebitur de illo quod Dominus ait : « *Videbam Satanam, quasi fulgur de caelo cadentem.* »<sup>1158</sup> Velociter enim et cum magna ruina de ecclesia Dei precipitabitur in foveam perditionis dignam superbiæ suæ, de qua non ultra resurget, quia non de regno Christi sed diaboli esse elegit.

4. Exaudi, Christe, libera humiles de manu superbi festinantissime ! Et dum dicimus in hac oratione : *'Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra'*,<sup>1159</sup> tantum est si dicamus : « Domine, da nobis ut cum fide opera habeamus, nec simus de illis qui *confitentur se nosse Deum, factis autem negant*,<sup>1160</sup> sed voluntatem tuam ita adimpleamus in terra, ut *conversatio nostra sit in caelis* !<sup>1161</sup> »

5. Adhuc alia intelligentia est hic : *'Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra'*.<sup>1162</sup> Cælum sunt iusti,<sup>1163</sup> *quorum conversatio caelestis* et alta et spiritalis est ;<sup>1164</sup> terra sunt peccatores,<sup>1165</sup> *qui terrena sapiunt* et diligunt.<sup>1166</sup> Et rogamus Dominum ut, sicut iusti

---

<sup>1157</sup> cf. Luc. 1, 51-52 : dispersit superbos mente cordis sui ; deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

<sup>1158</sup> Luc. 10, 18 : s., sicut f. ; sic VL.

<sup>1159</sup> Matth. 6, 10.

<sup>1160</sup> Tit. 1, 16.

<sup>1161</sup> Phil. 3, 20.

<sup>1162</sup> cf. supra n. Erreur : source de la référence non trouvée p. 364.

<sup>1163</sup> cf. Eccle. 2, 14 : sapientis oculi in capite eius.

<sup>1164</sup> Phil. 3, 20 : nostra c. in celis e. ; VL : quorum.

<sup>1165</sup> cf. Prov. 17, 24 : oculi stultorum in finibus terre.

<sup>1166</sup> Phil. 3, 19.

faciunt eius voluntatem, et in sanctis et iustis est eius voluntas, ita peccatores convertat, ut sint iusti et eius voluntatem adimpleant. Sicut terra dicitur quia pedibus hominum et iumentorum teritur,<sup>1167</sup> hoc est percutitur, ita terreni homines dicuntur terra, quia vitiis superbiæ et carnalibus desideriis teruntur in corde. Sed dum ad fidem veritatis et opera iustitiæ convertuntur, propter cælestem conversationem cælum dicuntur.<sup>1168</sup>

---

<sup>1167</sup> cf. VIRG. GRAMM., *Epit.* 33 (p. 148).

cf. etiam ISID., *Orig.* XIV 1, 1.

<sup>1168</sup> *Expos. misse* 35 (*PL*, 83, col. 1151<sup>c</sup>) : terra a terendo d., eo quod p.

1. Audiamus quartam postulationem in Oratione dominica : *Panem nostrum cotidianum da nobis hodie !* Panis cotidianus, hoc est panis sempiternus, est ipsum corpus Domini, sicut ipse dixit : « *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* »<sup>1169</sup> Panis noster, hoc est Christus dominus noster, qui, quamdiu vivimus in hoc seculo, corpore suo nos pascit, et in futuro nos satiabit, ut nunquam moriamur, et ipse est panis angelorum. Cotidie pro populo christiano missa dicitur, et cui possibile est cotidie debet audire missam. Et quando dicimus : *'Da nobis hodie !'*<sup>1170</sup>, non dicimus de uno die, sed de omni tempore quo vivimus. Rogamus autem in his verbis : *'Panem nostrum cotidianum da nobis hodie !'*,<sup>1171</sup> ut Deus Pater det nobis tales nos esse quamdiu vivimus, ut digni simus accipere corpus et sanguinem Domini.<sup>1172</sup>

2. Antiqui Christiani omnibus dominicis diebus communicabant, quia dignos se exhibebant. Modo autem si melius non est, saltem ter in anno communicare ammonete omnes laicos, et ut se a longe preparent, ut digni sint, hoc est in Pascha, in Pentecosten, in Natale Domini, et unusquisque in obitu suo communicet, ut iste panis æternus, hodie (hoc est in hoc seculo) datus, in æternum vivere faciat omnes communicantes ! Iste panis vivus et omne verbum quod procedit de ore Dei vivere in æterna beatitudine nos faciet.<sup>1173</sup> Et sicut Dominus iussit dicens : « *Quærite primum regnum Dei et iustitiam eius, et hæc omnia, hoc est carnalis victus et vestitus, adicientur vobis !* »,<sup>1174</sup> ita in hac Oratione quærimus regnum Dei dicentes : *'Adveniat*

---

<sup>1169</sup> Ioh. 6, 52.

<sup>1170</sup> Matth. 6, 11.

<sup>1171</sup> Matth. 6, 11 : n. supersubstantialem d. ; sic VL.

<sup>1172</sup> *Expos. misse 35 (PL, 83, col. 1151<sup>C</sup>)* : panis apud grecos in nostra lingua 'omnis' interpretatur. Et nos oramus u. omnipotens P. omnes victus, spiritualem ac corporalem, n. largiri dignetur omni tempore.

<sup>1173</sup> cf. Matth. 4, 4 : non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore dei.

<sup>1174</sup> Matth. 6, 33 : q. ergo p. ; sic VL.



*regnum tuum*,<sup>1175</sup> et iustitiam Dei, hoc est : ut sanctum nomen Dei in nobis maneat, ut Dei voluntas maneat in nobis, ut corpus Domini et omne verbum Dei digne accipiamus.

---

<sup>1175</sup> Matth. 6, 10.

1. Sequitur quinta petitio : *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ! Non facit aliquid tortum vel iniustum, qui debitori suo debitum suum requirit.* Debita, hoc est peccata. *Si Deus nobis non dimiserit peccata nostra, nullus nostrum iustus erit. Et ut nobis Deus dimittat, debemus ipsi dimittere eis qui in nobis peccant. Ipse enim Dominus ait : Si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris,<sup>1176</sup> nec pater vester caelestis remittet vobis peccata vestra.<sup>1177</sup>* Et sicut Deus non recipit sacrificium si cum scandalo, hoc est cum discordia vel tristitia et ira illicita, offertur, ita unusquisque de semetipso omne scandalum auferat, ut, sicut scriptum est, *auferantur de regno Dei omnia scandala.<sup>1178</sup>* Et dum sumus induti ante altare, ut dicamus missam, et recordamur quia frater noster habet aliquid adversum nos, iubet nobis Dominus dimittere ipsum servitium, usque dum reconciliemur fratri. Et si frater longe positus est a nobis, animo debemus eum adire, et benivolentia et satisfactione placare. Rogemus Deum ut hanc caritatem nobis concedat, ut non solum amicos sed etiam inimicos nostros diligamus propter Deum.<sup>1179</sup>

2. Inimicos Dei odire debemus, sicut ait psalmista : « *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam ? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* »<sup>1180</sup> Sicut Petrus Simonem magum odit dicens : « *Pecunia tua tecum sit in perditione, quoniam donum Dei existimasti pecunia possidere.* »<sup>1181</sup> Et Paulus inimicum Dei odit, cui dixit : « *O plene omni dolo et fallacia, filius diaboli, non*

<sup>1176</sup> Matth. 18, 35.

<sup>1177</sup> Marc. 11, 26 : vester qui in caelis est dimittet v. ; sic VL.

<sup>1178</sup> Matth. 13, 41 : colligent d. ; sic VL (PS. ISID.).

<sup>1179</sup> *Expos. misse 35 (PL, 83, col. 1151<sup>C-D</sup>)* : Nihil enim f. ; q. sibi debenti d. ; sed s. omnipotens D. a n. requirit omnia debita n. ; n. sine dubio invenitur liber, e. ideo u. ; n. omnipotens nostra d. ; d. nos d. debitoribus nostris debita, quia i. dixit ; E. item s. ; n. recipitur, s. illud s. ; Sed a. ; a. dimitti iubetur ; d. reconcilietur f. suo, et tunc offerri mundo corde.

<sup>1180</sup> Ps. 138, 21-22.

<sup>1181</sup> Act. 8, 20 : i. perditionem, q. ; p. possideri ; sic VL.



1. Novissimæ duæ postulationes sunt sexta et septima : *Et ne nos inducas in temptationem, sed libera nos a malo !* Hic rogamus Dominum *ne* permittat nos intrare in illam temptationem, per quam consentiamus diabolo. Quando quis per pecuniam veritatem falsat, vel iniquitati consentit, vel contra legem Dei superbe agit, temptatus est a diabolo et victus. Dum quis a diabolo temptatur (aut per cogitationem, aut per timorem vel amorem vel lucrum vel suasionem), ut oboediat carnalibus desideriis et faciat iniquitatem vel consentiat contra æquitatem, et non consentit temptationi, talis temptatur, sed non superatur a diabolo, sed ipse superat temptationem diaboli, quia gratia Dei quæ est in sancto homine vincit temptationem antiqui serpentis.<sup>1186</sup>
2. Et rogamus Dominum ut *ipse nos defendat a temptatione diabolica*<sup>vvvvvvvvvvvvvvvvvvvvvv</sup>, *quia si Deus nos dimiserit* (quod absit !), ut non adiuvet nos, *statim cadimus in laqueum diaboli*. Et rogamus ut nos liberet a malo, hoc est ab omni adversitate humana et spiritali, et *ab omni impugnatione* visibili et invisibili omnium inimicorum.<sup>1187</sup>

<sup>1186</sup> *Expos. misse 36 (PL, 83, col. 1151<sup>D</sup>)* : ne intremus i. ; tentationem, in qua diabolus nos tentat, et c. ei.

<sup>1187</sup> *Expos. misse 36 (PL, 83, col. 1151<sup>D</sup>)* : Dominus i. ; defendat, ne inducamur in tentationem diabolicam, q. ; si Dominus n. dimittit, s. introducimur i. ; et ideo postulamus u. ; impugnatione diabolica.

1. Propterea post Orationem dominicam dicit secrete sacerdos : « **Libera nos, quesumus, Domine, ab omnibus malis preteritis, presentibus et futuris !** »<sup>1188</sup> Hoc **dicit, ut auferat a nobis omnia mala** et omnes tribulationes et angustias et adversitates **quæ fuerunt retro** in aliis temporibus, et **quæ modo** sunt per mundum, et **quæ futuræ sunt** post hoc tempus. Scitote, fratres, quia iam transierunt pessimæ tribulationes, et modo pessimæ sunt sicut videtis, quia ubique est timor, ubique iniquitas et superbia, gladius, fames, pestilentia, terrores de cælo et signa magna !<sup>1189</sup>
2. In hoc Natale Domini transacto, in die sancti Stephani post matutinos finitos, antequam aurora inciperet, basilica sedis Engolismensis, sicut vidimus, ictu fulguris per diversa et plura loca a summo usque ad fundamentum perforata et quassata est, et clericus unus extinctus, qui in secre-[fol. 114]-tario ipsius ecclesiæ sancti Petri post himnos finitos cum aliis quiescebat, et extractus sepultus est in basilica sancti Marcialis, foris muros civitatis, more sollempni fidelium. Crastina die rogantibus clericis – vacabat enim ab episcopo illa civitas –, sermonem fecimus populo de terrore venturi iudicii, et ut omnes pænitentiam agerent de pace et concilio quæ violaverant et se periuraverant.
3. In futuris vero temporibus tanta mala erunt, ut sit secundum quod ait Dominus : « *Erit tunc talis tribulatio, qualis non fuit ab initio.* »<sup>1190</sup> A quibus tribulationibus nullus poterit eripi, nisi per adiutorium Domini, et intercessione sanctorum.

<sup>1188</sup> cf. *Lib. sacram. Aug.* 1297 ; *Lib. sacram. Eng.* 1770 ; *Lib. sacram. Gell.* 1948.

<sup>1189</sup> *Expos. misse* 36 (*PL*, 83, col. 1152<sup>A</sup>) : Hoc postulamus, u. ipse nos ab omnibus malis liberet, qui nos mundos et bonos creavit, in quo nullum est malum. Preterita sunt q. iam ante peccantes commisimus, et ideo flagella sustinemus. Futura s. ; q. adhuc, diabolo suggerente, venire possunt. Et ideo oramus ut ab omnibus liberemur, quia ante conspectum Dei nulla sunt preterita, nec futura, sed omnia sunt presentia.

<sup>1190</sup> *Matth.* 24, 21 : e. enim t. ; t. magna, q. ; sic VL.

1. Propterea dicitis : « Et **intercedente pro nobis beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, et beatis apostolis** tuis **Petro et Paulo, Andrea, Marciale,** cum omnibus sanctis da propitius pacem in diebus nostris ! »<sup>1191</sup> Sicut hic commemoramus Mariam matrem Domini in adiutorium nostrum et beatos apostolos, qui sanctam Ecclesiam docuerunt de missa et de aliis sanctis doctrinis quas a Domino didicerunt, ita vere confidimus quia **eorum precibus dabit nobis pacem** Dominus. In quibusdam missalibus Michæl in hac oratione dicitur, et Stephanus protomartir, et quidam ex confessorum ordine, quod non est reprehensibile sed potius laudabile causa devotionis. Sicut etiam laudabile est causa devotionis in ipsa oratione iuxta Andream recitare Marcialem a nobis, eo quod de discipulis Domini est ac per hoc vere est de sorte apostolica.<sup>1192</sup>

2. Et sicut Ezechias rex optavit dicens : « *Bonus sermo Domini, fiat tantum pax et veritas in diebus meis* », <sup>1193</sup> ita rogamus pacem in diebus nostris, non in diebus qui post nos futuri sunt. Quia illi qui post nos erunt similiter orabunt Dominum sibi in diebus suis pacem dari. Ex quo autem orationes sacerdotum cessabunt, mox bella et tribulationes quæ in Evangelio dicuntur per Antichristum venient. Et post Antichristum erit aliqua pax et securitas, non ut sit perfecta pax, sed ad comparisonem tribulationis quæ erit sub Antichristo, illa mitigatio tribulationis quasi pax et securitas videbitur ; et dum plantabunt et ædificabunt, comedent et bibent et uxores ducent, sicut

<sup>1191</sup> cf. *Lib. sacram. Aug.* 1297 ; *Lib. sacram. Eng.* 1770 ; *Lib. sacram. Gell.* 1948.

<sup>1192</sup> *Expos. misse* 37 (*PL*, 83, col. 1152<sup>A</sup>) : Invocamus nobis genitricem Dei, que virgo fuit ante partum, virgo in partu, virgo post partum, i. ; qui nobis misteria celebranda tradiderunt, ut intercedant pro nobis, quia nos ipsi digni non sumus de preteritis ac presentibus veniam promereri, nec de futuris cautelam, nisi e. oratione donetur n.

<sup>1193</sup> Is. 39, 8 : bonum verbum d., quod locutus est, et dixit f. cf. IV Reg. 20, 19.

factum est in diebus Noe et in diebus Loth,<sup>1194</sup> in illa securitate *tamquam laqueus repente veniet ille novissimus iudicii dies in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.*<sup>1195 1196</sup>

3. Quando dicitis in hac Oratione : ‘Da propitius pacem !’, osculando accipitis pacem de operimento calicis, hoc est de patena, ubi prius oblatio posita est, et in qua frangitur et ponitur corpus Domini quando populum communicatis. Et a pace sive quia patens, hoc est apertum, opertorium calicis est, patena dicitur.

---

<sup>1194</sup> *cf.* Luc. 17, 26-28 : et sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus Filii hominis : edebant et bibebant, uxores ducebant et dabantur ad nuptias (...) ; similiter sicut factum est in diebus Loth : edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant, ædificabant.

<sup>1195</sup> Luc. 21, 34-35 : l. repentina enim superveniet illa d. ; VL : veniet (GREG. M.).

<sup>1196</sup> *Expos. misse 37 (PL, 83, col. 1152<sup>B</sup>)* : Iam oravimus ut liberemur a malis, nunc oremus ut, predictis sanctis intervenientibus, ipse donet p. propitius i. ; nostris, qui potens est a malo liberare.

1. Et mox dicitis : « **Ut ope misericordiæ tuæ adiuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.** »<sup>1197</sup> Si auxilium et misericordia Dei nobiscum est, tunc per eius adiutorium evadimus liberi a peccatis et vitiis, sive abstinendo a peccatis, sive per penitentiam et confessionem delendo peccata, et ita habemus pacem temporalem et spiritalem, ut simus securi a perturbatione huius seculi et antiqui hostis.<sup>1198</sup>
2. In fine huius orationis, dicitis : « **Per dominum nostrum !** », <sup>1199</sup> sicut in aliis, quia per illum Deus Pater orationem nostram exaudit.
3. Et dum populus, « Amen ! » respondens, confirmat credere se veram æqualem gloriam et regnum sanctæ Trinitatis, cum particula corporis Domini in calice unam crucem facitis, tangentes semel quattuor labia calicis, et salutatis populum catholicum in pace dicentes : « **Pax Domini sit semper vobiscum !** »<sup>1200</sup> Sic enim Dominus resurgens salutavit discipulos suos dicens : « *Pax vobis !* »<sup>1201</sup> Et discipulum suum Marcialem, quando eum invitavit ad regnum supernum, sic salutavit dicens : « **Pax tibi sit, dilectissime frater !** »<sup>1202 1203</sup>
4. Et dum particulam mittitis in sanctum sanguinem, tunc est vera resurrectio Domini facta, post passionem veram quæ cotidie fit super sanctum altare. Dum frangitis hostiam, tunc immolatis vivum Domini corpus. Cum fractum est, tunc mortuum est in passione crucis. Dum in sanguinem mittitur, resurgit, hoc est anima

<sup>1197</sup> cf. *Lib. sacram. Aug.* 1297 ; *Lib. sacram. Eng.* 1770 ; *Lib. sacram. Gell.* 1948.

<sup>1198</sup> *Expos. misse* 38 (*PL*, 83, col. 1152<sup>B</sup>) : Pacem a tentatione diaboli, ne induceremur in eam, pacem a malis hominibus, ne patiamur flagella eorum, u. ; securi, hoc est ut Dei adiutorio adiuti a p. nostris dimissis in presenti seculo non perturbemur iterum peccantes, nec in die iudicii æternam perturbationem patiamur.

<sup>1199</sup> *Lib. sacram. Aug.* 1297 ; *Lib. sacram. Eng.* 1770 ; *Lib. sacram. Gell.* 1948.

<sup>1200</sup> cf. *Lib. sacram. Aug.* 1298 ; *Lib. sacram. Eng.* 1771 ; *Lib. sacram. Gell.* 1949.

<sup>1201</sup> Luc. 24, 36 ; Ioh. 20, 19.

<sup>1202</sup> *Vita Martial. II* XXIV : fidelissime f.

<sup>1203</sup> *Expos. misse* 38 (*PL*, 83, col. 1152<sup>B</sup>).



vera ad corpus verum redit, et vera est resurrectio eius, et vere vivum corpus filii Dei mirabiliter accipimus, ut a morte æterna resurgamus.

5. Et dum communicamus, tunc in nobis ipse Dominus ascendit in cælum ad Patrem, de quo nunquam recessit, et iungit nostram humanitatem cum sua divinitate, ut de terris ad cælos nos elevet in futura resurrectione. Aliter enim, nisi per fidem veram et corporis eius communionem, non possunt ascendere in cælum animæ sanctorum ante resurrectionem, nec corpora post resurrectionem. Quando communicatis populum et singulis singulas particulas datis, singuli accipiunt totum Christum dominum, et in singulis totus unus tantum est, ita mirabilis est Deus unus dominus noster Iesus Christus, filius Dei Patris regnans cum Deo Patre et Spiritu Sancto.

6. Et in hoc loco propter amorem Christi, qui est pax æterna, pacem populo per osculum datis et omnis populus pacem illam usque ad novissimum dilatat, quia **Christus** ita **est pax** nostra **æterna**, **ut nos reconciliaret Patri per passionem suam**, **ut nemo** amplius **in inferno detineretur propter peccatum primi hominis**. **In illa pace omnes concordiam** nobis **facimus**, **ut pacifici** simus, et ideo filii Dei simus, sicut ipse ait : « *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* », <sup>1204</sup> sic enim **cum Deo in cælis regnabimus**, si **pacem** non falsam sed veram inter nos **facimus**, **antequam corpus et sanguinem Domini suscipiamus**. **Sine concordia**, **nullatenus digni sumus accipere sanctam communionem**, **quia nulla munera** nostra (hoc est nec elemosinam, nec ieiunium, nec orationem, nec laudes, nec aliquod bonum) **Deus** a nobis **recipit**, **si cum proximis nostris iram et discordiam** et odium iniuste **habemus**, **quousque simul reconciliemur**. <sup>1205</sup>

<sup>1204</sup> Matth. 5, 9.

<sup>1205</sup> *Expos. misse* 38-39 (*PL*, 83, col. 1152<sup>B-C</sup>): æterna, qui n. reconciliavit P. ; suam, ne i. ; i. detineremur p. ; Hoc orat sacerdos, ut i. pax cum populo permaneat et o. concordies faciat, u. pacifice c. Christo mereamur i. celo regnare. Et ideo tunc p. ; domini nostri Iesu Christi in corpora nostra s. ; concordia non d. ; quia non m. a domino recipiuntur, s. ; habemus, antequam r.



dimittit, quia sicut verus Deus potestatem habet dimittendi peccata, ipse **veniam peccatorum omnibus** in se credentibus **donat**.<sup>1210</sup>

9. **Ante passionem eius**, qui verus agnus Dei est, **iusti sicut impii in infernum descendebant**, sed post passionem suam ita **non solum remissionem peccatorum sed etiam gaudium angelorum cunctis** in se credentibus **dedit**, ut qui in Christo moritur nullam inferni poenam sentiat, sed cum angelis in cælo lætetur, sicut ait Dominus : *« Gaudium erit coram angelis Dei, super uno peccatore pœnitentiam agente. »*<sup>1211</sup> Videte quia **agnus Dei Christus** nobis **per pœnitentiam** non solum remissionem peccatorum, sed etiam gaudium angelorum promittit ! Et sicut multi **agnī** carnales **in Veteri Testamento pro peccatis populi offerebantur**, ita unus verus agnus **Christus**, de quo ait Iohannes : *« Vidi supra montem Sion agnum stantem »*,<sup>1212</sup> **in Novo Testamento semetipsum optulit Deo Patri** pro peccatis totius mundi, quando permisit se crucifigi et lanceari, **ut omne genus humanum per passionem suam libera-[fol. 114v]-ret de peccato**.<sup>1213</sup>

10. In tempore sancti Gregorii necdum erat constitutum ut ‘Agnus Dei’ cantaretur ad missam, quousque sanctus Sergius papa,<sup>1214</sup> qui vicesimus fuit a sancto Gregorio, hoc fieri constituit ut, sicut ‘**Agnus Dei**’ **cantamus quando corpus et sanguinem Domini percipimus, ita credamus quia ipsa caro est verus agnus qui moriendo in cruce peccata mundi tulit**, hoc est delevit, **et resurgendo vitam æternam nobis donavit**. In sabbato Paschæ non dicimus ‘Agnus Dei’ nec accipimus invicem osculum sed

<sup>1210</sup> *Expos. misse 39 (PL, 83, col. 1152<sup>C</sup>)* : tunc orat clerus, cantando ; dicitur, quia nulli hominum vel bestiarum nocet, e. ; ad victimam d., occidentem se n. ledit, s. ; o. suum post occisionem suam r. ; lesit, sicut apostolus dicit : Qui p. non f. ; Sed post passionem suam conversos persecutores suos multos per sanctam communionem corporis et sanguinis sui reficit, et credentes facit. I. peccatum m. tulit, quando v. ; p. nobis dedit.

<sup>1211</sup> Luc. 15, 10.

<sup>1212</sup> Apoc. 14, 1 : v. et ecce agnus stabat s. ; sic VL.

<sup>1213</sup> *Expos. misse 40 (PL, 83, col. 1152<sup>C-D</sup>)* : iusti et peccatores i. ; i. descenderunt ; gaudium nobis promisit angelicum, dicens ; agnus i. ; populi offerebatur ; liberaret a p.

<sup>1214</sup> Serge I, pape (687-701).

communicamus, quia ille verus agnus non sabbato sed proprie dominica die resurrexit, et ipsa die pacem dedit discipulis suis, quando ianuis clausis apparuit et dixit eis : « *Pax vobis !* »<sup>1215</sup> Post sanctum Gregorium multa pontifices Romani melioraverunt in sancta Ecclesia, sicut Bonifacius de sollempnitate Omnium sanctorum. Ipsis enim tributa est Ecclesia ad regendum super omnes alios episcopos, et si quis eorum verbo non obaudit, violator sanctæ Ecclesiæ videtur esse.<sup>1216</sup>

11. Iohannes papa, post sanctum Gregorium, constituit beatum Marcialem Christi discipulum, Aquitaniæ protopredicatorem, recitari apostolum per omnes mundi ecclesias, et in testimonio constitutionis suæ fabricavit et dedicavit in eius honore altare in basilica sancti Petri Romæ.<sup>1217</sup> Cuius institutionem qui contempnit, reus esse videtur maiestatis eius qui ad Petrum dixit : « *Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam. Et portæ inferi non prevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cælorum.* »<sup>1218</sup>

---

<sup>1215</sup> cf. Ioh. 20, 19 : cum esset ergo sero die illo una sabbatorum et fores essent clausæ ubi erant discipuli propter metum Iudæorum venit Iesus et stetit in medio et dicit eis pax vobis.

<sup>1216</sup> *Expos. misse* 40 (PL, 83, col. 1152<sup>D</sup>) : Dei tunc cantatur, q. ; et sanguis christi percipitur, ut omnes c. ; quia ipsius agni corpus et sanguis tunc sumitur, q.

<sup>1217</sup> cf. ADEMAR. CABANN., *Epist. Ioh.* (PL, 141, col. 1150<sup>B-C</sup>) : Martialem (...) apostolum nominari posse definimus, et æque apostolica officia in divinis misteriis exhiberi sibi censemus ; nec de illius beatitudine dubitare quemquam posse confidimus, qui sibi respondente nomine sacris operibus apostolicam dignitatem subtrahere invidiose conatur. Ut autem reverentia et celebritas tanti apostoli in toto terrarum orbe excelsius recolatur, ædificatum et dedicatum est a nobis in eius honorem pulcherrimum altare in basilica sancti Petri apostoli Romæ.

<sup>1218</sup> Matth. 16, 18-19.

1. Quando autem dicitis : « Pax Domini sit semper vobiscum ! », sicut corpus Domini fuit de quattuor<sup>xxxxxxxxxxxxxxxxxxxx</sup> elementis tamquam verus homo, et post passionem vere resurrexit victor per crucem, ita quattuor latera calicis tangitis particula sancta per unam crucem, et mittitis in calicem ipsam particulam in signo resurrectionis Domini, quando anima eius in corpus proprium reversa est, et resurrexit clauso sepulchro. Et per victoriam crucis suæ, faciet nos in die novissimo resurgere, sicut ait propheta : « *A quattuor ventis veni spiritus* », <sup>1219</sup> hoc est a virtute crucis veniat resurrectio.
2. Quidam tres cruces faciunt cum sancta particula super calicem, quando dicunt : « Pax Domini ! », sed non tangunt latera calicis. Bene faciunt propter trinitatem, quæ<sup>yyyyyyyyyyyyyyyyyyyy</sup> tota operata est Christi resurrectionem sicut et nativitatem. Deus Pater suscitavit filium suum Iesum, et<sup>zzzzzzzzzzzzzzzzzzzz</sup> ipse Dominus propria sua virtute resurrexit, et inseparabilis est operatio Spiritus Sancti ab operatione Patris et Filii. Sed qui unam tantum crucem faciunt ubi supra, propter supradictam auctoritatem faciunt.
3. Sicut in fine missæ dicitis populo salutationem, hoc est : « Dominus vobiscum ! », et populus vos resalutat, ita in sollempnitatibus dicitis : « Ite, missa est ! », hoc est : « Remeate ad propria, quia misterium passionis Domini pro nobis iam perfecte consumatum est ! » Quando non dicitis : « Gloria in excelsis Deo ! », nec diaconus induit dalmaticam, in illis missis in fine dicitis : « Benedicamus Domino ! », hoc est : « Referamus gratias Domino, qui misterium passionis suæ dedit nobis in nostram salutem ! » « Deo gratias ! » populus respondet, hoc est : « Referimus gratias Domino, qui nos per passionem suam salvavit. » <sup>1220</sup>

---

<sup>1219</sup> Ez. 37, 9.

<sup>1220</sup> cf. *Expos. misse* 41 (PL, 83, col. 1152<sup>D</sup>-1154<sup>A</sup>) : Et post missam finitam dicit diaconus : « Ite, missa est ! » Diaconus grece, minister latine dicitur. Ille nuntiat populo quod finite sunt preces, quia nullus antea exire debet de ecclesia, quam nuntiatum sit de ministro, et omnes respondeant : « Deo gratias. »

4. Qui communicare non possunt, aliquando panem benedictum accipiunt, quod ‘oblias’<sup>1221</sup> dicitis, ut non sint sine benedictione corporali, in exemplo illo quod Dominus in Emaus panem fregit benedictum duobus discipulis qui eum non cognoscebant.<sup>1222</sup> Illud non erat corpus Domini sed benedictus panis, per quem inluminati sunt oculi eorum. Qui digni non sunt accipere corpus Domini, et benedictum a sacerdote fractum accipiunt panem, vel de frugibus novis vel antiquis, quasi de manu Domini accipiunt benedictionem corporum et animarum et intelligentiam spiritualium rerum, sicut discipuli duo in Emaus acceperunt a Domino benedictum panem et sic inluminati cognoverunt eum. Hæc fractio panis benedicti est a Domino constituta illis qui non sunt digni sumere corpus Domini, sed ad vitam æternam nemo potest pervenire, nisi acceperit in æscam et potum corpus et sanguinem Domini.

5. Dicere habemus vobis de aliis rebus quæ pertinent ad sinodum, et de hæreticis qui modo latenter inter nos surgunt, qui negant baptismum, missam, crucem, ecclesiam, qui precursores Antichristi sunt. Concremaverunt<sup>aaaaaaaaaaaaaaaaaaaa</sup> ex ipsis<sup>bbbbbbbbbbbbbbbbbb</sup> multos et aliis suppliciis occiderunt catholici principes nostri. Diabolus et in illis et in aliis superbis falsis catholicis, qui principatum agere superbe volunt in monachis vel clericis, nimis magnam virtutem iam videtur habere, sed intercedentibus omnibus sanctis destruat et confringat omnem superbiam ille qui percussit superbum, vulneravit draconem Iesus Christus filius Dei, cui est gloria cum Patre et Spiritu Sancto in secula seculorum. Amen.

<sup>1221</sup> cf. DuC VI (p. 7-8) : « Oblia, idem quod Oblata, ex Gallico *Oblée*, vel *Oblie*. »

<sup>1222</sup> cf. Luc. 24, 30.

SERMO IN SINODO [5].<sup>1223</sup>

## [CXXVIII]

1. Omnes, dilectissimi, qui in ecclesiastici ministerii gradibus ordinati sunt generaliter clerici nominantur. Clericos appellatos doctores nostri dicunt, ideo quia Mathias sorte electus est, quem primum apostolum in loco duodecimo per alios apostolos legimus ordinatum.<sup>1224 1225</sup>

2. Erat quidem Marcialis, Aquitaniæ predicator, tunc apostolus Christi cum aliis multis apostolis, sed non erat unus de duodecim<sup>cccccccccccccccccc</sup>. Fuit enim unus de septuaginta<sup>dddddddddddddddddd</sup> duobus. Erat adolescens ætate, ideo grandevi de septuaginta<sup>eeeeeeeeeeeeeeeeee</sup> duobus statuti sunt duo, quis eorum de duodecim unus posset fieri. Mathias et Ioseph, quia grandevi erant, statuti sunt ad electionem. Electio sortis Mathiam accepit, qui ante unus erat de septuaginta<sup>ffffffffffffffff</sup> duobus ; tunc factus est unus de duodecim, hoc est in loco Iudæ. Ioseph ante erat apostolus de septuaginta<sup>gggggggggggggggggg</sup> duobus ; permansit in suo ordine apostolus, sed non est unus de duodecim. Postea quidam persecutor Christianitatis fuit nomine Paulus, et ipse Christi apostolus fuit, non unus de septuaginta<sup>hhhhhhhhhhhhhhhhhh</sup> duobus, non unus de duodecim.

3. Omnes quos illis temporibus ecclesiarum principes, hoc est apostoli, ordinabant, sorte, hoc est electione, eligebant, non tali sorte qua ‘sortilegus’ appellamus, sed mores et ætatem in eis aspiciebant.<sup>1226</sup>

4. Dominus noster Iesus Christus erat Dei filius et verus Deus, sed usque ad triginta<sup>iiiiiiiiiiiiiiiiiii</sup> annos ætatis noluit predicare. Marcialis adolescens ætate discipulus

<sup>1223</sup> cf. etiam HRABAN., *Inst. cler.* I 2.

<sup>1224</sup> cf. Act. 1, 26 : cecidit sors super Matthiam, et adnumeratus est cum undecim apostolis.

<sup>1225</sup> ISID., *Eccl. off.* II 1, 1 (PL, 83, col. 777<sup>B</sup>).

<sup>1226</sup> ISID., *Eccl. off.* II 1, 1 (PL, 83, col. 777<sup>B</sup>).

Domini fuit, nam quindecim<sup>iiiiiiiiiiiiiiii</sup> annorum erat quando reliquit patrem suum et matrem, et in discipulatu Domini sociavit se specialiter propinquo suo Petro, et in ipsa adolescentula ætate virtutem apostolatus a Domino accepit cum aliis apostolis, hoc est potestatem ligandi et solvendi, et in adolescentia sua apostolus a Domino factus et constitutus est, sed usque ad triginta annos predicationis officium solus non accepit.<sup>1227</sup>

5. Hoc enim tempus fuit, quando Dominus eum misit in Aquitaniam per legationem beati Petri, sicut scriptum est : Commorantibus Romæ Petro et Marciale, apparuit Dominus beato Petro, et monuit eum ut dirigeret beatum Marcialem ad<sup>kkkkkkkkkkkkkkkkkkkkkk</sup> predicandum provinciis Galliarum.<sup>1228</sup> Videte quia illa sors, hoc est electio, a Domino proprie fuit, qui Marcialem per semetipsum elegit, quem nulla latent abscondita cordis ! Dominus elegit eum esse predicatorem provinciis Galliarum, ipsamque suam electionem Petro aperire dignatus est, ut eius legatu et hortatu Marcialis electionem Domini susciperet. Non ipse se commendavit, non se elegit, sed probavit eum Deus et scivit cor suum, cognovit semitas suas, deduxit illum in via æterna,<sup>1229</sup> ideoque nimis confortatus est principatus eius.<sup>1230</sup> Et propter ætatem solam<sup>iiiiiiiiiiiiiiii</sup>, qua tunc erat adolescens quando, predicante Domino apud Iudeam, ab eo vocatus est et eo iubente a Petro baptizatus, ut doctores periti dicunt, nomen eius in Evangeliiis non exprimitur.

---

<sup>1227</sup> cf. *Vita Martial. II* I-II.

<sup>1228</sup> *Vita Martial. II* IV : c. autem eis illic.

<sup>1229</sup> cf. Ps. 138, 23-24 : proba me Deus et scito cor meum, (...) cognosce semitas meas, (...) deduc me in via eterna.

cf. *etiam* Ps. 141, 4 : tu cognovisti semitas meas.

<sup>1230</sup> cf. Ps. 138, 17 : nimis confirmati sunt principatus eorum.





quærentium Dominum'<sup>1238</sup>, ita Dominus proprie est illis hæreditas, quia ipsi proprie Dominum quærunut ut ei militent sine impedimento seculi.

5. Coronam in capite clerici habent, quia ab apostolis et proprie a beato Petro sicut de barba radenda constitutum est.<sup>1239</sup> Ipsam constitutionem in Galliarum gentilitate ille constituit qui filium Archadii consulis Pictavensis necatum a demonibus in fluvio resuscitavit. De quo adolescente resuscitato scriptum est quia **totondit caput suum**, hoc est clericus factus est, **numquam** postea **a beato Marciale recedens**.<sup>1240</sup>

6. De qua auctoritate sacræ tonsionis et de rebus ministerii vestri, et quæ ad sinodum et regulas Ecclesiæ pertinent plenius dicemus in alia sinodo, Deo volente<sup>oooooooooooooooooooo</sup>. Nunc quia hora diei iam præteriit, ne vobis oneri sit, terminare vult episcopus sinodum, rogans vos ut semper de vestro ministerio solliciti sitis, ut Domino placeatis, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus per immortalia secula seculorum. Amen.

---

<sup>1238</sup> = CAO 2999.

*cf. Lib. sacram. Aug. 1526 ; Lib. sacram. Eng. 2054.*

<sup>1239</sup> *cf. Is. 15, 2 : in cunctis capitibus eius calvitium omnis barba radetur.*

<sup>1240</sup> *Vita Martial. II XV : b. viro promittens se recessurum.*

**SERMO IN SINODO DE VITA CLERICORUM, EX DICTIS HIERONIMI.**

**[[I**

1. **Sacerdotes vel gradus cæteros clericorum oportet** specialius in Domini militia fortiter et sancte persistere, ut amici Dei sint, et laicis exemplum bene vivendi et innocentiae et humilitatis viam prebeant.<sup>1241</sup>

2. Beatum Hieronimum quidam ex ordine vestro **deprecabatur ut de vita clericorum ei scriberet, qualiter clerici victitare debent.** Hieronimus scripsit ei dicens :  
« **Plerique ex clericis maledictam invidiam contra me tenent, quia non sileo veritatem.**<sup>1242</sup>

3. Sed propter bonos clericos dico **quia prima temptamenta clericorum sunt feminarum frequentes accessus. Istius sexus frequentes accessus reprehensibiles faciunt clericos.** Non<sup>pppppppppppppppppppppp</sup> debet habitare **cum femina qui ad altare cum Domino fabulatur.** Videmus quia **talibus clericis detrahunt cotidie laici in publico ; ipsi rustici** detrahere **tales clericos** solebant, quando in sancta Ecclesia maior disciplina erat quam nunc est. Tunc, **si quis clericus contra dispositum et ordinem suum et fidei cum feminis habitare contenderet,** ab omnibus laicis deridebatur. Clerici, **si concupiscunt inveniri inreprehensibiles,** videant ut **testimonio bono muniantur.** Sicut **in choro apostolorum feminæ non fuerunt,** nec cum duodecim<sup>qqqqqqqqqqqqqqqqqqqqqq</sup>, nec cum septuaginta duobus, sed electi tantum viri ad predicationem a Domino missi sunt, ita cum clericis habitatio feminarum non sit. Antiqui clerici **prohibebant virgines secum commorari, quæ de genere eorum non erant.** Et si **eas exterius diligenter causa caritatis,** sicut ab episcopo iussi erant, secundum ordinem disciplinae ministrabant eis, nec **visitabant** eas soli, nisi **iuncti** essent **obsequiis clericorum** aliorum, propter bonum

<sup>1241</sup> PS. HIER., *Vita cler.* 4 (col. 289<sup>C-D</sup>) : c. decet a feminis segregari.

*cf. etiam Coll. can.* II 34, 11 ; PS. HIER., *Ad mon.*

<sup>1242</sup> PS. HIER., *Vita cler.* 1 (col. 288<sup>B-C</sup>).

testimonium et malam suspicionem. Nam si secretaliter ac soli ingressi essent ad eas, mox malum testimonium sibi a laicis faciebant, etiam quamvis sancte egissent et interius mundi essent.<sup>1243</sup>

4. Sicut aliter coniugati, aliter continentes ecclesiasticum debent subire ministerium, ita cum clericis nullo pacto coniuncta debet esse conversatio omnium feminarum. Nos, qui de ordine clericorum sumus, fugiamus habitationem feminarum inter nos tamquam ianuam diaboli, tamquam viam iniquitatis, tamquam scorpionis percussum.<sup>1244</sup> Feminæ clericis sunt nociva pestilentia, ignis incendens proximans ad stipulam. Feminæ, si cum clericis habitant, percutiunt eos igne flammigero in conscientia. Clerici spiritaliter quasi montes sunt, qui debent suscipere pacem populo, hoc est dare sanctum exemplum laicis, sed talis ignis exurit fundamenta montium. »<sup>1245</sup>

5. Mementote de eo quod in Dialogorum libro sanctus Gregorius narrat, de sanctimoniale quæ in episcopio habitabat,<sup>1246</sup> et quia episcopus Fundanæ civitatis<sup>1247</sup> eam in posteriora alapa percussit, magna exultatio dæmonibus fuit,<sup>1248</sup> et hoc Iudeus quidam audivit : « Audivimus paradisi arborem concussam, sed non evulsam » !<sup>1249</sup>

6. Sicut Hieronimus dicit, si cum viris feminæ habitant, viscarium et laqueum diaboli non deest. Sicut ab inicio peccatum est occupatum a muliere, ita libido vincit et frangit ferreas, hoc est durissimas, sanctorum mentes, si cum eis feminæ habitant. Si alligaverit quis ignem in sinum suum, impossibile est ut non comburantur vestimenta eius. Si quis ambulaverit super carbones vivos, impossibile est ut pedes suos non

<sup>1243</sup> PS. HIER., *Vita cler.* 2 (col. 288<sup>D</sup>-289<sup>A</sup>), *cum mutatione personæ* (2<sup>a</sup> sing. ad 3<sup>am</sup> plur. : clerici).

<sup>1244</sup> cf. Num. 16, 26 : recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum !

<sup>1245</sup> PS. HIER., *Vita cler.* 3 (col. 289<sup>A-B</sup>).

<sup>1246</sup> cf. GREG. M., *Dial.* III 7, 11.

<sup>1247</sup> Fondi, prov. Latina, Latium (Italie).

<sup>1248</sup> cf. GREG. M., *Dial.* III 7, 40.

<sup>1249</sup> GREG. M., *Dial.* III 7, 90 : p. cedrum c.

comburat. Ita qui cum femina habitat, impossibile est ut non trahatur ad concupiscentiam mortis, hoc est libidinis.<sup>1250</sup>

7. Item dicit Hieronimus quia vere **non potest toto corde habitare cum Domino, qui feminarum accessibus copulatur**. Quidam excusantes se, quasi nullam concupiscentiam haberent propter accessus tales, dicebant Hieronimo : « *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* »<sup>1251</sup> Quibus clericis, ille respondebat : « **Bene et argute dicitis ; sed oportet testimonium bonum habere ab his qui foris sunt,**<sup>1252</sup> hoc est a secularibus, **licet coram Domino incedatis** ». **Et sicut astutiores sunt filii tenebrarum,** hoc est seculares, **super filios lucis,**<sup>1253</sup> hoc est super clericos, **ita si clerici non amputant a se accessum et habitationem** feminarum, **dant occasionem reprehensoribus** ut se reprehendant. **Si clerici non dimittunt agapetarum consortium,** hoc est fabulationes iocantes cum iocantibus feminis, **ipsi se tradunt morsibus detrahentium,** quamvis interius mundi et sancti sint. Ordo clericorum, **si cum feminis benignus est, pudicus non est. Si clericus pudicus est, feminam quam scit sancte conversantem mente diligit** secundum Deum, **non corporali ornatu,** non frequenti accessu. **Clericum et sacerdotem non facit vestis delicata, sed intentio casta cordis.** Castum cor **devotionem et honorem** clericatus **in clerico custodit, sed gloriosius ipsum honorem conservat fama et testimonium bonum.** **Si clerici iudicaverint parentes feminas nullo pacto dimittere generis gratia** quin simul cum eis habitent, quasi nulla occasio peccati sit in eis, **recordentur quia Amnon filius David** cum **Thamar** **sore sua in peccatum nefarium cæcidit.**<sup>1254</sup>

<sup>1250</sup> PS. HIER., *Vita cler.* 3 (col. 289<sup>B</sup>).

<sup>1251</sup> Prov. 10, 9.

<sup>1252</sup> I Tim. 3, 7.

<sup>1253</sup> Luc. 16, 8 : prudentiores s. ; f. huius seculi filiis l. ; sic VL.

<sup>1254</sup> PS. HIER., *Vita cler.* 4-5 (col. 289<sup>B-D</sup>), *cum mutatione personæ* (2<sup>a</sup> sing. ad 3<sup>am</sup> plur. : clerici). cf. etiam *Coll. can.* II 34, 9 et 12 ; PS. HIER., *Ad mon.*





12. Si duæ aut tres pariter Dei ancillæ morentur, nullomodo solum ad eas decet ingredi sacerdotem nec clericum. Si non observamus hæc precepta, ut sanctus Hieronimus dicit, hostes sumus animæ nostræ. Et si ultra hanc regulam aliquis clericus agapetas, hoc est fabulatrices amicabile mulieres, amplius quæsierit amare quam Christum, secundum regulam sinodalem in capitulo ab episcopo debet increpari et conveniri, et precepta Niceni concilii de hac culpa ei legantur.<sup>1264</sup> Si conventus et increpatus culpam fugerit et reliquerit, consecutus est episcopus maximum lucrum. Si se castigare noluerit, talis ab episcopo et ab aliis clericis de Ecclesia anathematizandus est.<sup>1265</sup>

13. Item Hieronimus de vita clericorum dicit: Gloria clericis est ut numquam habitent cum feminis. Si enim hoc est, erunt spinæ et acuti gladii transfigentes animas clericorum. Sanctimoniales sicut nuptæ sunt Christo et sponsæ Christi, ita solitudinem servare debent, et imitari Mariam matrem Domini, quam angelus solam invenit in penetrabilibus, non loquentem cum agapeta. Illa virilem introitum trepidavit, quando angelus ei dixit: « *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum.* »<sup>1266</sup> Verus clericus non est per publicum, sed per solitudinem. Talis debet esse solitarius clericus, qualem dicit Hieremias quia sedebit solitarius et tacebit,<sup>1267</sup> et imitari debet Iesum, qui relictis apostolis solus ibat orare.<sup>1268</sup> Qui talis clericus est, vere monachus est, quia monachus, hoc est solitarius, qui solitudinem potius quam publicum amat.<sup>1269</sup>

14. Dicit item Hieronimus quia hospitalis laicus potest ordinari ad clericatus ordinem, sicut apostolus precepit.<sup>1270</sup> Et sicut Abraham et Loth angelos susceperunt,

<sup>1264</sup> Concile de Nicée (325).

<sup>1265</sup> Ps. HIER., *Vita cler.* 8 (col. 290<sup>D</sup>-291<sup>A</sup>), *cum mutatione personæ (3<sup>a</sup> sing. ad 1<sup>am</sup> plur.)*.

<sup>1266</sup> Luc. 1, 30 : ait a. ; i. enim g.

<sup>1267</sup> Thren. 3, 28.

<sup>1268</sup> cf. Matth. 14, 23 : dimissa turba ascendit in montem solus orare.

<sup>1269</sup> Ps. HIER., *Vita cler.* 8-9 (col. 291<sup>A-B</sup>).

cf. etiam *Coll. can.* II 35, 14 ; Ps. HIER., *Ad mon.*

<sup>1270</sup> cf. Tit. 1, 7.



quia hospites dilexerunt, et Onesiforus ille de hospitalitate laudatur,<sup>1271</sup> quia Paulum doctrinæ fontem suscepit, et Susanna venerabilis matrona predicatur, quia inluminatorem primum Galliae Marcialem suscepit in hospitium,<sup>1272</sup> ita laici hospitaes gratiam ordinis melioris, id est clericatus et sacerdotii, merentur habere, qui observant illud : « Ne sinatis incolam preterire, qui apud vos non comederit panem ! » Laicum non percussorem<sup>1273</sup> potest episcopus clericum ordinare, sicut apostolus precipit. Non autem de illo percussore dicit qui pugilis est, hoc est : qui ira turbatus propria manu percutit proximum (talis enim fugiendus est), sed qui verbo suo pravo et lingua iniqua conscientias singulorum percutit<sup>yyyyyyyyyyyyyyyyyyyyyy</sup>. Laicus, si modestus est, si non inflatur, si non inebriatur, si suæ domui bene præest, potest clericus ordinari. Horribile est si domui clerici detrahitur ab aliis, tunc enim non bene preest domui suæ, hoc est subditis suis. Quando de proximis sacerdotis male loquitur populus, tunc est læsio opinionis sacerdotalis in plebe. Apostolus iubet super omnia clericos componere fundamenta boni testimonii in semetipsis, ut testificatione bonorum operum confirmet clerici vitam suam castam interiorem.<sup>1274</sup>

<sup>1271</sup> cf. II Tim. 1, 16 : det misericordiam Dominus Onesifori domui, quia sepe me refrigeravit et catenam meam non erubuit.

<sup>1272</sup> cf. *Vita Martial. II X* : recepti sunt in hospitium a nobilissima matrona nomine Susanna.

<sup>1273</sup> Tit. 1, 7.

<sup>1274</sup> PS. HIER., *Vita cler.* 11 (col. 291<sup>D</sup>-292<sup>A</sup>).

## [[II

1. Item Hieronimus de vita et ædificatione nostri ordinis scripsit cuidam clerico amico suo : « Observe, karissime, **ut**, quia clerici ordinem profiteris, **fugias multitudines hominum, officia et salutationes et convivia** secularium, quia hæc sunt catenæ voluptatum ! Ad vesperam semper refice ! **Holera et legumina et vilis cibus** sit tibi ; **interdum** comede **pisciculos, pro summis delitiis ducens !** Sicut clericus **Christum desiderat, et Christus est panis eius**, qui panis est angelorum, ita **non quærat magnopere de quam preciosis cibus** corpus suum moriturum sustentet. »<sup>1275</sup>

2. Et quia apostoli concesserunt clericis carnem comedere, sicut et laicis, ideo dicit Hieronimus : « Clericus omnem cibum quem accipit non secundum gulam, sed secundum regularem refectionem, pro pane et legumine habet, quia non creatura Dei sed vitium gulæ damnationem habet, *et nihil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.*<sup>1276</sup> » Et sicut apostolus ait, pro his qui sponte se abstinent a carne et vino : *Bonum est non manducare carnem et non bibere vinum,*<sup>1277</sup> ita pro his qui sine gulæ vitio utuntur carne, ait : *Omnis creatura Dei bona est, et nichil<sup>=====</sup> reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei vivi.*<sup>1278 1279</sup>

3. Item Hieronimus dicit quia **in manu clerici semper debet esse sacra lectio. Frequenter debet** clericus orare, et flexo corpore mentem erigere ad Deum. Crebras vigilias agat, **ventre vacuo sæpius dormiat.** **Rumusculos et gloriolas et palpantes quasi hostes devitet.** **Pauperibus et fratribus refrigeria sumptuum manu propria distribuatur.** **Viles vestes tumentis animo non appetat.** **Secularium et maxime potentium consortia devitet.** **Habeat clericus simplicitatem columbæ, ne cuiquam machinetur dolos.** **Habeat**

<sup>1275</sup> HIER., *Epist.* 58, 6 (p. 535).

<sup>1276</sup> I Tim. 4, 4.

<sup>1277</sup> Rom. 14, 21.

<sup>1278</sup> I Tim. 4, 4-5 : d. et orationem.

<sup>1279</sup> HIER., *Epist.* 58, 6 (p. 535) : quidquid post gulam non sentitur, idem tibi sit quod panis et legumina.

serpentis prudentiam, ne aliorum supplantetur insidiis. Aequale pene vitium est vel alium decipere, vel ab alio decipi. Sicut anima Christiani est templum proprium Christi, ita clericus animam suam exornet, illam vestiatur, illi offerat donaria, in illa Christum suscipiat. Sicut placemus Deo propter ornatum animæ, ita placemus [fol. 116] seculo propter ornatum corporis. Sed qui displicet Christo, plus placet mundo. Apostolus dicebat : « *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* »<sup>1280</sup> Et psalmista : *Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.*<sup>1281 1282</sup>

4. De laicis qui clerici esse volunt dicit Hieronimus : Si clericatus desiderium titillat aliquem ex laicis, primum discant in clericatu quod possint alios clericos vel laicos docere, et rationalem hostiam se offerant Christo. Omnis clericus rationalis hostia Deo est. Et sicut non potest esse miles antequam tiro, ita laicus non sit prior magister antequam discipulus. Ministri ecclesiarum habent ordinem et gradum suum, hoc est a lectore usque ad sacerdotem, quos gradus si laici suscipere voluerint, disciplinæ doctorum peritorum<sup>aaaaaaaaaaaaaaaaaaaaa</sup> se subdere debent, quousque plenissime regulis ecclesiasticis instructi sint.<sup>1283</sup>

5. Clerici sine intermissione orent, vigilem sensum habeant, non pateant vagis cogitationibus. Corpus clerici et animus tendantur ad Dominum. Clericus iram vincat patientia. Amet scientiam sanctæ Scripturæ, et carnis vitium non amabit. Nec vacet mens clerici variis perturbationibus, quia si pectori insederint dominantur eius, et deducunt hominem ad delictum maximum. Faciat clericus aliquid operis, ut semper eum diabolus inveniat occupatum. Memores sint clerici quia et apostoli Christi,

---

<sup>1280</sup> Gal. 1, 10.

<sup>1281</sup> Ps. 52, 6.

<sup>1282</sup> HIER., *Epist.* 58, 6-7 (p. 535-536), *cum mutatione personæ (2<sup>a</sup> sing. ad 3<sup>am</sup> sing.)*.

<sup>1283</sup> HIER., *Epist.* 125, 8 (p. 127), *cum mutatione personæ (2<sup>a</sup> sing. ad 3<sup>am</sup> sing. et plur.)*.

habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus suis ne quem gravarent, et aliis tribuerent refrigeria, de quorum prosperitatibus debebant metere carnalia.<sup>1284 1285</sup>

6. De his qui sunt clerici ab infantia dicit Hieronimus : Clerici ab infantia ita agere et vivere debent in monasterio, ut veri clerici esse mereantur, ut suam adolescentiam nulla sorde violent aut commaculent, ut, postea electi ad gradus ministerii, ita ad altare Christi quasi de thalamo virgo<sup>bbbbbbbbbbbbbbbbbb</sup> procedant, et habeant de foris bonum testimonium. Feminæ, quæ eorum nomen noverint, vultus nesciant. Cum ad perfectam ætatem venerint, et illos vel populus vel pontifex civitatis ad gradum elegerint, agant quæ clericus agere debet. Et inter ipsos clericos semper sectentur eos qui sunt meliores, quia in omni conditione et gradu optimis mixta sunt pessima. Multo tempore discant quod doceant alios, nec credant laudatoribus suis, quia ipsi sunt irrisores, et qui eis aurem libenter accommodat non est verus clericus.<sup>1286</sup>

7. De ædificatione ordinis nostri hæc vobis diximus, modo de his aliis quæ congruunt ad sinodum ipse episcopus vobis iubebit, in Christo Iesu domino nostro, cui est gloria cum Patre et Spiritu Sancto per omnia secula seculorum. Amen.

<sup>1284</sup> cf. I Cor. 9, 11 : si nos vobis spiritalia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus.

<sup>1285</sup> HIER., *Epist.* 125, 11 (p. 129-130), *cum mutatione personæ* (2<sup>a</sup> sing. ad 3<sup>am</sup> sing.).

<sup>1286</sup> HIER., *Epist.* 125, 17-18 (p. 136-137), *cum mutatione personæ* (2<sup>a</sup> sing. ad 3<sup>am</sup> plur.).

## TABLE DU TOME II

<i>Sermones ad synodum</i> .....	1
<b>De chrismate sacro</b> .....	2
<b>De eucharistia</b> .....	21
<De symbolo>.....	25
<De fide>.....	98
<b>De septiformi gratia spiritus sancti quae baptizatis traditur per episcopos</b> .....	103
<b>Sermo ad sinodum de catholica fide</b> .....	154
<b>Item sermo in concilio vel sinodo [1]</b> .....	286
<b>Item in Concilio [2]</b> .....	290
<b>Item in sinodo [3]</b> .....	293
<Item in sinodo> [3bis].....	295
<b>Item in concilio [4]</b> .....	298
<b>Sermo in sinodo de canone misteriorum</b> .....	300
<b>In sinodo sermo de oratione dominica ad missam</b> .....	354
<b>Sermo in sinodo [5]</b> .....	380
<b>Sermo in sinodo de vita clericorum, ex dictis hieronimi</b> .....	384
<i>Table du tome II</i> .....	394

<sup>a</sup> uncti] *sup. l.*  
<sup>b</sup> chrismate] *chrimate ms.*  
<sup>c</sup> nunc] *sup. l.*  
<sup>d</sup> hoc est spiritu sancto] *sup. l.*  
<sup>e</sup> et oleum] *sup. l.*  
<sup>f</sup> interscapula] *interscapulæ ms.*  
<sup>g</sup> per] *sup. l.*  
<sup>h</sup> neque confirmationem] *sup. l.*  
<sup>i</sup> chrismatis] *crismatis a. corr. sup. l.*  
<sup>j</sup> in cerebro] *sup. l.*  
<sup>k</sup> De oliva *add. in marg.*  
<sup>l</sup> olivæ] *r... a. corr. (per ras.)*  
<sup>m</sup> De balsamo *add. in marg.*  
<sup>n</sup> instillent] *stillent a. corr. sup. l.*  
<sup>o</sup> curant] *curat a. corr. sup. l.*  
<sup>p</sup> sanguine suo] *sanguineo a. corr. sup. l.*  
<sup>q</sup> novum crisma] *sup. l.*  
<sup>r</sup> expetant] *expetat ms.*  
<sup>s</sup> adhibeatis] *adhibetis a. corr. (per ras.)*  
<sup>t</sup> est] *om. ms.*  
<sup>u</sup> et] *in marg.*  
<sup>v</sup> omnes] *nos a. corr.*  
<sup>w</sup> sunt] *sumus a. corr.*  
<sup>x</sup> christi] *sunt a. corr.*  
<sup>y</sup> suæ] *sup. l.*  
<sup>z</sup> dispensatione] *dispentione a. corr. sup. l.*  
<sup>aa</sup> VII. *et VII. ms.*  
<sup>bb</sup> oportet] *sup. l.*  
<sup>cc</sup> VII. *ms.*  
<sup>dd</sup> ita] *sup. l.*  
<sup>ee</sup> in] *sup. l.*  
<sup>ff</sup> repperissent] *reperissent a. corr. sup. l.*  
<sup>gg</sup> et] *sup. l.*  
<sup>hh</sup> XII *et LXX ms.*  
<sup>ii</sup> LXX, XI, LXX *et XI ms.*  
<sup>jj</sup> LXX *et XI ms.*  
<sup>kk</sup> XII. *ms.*  
<sup>ll</sup> VII. *ms.*  
<sup>mm</sup> deberi] *debere ms.*  
<sup>nn</sup> vos] *sup. l.*  
<sup>oo</sup> simul] *sup. ras.*  
<sup>pp</sup> sint] *sit a. corr. sup. l.*  
<sup>qq</sup> in] *sup. l.*  
<sup>rr</sup> blasphemias] *blasphemias a. corr. sup. l.*  
<sup>ss</sup> est] *sup. l.*  
<sup>tt</sup> XII. *ms.*  
<sup>uu</sup> archidiacono] *archidiano ms.*  
<sup>vv</sup> constantinopolitano] *constantino a. corr. sup. l.*  
<sup>ww</sup> theophania] *teophania a. corr. sup. l.*  
<sup>xx</sup> confessio] *sup. ras.*  
<sup>yy</sup> .VII. *et .VII. ms.*  
<sup>zz</sup> XII. *et XII. ms.*  
<sup>aaa</sup> VII. *et VII. ms.*  
<sup>bbb</sup> XII *et XII. ms.*  
<sup>ccc</sup> diligentes] *sic ms. pro diligenter ?*  
<sup>ddd</sup> XII., XII. *et XII ms.*  
<sup>eee</sup> XII. *et XII. ms.*

<sup>ffr</sup> XII., XII., .XII. *et* XII. *ms.*  
<sup>ggg</sup> societatis] socitatis *a. corr. sup. l.*  
<sup>hhh</sup> XI *ms.*  
<sup>iii</sup> LXX<sup>ta</sup> *ms.*  
<sup>ijj</sup> XII<sup>cim.</sup>, XII. *et* XII. *ms.*  
<sup>kkk</sup> XII. *et* XII. *ms.*  
<sup>lll</sup> XII., XII., XII *et* LXX *ms.*  
<sup>mmm</sup> vos] *sup. ras.*  
<sup>nnn</sup> XII *ms.*  
<sup>ooo</sup> XII *et* LXX *ms.*  
<sup>ppp</sup> est] *sup. l.*  
<sup>qqq</sup> XII. *ms.*  
<sup>rrr</sup> ex] n... *a. corr.*  
<sup>sss</sup> et] *sup. l.*  
<sup>ttt</sup> quando] quando dixit *ms.*  
<sup>uuu</sup> a] *sup. l.*  
<sup>vvv</sup> quae] quæ *a. corr.*  
<sup>www</sup> curvata sunt] *sup. ras.*  
<sup>xxx</sup> christianorum] christi *a. corr.*  
<sup>yyy</sup> idem] ip... *a. corr.*  
<sup>zzz</sup> si fieri posset] *in marg. et sup. l.*  
<sup>aaaa</sup> quod] quæ *ms.*  
<sup>bbbb</sup> adoramus] adoraremus *ms.*  
<sup>cccc</sup> preciositate] precisitate *a. corr. sup. l.*  
<sup>dddd</sup> XI. *ms.*  
<sup>eeee</sup> XI. *et* XI. *ms.*  
<sup>ffff</sup> XI. *et* XI. *ms.*  
<sup>gggg</sup> ad] *sup. l.*  
<sup>hhhh</sup> quia] in *a. corr.*  
<sup>iiii</sup> eo quod] *sup. ras.*  
<sup>jjjj</sup> ornaverunt] *et a. corr. (per ras.)*  
<sup>kkkk</sup> caeteri] cæteri *a. corr. sup. l.*  
<sup>llll</sup> roborari] *sup. ras.*  
<sup>mmmm</sup> sic] *sup. l.*  
<sup>nnnn</sup> itaque in sanctam] *sup. ras.*  
<sup>oooo</sup> qui] si *a. corr.*  
<sup>pppp</sup> a ... dignitatis] *sup. ras.*  
<sup>qqqq</sup> perveniant] perveniat *a. corr. sup. l.*  
<sup>rrrr</sup> clementissime] clementisse *ms.*  
<sup>ssss</sup> singulas] sigulas *a. corr. sup. l.*  
<sup>tttt</sup> perverse] perversæ *ms.*  
<sup>uuuu</sup> VII. *et* VII. *ms.*  
<sup>vvvv</sup> frequens] *sup. l.*  
<sup>wwww</sup> silentium, stabilitas in uno loco] *sup. l.*  
<sup>xxxx</sup> genuflexiones, prostrationes, asperitas vestium] *sup. l.*  
<sup>yyyy</sup> carnalem] canalem *a. corr. sup. l.*  
<sup>zzzz</sup> suis] suo *a. corr.*  
<sup>aaaaa</sup> perferitis] *sic ms. pro perfertis ?*  
<sup>bbbbb</sup> pessimum] pessimo *a. corr. (per ras.)*  
<sup>ccccc</sup> dominus] deus *a. corr. (per ras.)*  
<sup>ddddd</sup> exteriores] *sic ms. pro exteriorum ?*  
<sup>eeeee</sup> eis] ei *a. corr. sup. l.*  
<sup>fffff</sup> iuditium] *sup. ras.*  
<sup>ggggg</sup> instituit] intituit *a. corr. sup. l.*  
<sup>hhhhh</sup> XXXVI. *ms.*  
<sup>iiiiii</sup> XII. *ms.*  
<sup>jjjjj</sup> qui se] quis n... *a. corr.*

kkkkk et pastoribus] *sup. ras.*  
 lllll rhodanis] hrodanis *ms.*  
 mmmmm XXVIII<sup>to</sup> *ms.*  
 nnnnn sepultura] a... a. *corr. (per ras.)*  
 ooooo despectiva] *in marg.*  
 ppppp pro] *sup. l.*  
 qqqqq est] *sup. l.*  
 rrrrr illis] illi a. *corr. sup. l.*  
 sssss peccatoribus] *sup. l.*  
 ttttt verecundatos] verecundato a. *corr. sup. l.*  
 uuuuu Dico] *sup. ras.*  
 vvvvv et] *sup. l.*  
 wwwww XX<sup>ti</sup> *ms.*  
 xxxxx XX<sup>ti</sup> *ms.*  
 yyyyy æthiopas] ætiopas a. *corr. sup. l.*  
 zzzzz per curationem ... et confessione] *sic ms.*  
 aaaaa hic] *sup. l.*  
 bbbbbb locutos] loquentes a. *corr. (per ras.)*  
 ccccc apertius] *in marg.*  
 ddddd Sic] *sup. ras.*  
 eeeee XLVI. et IIII<sup>or</sup> *ms.*  
 fffff caenaculo] cænaculo a. *corr. sup. l.*  
 ggggg imitantes] imitates a. *corr. sup. l.*  
 hhhhhh permansit] permāsīt a. *corr. sup. l.*  
 iiiiii et] *sup. l.*  
 jjjjj discedentes] *sup. ras.*  
 kkkkkk omnia ... remittuntur] *sup. ras.*  
 lllll VII. *ms.*  
 mmmmmmm dicitur] *sic ms.*  
 nnnnn confirmatur] et a. *corr.*  
 oooooo martiris] martiribus *ms.*  
 ppppp actam] actum *ms.*  
 qqqqq agenda] celebranda ... est agenda *ms.*  
 rrrrr hoc] *sup. l.*  
 sssss de ... minus] *in marg.*  
 ttttt quam tres guttas] *sup. l.*  
 uuuuu VIII<sup>to</sup> et XII *ms.*  
 vvvvv apparatui] apparatu *ms.*  
 wwwww apochrifam] apocrifam a. *corr. sup. l.*  
 xxxxx Quod] Quæ a. *corr.*  
 yyyyy constituit] i... a. *corr.*  
 zzzzz VII. *ms.*  
 aaaaaa salvare] *om. ms.*  
 bbbbbb dei] *om. ms.*  
 ccccc XII. *ms.*  
 ddddd instruāt] instrāt a. *corr. sup. l.*  
 eeeee confirmationis] informationis *ms.*  
 fffff victurus] *sic ms.*  
 ggggg post baptismum] *sup. l.*  
 hhhhhh III<sup>or</sup>. *ms.*  
 iiiiii .CXLIII<sup>or</sup>. *ms.*  
 jjjjj III<sup>or</sup> et IIII<sup>or</sup> *ms.*  
 kkkkkk .III<sup>or</sup>. et IIII<sup>or</sup>. *ms.*  
 lllll persidarum] *sic ms.*  
 mmmmmmm erat] est a. *corr.*  
 nnnnn .III<sup>or</sup>. *ms.*  
 oooooo habent] habet *ms.*



pppppp CXLI<sup>or</sup>. *ms.*  
qqqqqq peragraverint] peragraverit *a. corr. sup. l.*  
rrrrrr VII et VIII<sup>o</sup> *ms.*  
ssssss ut] q... *a. corr.*  
tttttt constituunt] constituent *a. corr.*  
uuuuuu LXX<sup>ta</sup> et XII. *ms.*  
vvvvvv LXX<sup>ta</sup> *ms.*  
wwwwww esse] *sup. l.*  
xxxxxx LXX et XII. *ms.*  
yyyyyy Sicut] Quidam *a. corr.*  
zzzzzz LXX<sup>ta</sup>, XII. (e... *a. corr.*) et XII *ms.*  
aaaaaaa apostolis] p... *a. corr.*  
bbbbbbb LXX<sup>ta</sup> *ms.*  
ccccccc infusione] infusio *a. corr. sup. l.*  
ddddddd in fine] episcopus dicit *a. corr.*  
eeeeeee VII. *ms.*  
ffffff VII. *ms.*  
ggggggg XV. *ms.*  
hhhhhhh suscitavit] suscituit *a. corr. sup. l.*  
iiiiiii fuisse in carcere] *sup. ras.*  
jjjjjjj quoque] *sup lac.*  
kkkkkkk LXX *ms.*  
lllllll VII. *ms.*  
mmmmmmm VII. *ms.*  
nnnnnnn hi] hoc *a. corr.*  
oooooooo hi sunt] hoc *a. corr.*  
ppppppp .III<sup>or</sup>. *ms.*  
qqqqqqq III<sup>or</sup>. *ms.*  
rrrrrrr VII., III<sup>or</sup>, III<sup>or</sup> et VII. *ms.*  
sssssss III<sup>or</sup>, III<sup>or</sup>, XII, III<sup>or</sup>., XII. et III<sup>or</sup> *ms.*  
ttttttt in hierosolim] et postea *a. corr.*  
uuuuuuu oriente] occidente *a. corr.*  
vvvvvvv atque mathias] In occidente *a. corr.*  
wwwwwww XII. *ms.*  
xxxxxxx XII. et XII. *ms.*  
yyyyyyy VII. et VII. *ms.*  
zzzzzzz LXX *ms.*  
aaaaaaaa XII., .VI. et LXX<sup>ta</sup> *ms.*  
bbbbbbbb XII., XII, LXX<sup>ta</sup> et LXX<sup>ta</sup> *ms.*  
ccccccc LXX<sup>ta</sup>, LXX et LXX *ms.*  
ddddddd XII et LXX *ms.*  
eeeeeee XII et LXX<sup>ta</sup> *ms.*  
fffffft at] et *a. corr.*  
ggggggg XII *ms.*  
hhhhhhh XII. et LXXII<sup>o</sup> *ms.*  
iiiiiii XII *ms.*  
jjjjjjj III<sup>or</sup>. *ms.*  
kkkkkkk XII. *ms.*  
lllllll LXX *ms.*  
mmmmmmm orientem] oriente *ms.*  
nnnnnnn laboravit] liberavit *ms.*  
oooooooo XII., XII et III<sup>or</sup>. *ms.*  
ppppppp VII. *ms.*  
qqqqqqq XLVIII. *ms.*  
rrrrrrr VII. et L *ms.*  
sssssss expectare] *sup. l.*  
ttttttt L., L. et L. *ms.*

uuuuuuuu L *ms.*  
vvvvvvvv III<sup>or</sup>. *ms.*  
wwwwwww III<sup>or</sup> *ms.*  
xxxxxxx L *ms.*  
yyyyyyyy VII *et* VII. *ms.*  
zzzzzzz VII *et* VII *ms.*  
aaaaaaaa VII, XII. *et* XII *ms.*  
bbbbbbbb XII, XII, XII, XII, XII, XII, XII *et* XII *ms.*  
cccccccc XII., XII *et* XII *ms.*  
dddddddd designat] *sup. l.*  
eeeeeeee spiritus sanctus] *in marg.*  
ffffff ali] *alia ms.*  
gggggggg quia] *et a. corr.*  
hhhhhhhh et] *sup. l.*  
iiiiiii in] *sup. l.*  
jjjjjjjj sua] *sup. l.*  
kkkkkkkk est] *sup. l.*  
llllllll vera] *vero ms.*  
mmmmmmmm VII. *ms.*  
nnnnnnnn cunctarum] cuntarum *a. corr. sup. l.*  
oooooooo VII. *et* III<sup>or</sup>. *ms.*  
pppppppp VII. *ms.*  
qqqqqqqq VII., VII. *et* VII *ms.*  
rrrrrrrr VII. *et* VII *ms.*  
ssssssss VII *ms.*  
ttttttt id] *eo ms.*  
uuuuuuuu VII. *ms.*  
vvvvvvvv vel altiora] *sup. l.*  
wwwwwww VII *ms.*  
xxxxxxx VII *ms.*  
yyyyyyyy quam cordium] *dium ms.*  
zzzzzzz VII. *ms.*  
aaaaaaaa sumus] *sup. l.*  
bbbbbbbb VII *et* XXVIII<sup>to</sup>. *ms.*  
cccccccc VII *ms.*  
dddddddd si] *sup. l.*  
eeeeeeee verę] *være ms.*  
ffffff CCCXVIII<sup>to</sup> *ms.*  
gggggggg Alexandrie] *Alexandriæ ms.*  
hhhhhhhh Sed] *Si a. corr.*  
iiiiiii firmiter] *firimiter ms.*  
jjjjjjjj CCCXVIII<sup>to</sup> *ms.*  
kkkkkkkk te] *sup. l.*  
llllllll CCCXVIII<sup>to</sup> *ms.*  
mmmmmmmm lampades] *c... a. corr.*  
nnnnnnnn CCCXVIII<sup>to</sup> *ms.*  
oooooooo loqueretur] *loquerentur a. corr.*  
pppppppp de eo] *Deo a. corr.*  
qqqqqqqq ut] *et a. corr.*  
rrrrrrrr que] *quæ ms.*  
ssssssss sunt] *est a. corr.*  
ttttttt ita ita *ms.*  
uuuuuuuu tria] *trii a. corr.*  
vvvvvvvv oramus] *adoramus a. corr.*  
wwwwwww et] *p. a. corr.*  
xxxxxxx oratione] *b... a. corr.*  
yyyyyyyy unitate] *unitatem ms.*

zzzzzzzz narraverunt] d... *a. corr.*  
 aaaaaaaaaa dedisti] dedicisti *a. corr.*  
 bbbbbbbbbbb quartis] quartis ait *a. corr.*  
 cccccccccc LXX duo *ms.*  
 dddddddddd dum misit] filium suum *a. corr. (per ras.)*  
 eeeeeeeeee personæ] personas *a. corr.*  
 ffffffff sancta Trinitas] sanctam Trinitatem *a. corr.*  
 gggggggggg XV<sup>o</sup> *ms.*  
 hhhhhhhhhh hujusmodi] hujusmodo *ms.*  
 iiiiiiiiii quesumus] ve... *a. corr.*  
 jjjjjjjjjj quesumus] rog... *a. corr.*  
 kkkkkkkkkk quicquid] quicquid est *a. corr.*  
 llllllllll celebritate] k... *a. corr.*  
 mmmmmmmmmm humane] humanæ *ms.*  
 nnnnnnnnnn Nonne scriptum est in lege] *sup. ras.*  
 oooooooooo XII *ms.*  
 pppppppppp quem] cui *a. corr.*  
 qqqqqqqqqq per] d... *a. corr.*  
 rrrrrrrrrr XII *ms.*  
 ssssssssss XII *ms.*  
 tttttttttt sunt] est *a. corr.*  
 uuuuuuuuuu prodire ab ea] prodire *a. corr. in marg.*  
 vvvvvvvvvv primi mortui (...) surrexerunt] primus mortuus (...) surrexit *a. corr.*  
 wwwwwwwwww unum] unam *ms.*  
 xxxxxxxxxxxx dicens] in eo *a. corr.*  
 yyyyyyyyyyy deus] b... *a. corr.*  
 zzzzzzzzzz X *ms.*  
 aaaaaaaaaaa recucurrerunt] recurrerunt *a. corr.*  
 bbbbbbbbbbb Domino] *sup. l.*  
 cccccccccc Talis] H... *a. corr.*  
 dddddddddd imaginis] imago *a. corr.*  
 eeeeeeeeee quibus] quo *a. corr.*  
 ffffffff et] *sup. l.*  
 gggggggggg in] *sup. l.*  
 hhhhhhhhhh vasculis] vascula *a. corr.*  
 iiiiiiiiii de] *sup. l.*  
 jjjjjjjjjj virorum] illorum *a. corr.*  
 kkkkkkkkkk rem] *sup. l.*  
 llllllllll illo] illis *a. corr.*  
 mmmmmmmmmm admodum] amodum *a. corr.*  
 nnnnnnnnnn domum] *sup. l.*  
 oooooooooo orbis] urbes *a. corr.*  
 pppppppppp ecclesiæ] Ch... *a. corr.*  
 qqqqqqqqqq antiquiores] antiquis *a. corr.*  
 rrrrrrrrrr antiquissima] antiquissimo *a. corr.*  
 ssssssssss Cf. Léopold Delisle : forma plane.  
 tttttttttt sacro] sacre *a. corr.*  
 uuuuuuuuuu Videmus] videt *a. corr.*  
 vvvvvvvvvv non] nos *a. corr.*  
 wwwwwwwwww supra] pulchra *ms.*  
 xxxxxxxxxxxx ultra] o... *a. corr.*  
 yyyyyyyyyyy animales] animalles *ms.*  
 zzzzzzzzzz totus] *sup. l.*  
 aaaaaaaaaaa creata] creatura *a. corr.*  
 bbbbbbbbbbb sicut] sicut de *a. corr. (per ras.)*  
 cccccccccc divinitate] divina *a. corr.*  
 dddddddddd persona] persona est *a. corr.*

eeeeeeeeee veteri] vetere *a. corr.*  
ffffffm quam] quæ *a. corr.*  
gggggggggg Quis] *sup. ras.*  
hhhhhhhhhhh spiritu] spirito *a. corr.*  
iiiiiiiiiii annos] anos *a. corr.*  
jjjjjjjjjjj XV *ms.*  
kkkkkkkkkkk XV *ms.*  
lllllllllll Cf. Léopold Delisle : apostolatu *p. corr.*  
mmmmmmmmmm æqualem] i... *a. corr.*  
nnnnnnnnnnn sancte] sanctæ *ms.*  
oooooooooooo quæ est] *sup. l.*  
ppppppppppp prius] *sup. ras.*  
qqqqqqqqqqq et] *sup. l.*  
rrrrrrrrrrr Et] e contrario *a. corr. (per ras.)*  
sssssssssss XII *ms.*  
ttttttttttt XII *ms.*  
uuuuuuuuuuu XI *ms.*  
vvvvvvvvvvv XII et XII *ms.*  
wwwwwwwwwww XII et XII *ms.*  
xxxxxxxxxxxxx XII et XII *ms.*  
yyyyyyyyyyyyy XII *ms.*  
zzzzzzzzzzz XII et XII *ms.*  
aaaaaaaaaaaaa XII *ms.*  
bbbbbbbbbbbbbb LXXII<sup>o</sup> et XII *ms.*  
cccccccccccccc XII *ms.*  
dddddddddddddd XII *ms.*  
eeeeeeeeeeeee XI *ms.*  
ffffffm vestram] de *a. corr.*  
ggggggggggggg ultra] ultra eam *a. corr. (per ras.)*  
hhhhhhhhhhhhh scripti] inscripta *a. corr.*  
iiiiiiiiiii dicuntur] sunt *a. corr.*  
jjjjjjjjjjj vidisse] viderunt *a. corr.*  
kkkkkkkkkkkkk sicut] *sup. ras.*  
lllllllllll media] medio *a. corr.*  
mmmmmmmmmmm nostræ] nostræ *ms.*  
nnnnnnnnnnn una] unum *a. corr.*  
ooooooooooooo et Hærodem] *sup. ras.*  
ppppppppppppp mortuos] mortu *a. corr.*  
qqqqqqqqqqqqq angelis] angeli *ms.*  
rrrrrrrrrrrrr credens] credent *a. corr.*  
sssssssssssss XLII<sup>as</sup> *ms.*  
ttttttttttt XLII<sup>os</sup> *ms.*  
uuuuuuuuuuuuu hoc est in spiritum sanctum] *sup. l.*  
vvvvvvvvvvvvv de ebriis ... de periuriis] *in marg.*  
wwwwwwwwwwwww beatæ] *sic ms.*  
xxxxxxxxxxxxx semper] *sup. l.*  
yyyyyyyyyyyyyyy cum] *sup. l.*  
zzzzzzzzzzzzz Item in sinodo] *om. ms.*  
aaaaaaaaaaaaa et] *in a. corr.*  
bbbbbbbbbbbbbbb est] *sup. l.*  
ccccccccccccccc semel] *sup. l.*  
ddddddddddddddd fit] *sic ms.*  
eeeeeeeeeeeee ad] con... *a. corr. (per ras.)*  
ffffffm æterna] et *a. corr.*  
ggggggggggggg responderi] ro... *a. corr.*  
hhhhhhhhhhhhh quia] quod *a. corr.*  
iiiiiiiiiii altare ... altari] *sic ms.*

jiiiiiiiiiii dei] *sup. l.*  
 kkkkkkkkkkkkkkk sacerdotis] *sup. l.*  
 llllllllllll maiores] *maiore a. corr. sup. l.*  
 mmmmmmmmmmmmmmm in illa hora] *sup. l.*  
 nnnnnnnnnnnnnn noster] *sup. l.*  
 oooooooooooooo hoc] *hu... a. corr. (per ras.)*  
 pppppppppppppp humano] *ho... a. corr. (per ras.) sup. l.*  
 qqqqqqqqqqqqqq illic] *in marg.*  
 rrrrrrrrrrrr CXLIII<sup>OT</sup> *ms.*  
 ssssssssssssss scriptum] *scritum a. corr. sup. l.*  
 tttttttttttt senarii] *om. ms.*  
 uuuuuuuuuuuuuu baptismum] *baptimum a. corr. sup. l.*  
 vvvvvvvvvvvvvv XII. et XII. *ms.*  
 wwwwwwwwwwwwww XII. *ms.*  
 xxxxxxxxxxxxxx hæc] *hæ a. corr. sup. l.*  
 yyyyyyyyyyyyyy VII. *ms.*  
 zzzzzzzzzzzz ad baptizatos] *sup. l.*  
 aaaaaaaaaaaaaa dividitis] *divitis ms.*  
 bbbbbbbbbbbbbbb CXLIII<sup>OT</sup> *ms.*  
 cccccccccccccc finitum] *infinutum a. corr.*  
 dddddddddddddd michaelem ... micahel] *sic ms.*  
 eeeeeeeeeeeeeee de gloria] *sup. ras.*  
 frrrrrrrrrrrrr coepisset] *cæpisset ms.*  
 gggggggggggggg nec] *nes ms.*  
 hhhhhhhhhhhhhhh ad] *om. ms.*  
 iiiiiiiiiiiiii aliud] *aliu a. corr. sup. l.*  
 jiiiiiiiiiii XII. *ms.*  
 kkkkkkkkkkkkkkk pretermittitur] *pretermittuntur a. corr.*  
 llllllllllll sonat] *sonant a. corr.*  
 mmmmmmmmmmmmm .V. *ms.*  
 nnnnnnnnnnnnnn sabbatum] *sabbat a. corr. sup. l.*  
 oooooooooooooo XII, XII. et XII *ms.*  
 ppppppppppppppp exsurge] *exurge a. corr. sup. l.*  
 qqqqqqqqqqqqqq XII et XII *ms.*  
 rrrrrrrrrrrrrr paschae] *paschæ ms.*  
 ssssssssssssss necessaria] *sci... a. corr.*  
 tttttttttttt obsequia] *sup. ras.*  
 uuuuuuuuuuuuuu aliis] *sup. l.*  
 vvvvvvvvvvvvvv domini] *sup. l.*  
 wwwwwwwwwwwwww dedit] *sup. ras.*  
 xxxxxxxxxxxxxx ardeant] *ardent a. corr. sup. l.*  
 yyyyyyyyyyyyyy XII. *ms.*  
 zzzzzzzzzzzz CXX<sup>ti</sup> *ms.*  
 aaaaaaaaaaaaaa XII. *ms.*  
 bbbbbbbbbbbbbbb eum] *sup. l. (falso loco)*  
 cccccccccccccc communiter] *o... a. corr. (per ras.)*  
 dddddddddddddd omnia] *sic ms.*  
 eeeeeeeeeeeeeee electi] *omnes electi a. corr.*  
 frrrrrrrrrrrrr tronus ... thronus] *sic ms.*  
 gggggggggggggg rhetorica] *hrethorica ms.*  
 hhhhhhhhhhhhhhh nihil ... nichil] *sic ms.*  
 iiiiiiiiiiiiii a] *sup. l.*  
 jiiiiiiiiiii liberæ] *liberi ms.*  
 kkkkkkkkkkkkkkk .XII. *ms.*  
 llllllllllll ad] *om. ms.*  
 mmmmmmmmmmmmm catenis] *sup. l.*  
 nnnnnnnnnnnnnn hebreus] *sup. ras.*

oooooooooooooooooo Scias] Scis *a. corr. sup. l.*  
 pppppppppppppppp de] *sup. l.*  
 qqqqqqqqqqqqqqqq carnali] carnalibus *a. corr.*  
 rrrrrrrrrrrrrrrr aliis ... electis] *sup. ras.*  
 ssssssssssssssss dum] *sup. ras.*  
 tttttttttttttttt dum] *sup. ras.*  
 uuuuuuuuuuuuuuuu et] *sup. ras.*  
 vvvvvvvvvvvvvvvv si] *sup. ras.*  
 wwwwwwwwwwwwwwww III<sup>or</sup> et III<sup>or</sup> *ms.*  
 xxxxxxxxxxxxxxxxxx dicitis] *sic ms. pro dicitur ?*  
 yyyyyyyyyyyyyyyyyy XXIII<sup>or</sup>, III<sup>or</sup>, XXIII<sup>or</sup> et III<sup>or</sup> *ms.*  
 zzzzzzzzzzzzzzzz XXIII<sup>or</sup> *ms.*  
 aaaaaaaaaaaaaaaaaa putant] pa... *a. corr.*  
 bbbbbbbbbbbbbbbbbbb XII et XII. *ms.*  
 ccccccccccccccccccc XXIII<sup>or</sup>, XXIII<sup>or</sup> et XXIII<sup>or</sup> *ms.*  
 dddddddddddddddddd XII., XII., XII. et XII *ms.*  
 eeeeeeeeeeeeeeeeeee duodecim] *sup. l.*  
 frrrrrrrrrrrrrrrrr XII., XII. et XII *ms.*  
 gggggggggggggggggg ezechihel] ezechiel *a. corr. sup. l.*  
 hhhhhhhhhhhhhhhhhh XII, XXIII<sup>or</sup>, III<sup>or</sup>., III<sup>or</sup>. et III<sup>or</sup>. *ms.*  
 iiiiiiiiiiiiiiiiii vel sic] *sup. l.*  
 jjjjjjjjjjjjjjjjjj eius] t... *a. corr.*  
 kkkkkkkkkkkkkkkkkk ad] *sup. l.*  
 llllllllllllllllll iudei] *sup. l.*  
 mmmmmmmmmmmmmmmmm discipulos] *sup. ras.*  
 nnnnnnnnnnnnnnnnnn et] ut *a. corr.*  
 oooooooooooooooooo et] *sup. ras.*  
 pppppppppppppppppp vere] c... *a. corr. (per ras.)*  
 qqqqqqqqqqqqqqqqqq conlaudatur] elaudatur *ms.*  
 rrrrrrrrrrrrrrrrrr omnibus] r... *a. corr. (per ras.)*  
 ssssssssssssssssss et] *sup. l.*  
 tttttttttttttttttt quæ] *sup. l.*  
 uuuuuuuuuuuuuuuuuu nomen] *sup. ras.*  
 vvvvvvvvvvvvvvvvvv diabolica] *sup. ras.*  
 wwwwwwwwwwwwwwww ita ... panem] *sup. ras.*  
 xxxxxxxxxxxxxxxxxx III<sup>or</sup> *ms.*  
 yyyyyyyyyyyyyyyyyy que] quæ *a. corr. sup. l.*  
 zzzzzzzzzzzzzzzz et] *sup. l.*  
 aaaaaaaaaaaaaaaaaa Concremaverunt] Cremaverunt *a. corr.*  
 bbbbbbbbbbbbbbbbbbb ipsis] ipso *a. corr.*  
 ccccccccccccccccccc XII *ms.*  
 dddddddddddddddddd LXX *ms.*  
 eeeeeeeeeeeeeeeeeee LXX et XII. *ms.*  
 frrrrrrrrrrrrrrrrr LXX et XII. *ms.*  
 gggggggggggggggggg LXX et XII. *ms.*  
 hhhhhhhhhhhhhhhhhh LXX et XII. *ms.*  
 iiiiiiiiiiiiiiiiii XXX<sup>ta</sup> *ms.*  
 jjjjjjjjjjjjjjjjjj XV. et XXX<sup>ta</sup> *ms.*  
 kkkkkkkkkkkkkkkkkk ad] et *a. corr. (per ras.)*  
 llllllllllllllllll solam] *sup. l.*  
 mmmmmmmmmmmmmmmmm possidet] possident *a. corr.*  
 nnnnnnnnnnnnnnnnnn restitues] restituis *ms.*  
 oooooooooooooooooo volente] valente *a. corr.*  
 pppppppppppppppppp Non] D... *a. corr.*  
 qqqqqqqqqqqqqqqqqq XII et LXX<sup>ta</sup> *ms.*  
 rrrrrrrrrrrrrrrrrr habitationem] abitationem *a. corr. sup. l.*  
 ssssssssssssssssss ammon ... david] *sup. ras.*

ttttttttttttttttttttt eam] eum *a. corr. (per ras.)*

uuuuuuuuuuuuuuuuuuuuuuu antiochiæ] *sup. l.*

vvvvvvvvvvvvvvvvvvvvvvv hac] hæc *ms.*

wwwwwwwwwwwwwwwwwwwww monogamus] mone... *a. corr. sup. l.*

xxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxx nec] ne *a. corr. sup. l.*

yyyyyyyyyyyyyyyyyyyyyyy percutit] non percutit *ms.*

zzzzzzzzzzzzzzzzzzzzzzz nihil ... nichil] *sic ms.*

aaaaaaaaaaaaaaaaaaaaaaa peritorum] se *a. corr.*

bbbbbbbbbbbbbbbbbbbbbbb virgo] *sic ms.*